



THE COLLATION OF THE *CORPUS STATUTORUM UNIV. OXON.*

The Laudian Code of Statutes was printed at Oxford in 1634 and put on probation for one year—until 29 Sept. 1635. This period was, however, extended to June 1636, when, in its corrected form, a manuscript copy of the Code, ratified and sealed, was received at Oxford by the University from Royal Commissioners. The Codex Authenticus, preserved in the University Archives, was edited by John Griffiths and published, with an introduction by C. L. Shadwell, in 1888.

The description of the 1634 edition is as follows:—

CORPVS | STATVTORUM | VNIVERSITATIS | OXON. | SIVE | PANDECTES CONSTITVTIONVM | ACADEMICARVM, E LIBRIS PVBLICIS | ET REGESTIS VNIVERSITATIS | CONSARCINATVS. | [*double line*] | [*arms of Univ.*] | *OXONIÆ* | Excudebant IOHANNES LICHFIELD & GUILIELMUS | TURNER, *Academiæ celeberrimæ Typographi.* | *M.DC.XXXIV.* |

fol.: 132 leaves, unnumbered: sigg. [2 leaves], §, ¶–¶¶¶, A–Z, Aa–Kk, a–z, aa–ee²: [leaf 1] blank; [leaf 2ʳ] title-page; § 1, § 2ʳ Præfatio ad Lectorem; § 2ᵛ Admonitio ad Lectorem de veteri Calendario omisso: Errata; ¶1ʳ–¶¶¶2ᵛ Elenchus titulorum; A1ʳ–p1ᵛ Corpus Statutorum; p2ʳ–aa2ᵛ Appendix Statutorum; bb1ʳ–ee2ᵛ Statuta Aularia.

The printing of the *Corpus* was divided into two parts and undertaken simultaneously. The first part ends with sig. Kk. Mr. Madan identifies the printer of the first part as John Lichfield, and of the second as William Turner. Differences in printing may be noted in the setting up of section headings (spacing, indenting, and the use of roman and italic type).

In 1768 appeared what purported to be the first edition of the Code of 1636. This edition, however, contained unnoted additions (e.g. on pp. 61, 62, 115–17, 145–6). The most important change is in Tit. X. De Magna Congregatione. Sectio 1. De Personis, ex quibus constat Magna Congregatio, sive Convocatio Magistrorum Regentium et non Regentium. This statute was passed only after great opposition in 1760 and was the first deliberate alteration of the Laudian Code.[a]

The 1768 edition has been kept up to date by the publication of Addenda. Sheets containing the new statutes are still issued annually by the Clarendon Press and can be obtained on application to the Secretary.

[a] See Griffiths's ed., pp. xvi–xix.

The description of the 1768 edition and its additions[a] is as follows:—

CORPUS | STATUTORUM | UNIVERSITATIS | OXONIENSIS: | SIVE | PANDECTES CONSTITUTIONUM | ACADEMICARUM, E LIBRIS PUBLICIS | ET REGESTIS UNIVERSITATIS | CONSARCINATUS. | [*double line*] | OXONII, | E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO, | MDCCLXVIII. |

4°: pp. [34] + 205 + [1] + 89 + [3] + 4: sigg. [1 leaf], a–d, A–Z, Aa—Oo[4], [1 leaf][b], [2 leaves][c].

[p. 1] Title-page; [3–6] Preface; [7] Admonitio ad lectorem; [8–28] Elenchus titulorum; [29–31] Letter of Archbishop Laud, 2 June 1636; [32–4] Letters patent of Charles I, 3 June 1636; 1–205 Main text; 1–64 Appendix statutorum; 65–84 Statuta Aularia; 85–6 Ordo Procuratorius; 87–9 *'Επινομίς*; [p. 2] Addenda. Appendix ad Statut. Tit. XV. Sect. 5. Corrigenda; 1–4 App. II & III ad Stat. Tit. X. Sect. II. § 7.

In all the copies (except c), which I have examined, sigg. B 2–4, H 3, and P 2 are cancels.[d] Copies of the *Corpus Statutorum* issued from the Press after 1801 have sigg. K–M as cancels and generally sig. b 3.

Until the *Addenda* of 1825 was published copies of the 1768 *Corpus* usually have inserted:—

1. A–D[4], E[2] (34 + [2] pages with *Addenda ad Corpus Statutorum Universitatis Oxoniensis* as half-title: E 2, the recto of which is numbered 91, sometimes precedes sig. A 1). This section was printed in 1800.

[a] Eleven copies have been collated, all varying as regards completeness. Those referred to here are a (in my possession), b (Bodl. Gough adds. Oxon. e. 17), c (in my possession), d (University Archives). Mr. F. Madan, who has several copies, has kindly checked certain details in the collations.

[b] This leaf sometimes follows the title-leaf and was probably printed with it.

[c] This collation is taken from copy a.

Sig. b 3. This cancel was necessary in the Contents when sheets K, L, and M were reprinted in 1801 incorporating additions and alterations to the statutes in that Titulus.

Sigg. B 2, 3 (pp. 11–14). The original leaf omitted the whole paragraph on p. 13 beginning 'Et quo' and ending 'Vice-Cancellarius'. In this paragraph provision is made for the payment of lecturers.

B 4 (pp. 15, 16). The original leaf (1) added to the heading of § 8 '& de praxi Musices hebdomadali', whereas there is no mention of the weekly practice in the paragraph; (2) omitted in the heading of § 9 'instituta per spectabilem virum D[um] Guil. Sedley'; (3) omitted in the heading of § 11 'per celeberrimum virum Guil. Camdenum instituto'. These headings seem to have been taken from the 1634 printed edition and not from the Codex Authenticus. Curiously enough on p. 16 both the original leaf and the cancel have the wrong catchword, the former having § 13, the latter § 16 (§ 12 is correct).

Sig. H 3 (pp. 61, 62). On p. 61 the original leaf omitted the first twenty lines 'Cum singulari . . . Album referatur'.

Sigg. K–M (pp. 73–96). These sheets were reprinted in 1801 in order to incorporate the changes made in the statutes in that year.

For his translation of the Laudian Code Mr. G. R. M. Ward unfortunately used a copy of the 1768 ed. with the reprinted sheets.

Sig. P 2 (pp. 115, 116). In the original leaf after *deputati* on l. 10 was added 'quorum suffragia inter alia Doctorum et Magistrorum suffragia annumeranda esse censemus'. In the next clause the original leaf omitted 'et Magistri durante primo Anno necessariæ suæ Regentiæ'. The original leaf has the Sectio heading correctly printed in capitals: the cancel has the heading in lower-case type.

I have met with the original leaves represented by sigg. B 2, 3, 4; H 3; P 2 in copy c only.

2. B^4, C^2 (12 pages. Tit. IX. Sect. II. 1800, or no. 4 or no. 7).
3. B^4, C^2 (12 pages. Tit. XVI. 1803). There are two settings: in one p. 12 is blank.
4. A^4, B^2 (12 pages. Tit. IX. Sect. II. 1807, or no. 7).
5. B–D^4, E^2 (28 pages. Statutorum Titulus I &c. 1808).
6. B^2 (4 pages. Viner Statute, 1809).
7. A^4, B^2 (12 pages. Tit. IX. Sect. II. 1809). This recension, which is undated, may be identified by its having eleven lines of text on p. 12.
8. 5 leaves (Stat. novum. Bibl. publ. Bodleianae, 1813).

In 1825 Addenda were published containing statutes promulgated after 1768 up to February 1825. The *Addenda* originally consisted of 2 leaves and sigg. Pp–3 H^4, * A–* B^4, * C^2, † A^4: sigg. Pp–3 H^4 are pages 91–226 and are so numbered to follow the *'Επιτομίς*: sigg. * A–† A contain an index to the *Corpus*, *Appendix*, and *Addenda*. From the year 1825 sheets have been published at irregular intervals. The collation of copy 𝔟 of the *Addenda* to the present time is as follows. A dot · indicates an unnumbered page:—

ADDENDA | AD | CORPUS STATUTORUM | UNIVERSITATIS OXONIENSIS. | ACCEDIT | ELENCHUS TITULORUM, | NECNON | INDEX ALPHABETICUS. | [*line*] | OXONII, | E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO. | MDCCCXXV. | : 2 leaves (title-leaf and preface), Pp–Zz^4 (pp. 91–162), 3 A–3 H^4 (pp. 163–226), * A–* B^4, * C^2, †A^4 (index), 3 I^4 (pp. 227–34), 3 I (pp. 235–6), 43 leaves (pp. 237–83 · 284–306 · 307–19 ·), B^4 (pp. 1–8—Titt. I–III), 13 leaves (pp. 1–8—Tit. XV, pp. 1–12—Tit. IV, one leaf—Univ. Galleries, two leaves—Taylor Foundation), 13 leaves (pp. 320–28 · 329–41 · 342 ·)[a], B–C^4, D^2 (pp. 343–62), B^4, C^8 (pp. '343'–'354'), B–F^4 (pp. 375–412: F 4 blank), 17 leaves (pp. 413–19 · 420 · 421–37 · 438 · 439–41 ·), B–E^4 (pp. 442–73), F (pp. 474–79, ? three separate leaves), 5 leaves (pp. 480 · 481–88), H–I^4 (pp. 489–504)[b], 98 leaves (pp. 505 · 506–10 · 511–27 · 528–80 · 581 · 582–98 · 599, 660 [*sic*], 661 [*sic*] · 602 · 603–27 · 628 · 629 · 630 · 631 · 632–42 · 643–53 · 654 · 655–57 · 658–62 · 663–71 · 672–78 · 679, 680), B^6 (pp. 681–92), 6 leaves (pp. 693 · 694–700 · 701–2), b^4 c^2 (pp. 703–13 ·), 44 leaves[c] (714–18 · 719–23 · 724–6 · 727 · 728–38 · 739–45 · 746–62 · 763 · 764 · 765–85 · 786–90 ·)[d], title-leaf (ADDENDA | AD | CORPUS STATUTORUM | UNIVERSITATIS OXONIENSIS. | PARS II. | AB ANNO 1870. | [*arms of Univ.*] | OXONII: | E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO. |)[e] pp. 791–855 · 856–62 · 863–1446.

The 1768 edition with its Addenda holds a prominent place among bibliographical

[a] The order of this section varies. In copy 𝔟 it runs:—B^4 (pp. 1–8—Titt. I–III), 4 leaves (pp. 1–8—Tit. XV), 1 leaf (pp. 320–1), 6 leaves (pp. 1–12—Tit. IV), pp. 322–8 · 329–36, 1 leaf—Univ. Galleries, pp. 337–41 · 342 · . In a copy in the Registrar's Office it runs:—B^4 (pp. 1–8—Titt. I–III), 5 leaves (pp. 1–10—Tit. XV), pp. 320, 321, 6 leaves (pp. 1–12—Tit. IV), pp. 322–40, 2 leaves (Taylor Foundation). Titulus XV was set up both as a section of 5 leaves and as one of 4 leaves: the former conforms in style generally to the *Addenda*.

[b] In most copies these pages have no signatures.

[c] From this point signatures are definitely abandoned. Pages 1425–1446, issued in 1925, consisted of two sheets (8 leaves), half a sheet (2 leaves), and a single leaf.

[d] The Addenda printed from 1825 to 1869 are in a variety of type. The number of lines to a full page varies from 36 to 52.

[e] The sheets of part II are slightly larger than those of part I. The page is printed in 2 columns.

curiosities as it is probably the only example of a book (as distinct from a periodical) which is still in progress after 157 years of continuous existence. The bibliographer will of course pay due reverence to a book of such honoured years, but the student of University history finds it a deep and uncharted sea, no Index to it having been published since 1825. The year 1925, being the centenary year, may perhaps provide an excuse for the compilation of another.

From 1857 the current statutes have been published annually under the title of *Statuta Universitatis Oxoniensis.* During those sixty-eight years the editing of this work has been of a very conservative character. There is still no explanatory historical introduction nor any clue to the marginal references 'Corp. Stat. [1636]' or 'Add.' The former should strictly refer either to the Codex Authenticus or to the 1888 edition of it. As a matter of fact the reference is to the 1768 edition. These references to the *Corpus Statutorum* of 1636 are very misleading. From 1857 to 1901 there was a marginal reference in Tit. X. Sect. I. § 1. 2 to 'Corp. Stat. p. 116 [1636]'. This is the Statute, referred to above, which regulated the constitution of the Magna Congregatio in 1760. Since 1902 the reference in the text has been dropped and is now attached to the heading where it is still more misleading. In the opening Statutes (Titt. I, II) of the *Statuta Univ. Oxon.*, where a reference to the 1636 Code would be correct and historically interesting, no reference is given.

S. G.

Reprinted from the Bodleian Quarterly Record, *Vol. iv, no.* 47, *pp.* 271–4, 1925.

ADDENDA

AD

CORPUS STATUTORUM

UNIVERSITATIS OXONIENSIS.

ACCEDIT

ELENCHUS TITULORUM,

NECNON

INDEX ALPHABETICUS.





OXONII

E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO.

MDCCCXXV.

LECTORI.

QUUM in Corpore Statutorum et in ejus Appendice multa subinde mutaverit, multa etiam addiderit Academia, visum est Supplementum hoc editionis anno 1768 vulgatæ, Addendorum nomine donatum, conficere, in quo continerentur omnia statuta cujuscumque generis, quæ post annum 1768 in Ven. Domo Convocationis publicata fuerint et confirmata, eo insuper ordine disposita ut ratio haberetur temporis quo quodque sancitum sit.

Sub finem voluminis adjectus est Elenchus Titulorum et Capitum, necnon Index Res et Personas secundum Alphabeti seriem complectens. In quibus notandum uncinulos quadratos [ ] eorum statutorum, quæ jam abrogata sunt, titulos monstrare; numeros autem lunulis ( ) interpositos, paginas in aliquot tantum exemplaribus editionis a. 1768. excusæ indicare.

ADDENDA

AD

CORPUS STATUTORUM

UNIVERSITATIS OXONIENSIS.

ADDENDA

AD

CORPUS STATUTORUM

UNIVERSITATIS OXONIENSIS.

Supplementum ad Statut. Tit. IV. Sect. I. §. 15. "De "Prælectore Anatomices." Corpus Statutorum p. 18. lin. 8. post verbum *expressis*.

De Lecturis per Prælectorem Anat. legendis, et de Auditoribus.

HOC est quolibet Vere, publice monstrabit, docebit, tradet, situm, naturam, usum et officium Partium Corporis: et quovis Termino Academico S. Michaelis (horis consuetis Lecturæ Medicæ destinatis) leget super Sceleto.

Temporibus aliis intra Terminum, poterit Prælector (prout visum fuerit) plenius explicare partem aliquam vel particulam Anatomes, vel Sceleti.

Auditores necessarii dictarum Lecturarum erunt omnes Studiosi Medicinæ, et omnes Chirurgi in Universitate. Et unusquisque Studiosorum Medicinæ, (non Licentiatorum ad practicandum in Medicina) et Chirurgorum, pro quavis absentia sua, non approbata per Prælectorem, solvet duos solidos.

Unusquisque admittendus per Universitatem ad practicandum in Medicina, vel Chirurgia, priusquam Gratiam suam proponat ad dictam Licentiam obtinendam, Testimonium afferet, vel Fidem faciet, quod interfuerit uni saltem integræ Dissectioni Anatomicæ, unique integræ Lectioni de Sceleto; nisi secum per Congregationem Regentium dispensetur.

Corpus Statutorum p. 19. lin. 19.

Supplementum ad Stat. Tit. IV. Sect. I. "De "Lectoribus publicis."

§. 19. *De Prælectore Botanices.*

PRÆLECTOR Botanices Lectiones suas habeat in Schola Medicinæ, necnon in horto Botanico; et quandoquidem pro Anni temperie plantæ temporibus minus statis florent et succrescunt, ad certos Dies in iisdem enarrandis non tenetur.

Corpus Stat. pp. 138, 139.

Supplementum ad Stat. Tit. XV. §. 5. "De Oenopoliis, "seu Tabernis vinariis, Popinis, et Diversoriis non "frequentandis."

De Oppidanis epulas Scholaribus sine venia pretio præbentibus.

MODIS iisdem mulctator punitorque, si quis Oppidanus Scholari cuivis epulas pretio præbuerit, vel cibos ad mensam apparatos in Scholaris cujusvis usum in quodlibet Collegium sive Aulam quamlibet, vel in domum aliam quamcunque, intulerit vel immiserit; nisi veniam Collegii vel Aulæ Præfecti, cui sibi ex Legibus Academicis parendum est, idem Scholaris prius impetraverit.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in terminos die sexto mensis Novembris; publicatum est in Domo Congregationis die decimo tertio mensis prædicti; tandem in domo Convocationis publicatum et comprobatum die vicesimo quarto ejusdem mensis, Anno Domini 1767.

Corpus Stat. pp. 125, 126.

Supplementum ad Stat. Tit. X. Sect. II. §. 7. "De "Delegatorum nominatione et munere."

De Statis Delegatis pro Academiæ Privilegiis tuendis et conservandis.

CUM ex Privilegiorum nostrorum ignoratione multa mala ac dispendia huic Universitati antehac contigerint; cumque in variis

concertationibus cum Municipibus Oxonienſibus aliiſque noſtrorum Privilegiorum adverſariis, Novos Delegatos deſignari, haud e re Academiæ eſſe, uſu compertum ſit:

Placuit Univerſitati ſtatuere et decernere ut Vice-Cancellarius, Procuratores, et Cuſtos Archivorum, pro tempore exiſtentes, cum quatuor aliis cujuſcunque Facultatis Doctoribus aut Artium Magiſtris, per Vice-Cancellarium et Procuratores, aut per majorem partem eorundem, nominandis, et deinceps a Domo Convocationis approbandis, in poſterum Privilegiorum noſtrorum curam et tutelam ſuſcipiant: qui, ut Stati Delegati, de negotiis omnibus eo ſpectantibus, cum relatione ad Domum Convocationis et approbatione ejuſdem, ſtatuant et deliberent. Quinque inſuper Delegati a Procuratoribus, in prima Convocatione poſt admiſſionem ſuam, cum approbatione Vice-Cancellarii et Domus Convocationis, quotannis nominentur; qui, ut Stati Delegati, anno inſequente, cum approbatione illius Domus Convocationis, una cum prædictis aliis Delegatis perpetuis, res omnes ad Privilegia ſpectantes audiant et determinent. Ad quod munus ſuſcipiendum, et ſedulo fideliterque exequendum, ſinguli ſe fide data Univerſitati firmiter teneri noverint.

Cum autem aliquos ex hiſce Delegatis mox nominandis, aut eorum Succeſſoribus, fatis concedere, vel alias Univerſitate prorſus excedere, vel cum conſenſu Domus Convocationis officio abdicare, contigerit, alii continuo in ipſorum locum, eadem auctoritate, ut præfatum eſt, ſubrogentur.

Si vero horum major pars in Univerſitate præſens non fuerit, aut propter adverſam valetudinem præſto adeſſe non poterit, quotieſcunque ex improviſo de Privilegiis agatur, et res moram non tulerit; Procuratores, vel eorum alter, cum conſenſu Vice-Cancellarii, totidem in locum abſentium ad præſens ſubrogabunt quot ad majorem partem explendam ſuffecerint

Hi autem Delegati bis ad minimum in anno, nempe in prima Hilarii et Trinitatis pleni termini hebdomada, aut ſæpius ſi res tulerit, die et hora a Vice-Cancellario pridie conſtituenda, in Delegatorum Camera, aut (ſi juſta de cauſa ita expedire videbitur) in alio loco idoneo conveniant, de Privilegiis et Juribus Univerſitatis tuen-

dis et defendendis consulturi. Quicquid vero ipsis placuerit, a Registrario Universitatis Registro peculiari inferatur.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti die decimo octavo mensis Aprilis, et in terminos convenerunt nono die mensis instantis Maii; publicatum est in Domo Congregationis decimo mensis Maii prædicti, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die Veneris, decimo tertio Maii, Anno Domini 1768.

Corpus Statutorum pp. 125, 126.

Supplementum ad Stat. Tit. X. Sect. II. §. 7. "De "Delegatorum nominatione et munere."

De Statis Delegatis pro curatione et elocatione Terrarum ad Universitatem spectantium.

CUM varia Negotia, ad terras et fundos Universitatis spectantia, utilius et efficacius a quibusdam Statis Delegatis, quam ab aliis pro hujusmodi negotiis ad præsens tantum designatis, expediantur:

Ex matura deliberatione ordinatum est, ut in posterum de aliquibus idoneis provideatur; qui, ut Stati Delegati, per spatium triennii ab eorum nominatione computandum, una cum Vice-Cancellario et Procuratoribus pro tempore existentibus, de omnigenis ad Universitatem spectantibus Terris, Tenementis, aliisque hujusmodi Possessionibus metiendis, in tabulis Geodæticis describendis, in libro vocato *Terrier* inserendis, æstimandis, et quocunque possint modo meliorandis, ac, quotiescunque opus fuerit, elocandis, cum relatione ad Domum Convocationis, et approbatione ejusdem, statuant et deliberent; exceptis maneriis, prædiis, et tenementis a Rege Carolo I. Universitati fideicommissis, et Typographeo Clarendoniano cum libros excudendi Privilegio: quippe quia de illis jam abunde a Collegiis fructus inde percipientibus olim provisum est: hoc autem a Delegatis aliis pro tempore constituendis, cum occasio tulerit, æque curari potest. Salvo etiam Jure Professorum, qui in Prædiis suis admi-

niſtrandis et elocandis, vel juxta Statuta, vel Conſuetudinem antiquam, poteſtatem aliquam habuerint.

Stati autem Delegati pro negotiis prædictis deſignandi, per Vice-Cancellarium et Procuratores, aut per majorem partem eorundem, e Doctoribus cujuſcunque facultatis, vel Magiſtris Regentibus vel Non-regentibus, nominentur; et deinceps a Domo Convocationis approbentur.

Si autem aliquos ex hisce Delegatis fatis concedere, vel ab Univerſitate prorſus excedere, vel cum conſenſu Domus Convocationis officio abdicare, contigerit, alii continuo in ipſorum locum, eadem auctoritate, et ſub iiſdem conditionibus, ſubrogentur.

Quod ſi præfati Delegati in eadem ſententia, a ſenatu Academico repudiata, ſemel atque iterum referenda (quod abſit) perſeveraverint; alii ſtatim in ipſorum locum pro hac vice, ne quid detrimenti capiant res noſtræ, ſubrogentur.

Hi autem Delegati, quamprimum nominati fuerint, in ipſa Convocatione (ſi præſentes fuerint) alioqui coram Vice-Cancellario, exigente ſeniore Procuratore, ſinguli juramentum præſtabunt in hæc verba; viz.

Tu jurabis, quod munus et officium Delegatorum ſuper negotiis tibi commiſſis ſedulo et fideliter pro virili exequeris.

Denique prædicta hæc Delegatio a Delegatione pro Computis in poſterum ita diſcriminetur, ut non plures quam tres Delegati Computorum ſint eodem tempore Fundorum curandorum Delegati.

Triennio autem abſoluto, vel iidem vel alii, de triennio in triennium, eadem auctoritate, et ſub iiſdem conditionibus, ſubrogentur.

De Statuto hoc rogando conſenſerunt Collegiorum et Aularum Præfecti die decimo octavo menſis Aprilis, et in terminos convenerunt nono die menſis inſtantis Maii; publicatum eſt in Domo Congregationis decimo menſis Maii prædicti, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die Veneris, decimo tertio Maii, Anno Domini 1768.

Append. Stat. pp. 9—11.

Statutum novum de tempore aperiendi et claudendi Bibliothecam Bodleianam.

QUANDOQUIDEM tempus aperiendi et claudendi Bibliothecam in Statutis Bodleianis [a] minus aptum et congruum fuerit, placuit Academiæ, cum confenfu Curatorum Bibliothecæ Bodleianæ, tempus aperiendi et claudendi dictam Bibliothecam in pofterum hoc modo præfinire. Scilicet—

Aperiatur Bibliotheca a Fefto Annunciationis ad Feftum Divi Michaelis ab hora octava matutina ad horam fecundam poftmeridianam, et a tertia ad quintam.

A Fefto Divi Michaelis ad Feftum Annunciationis ab hora nona matutina ad tertiam poftmeridianam.

Exceptis autem fingulis Saturni diebus, in quibus a Fefto Annunciationis ad Feftum Divi Michaelis ab hora octava matutina ad fe-

[a] *Supplicatio Curatorum Bibliothecæ Bodleianæ.*

CUM ufu compertum fit horas aperiendi et claudendi Bibliothecam ftatutis in fectione quinta Statutorum Bodleianorum minus accommodari ftudentium opportunitatibus; fupplicant venerabili huic convocationi Bibliothecæ Bodleianæ Curatores, ut liceat iis alias horas aperiendæ et claudendæ Bibliothecæ affignare in annum fequentem; videlicet, ut fingulis diebus, die Solis et Saturni excepto, aperiatur Bibliotheca a Fefto Michaelis ad Feftum Annunciationis ab hora nona antemeridiana ad horam tertiam pomeridianam. Ut, iisdem exceptis a Fefto Annunciationis ad Feftum Michaelis aperiatur ab hora octava antemeridiana ad horam fecundam pomeridianam, et ab hora tertia ad horam quintam pomeridianam. Ut fingulis diebus Saturni aperiatur, a Fefto Annunciationis ad Feftum Michaelis ab hora octava ad primam pomeridianam. Ut diebus Feftis fequentibus non aperiatur, videlicet, Die Natali Domini et tribus deinceps infequentibus, Die Circumcifionis et Epiphaniæ; poft Feftum Pafchatis et Pentecoftes utroque; Die Cinerum; Die Crucifixionis; Afcenfionis; Diebus Encæniorum; horis commemorationis Crewianæ pomeridianis; octo diebus Vifitationem Bibliothecæ Bodleianæ immediate præcedentibus, et diebus quibufcunque vel Jejunii vel Feftivitatis publica auctoritate injunctis aut injungendis. Cæteris vero Feftis quibufcunque ftatim poft finitam concionem in ecclefia B. M. Virginis, ut Bibliothecam accedentibus, horis fupra præftitutis, aditus pateat. Hac nimirum cautione, ut Proto-Bibliothecario, propter hanc occupationem moramque in Bibliotheca extraordinariam, quadraginta librarum fumma adjecta annuum ftipendium augeatur, fibi fuifque vicariis, prout ipfi vifum fuerit, cum relatione ad Curatores diftribuendam.

Proponente domino Vice-Cancellario, placuit venerabili Domui Convocationis huic fupplicationi confentire, die decimo fexto menfis Novembris, anno Domini 1768.

cundam poſtmeridianam: et a Feſto Divi Michaelis ad Feſtum Annunciationis ab hora nona ad ſecundam poſtmeridianam.

Diebus quatuor diem Paſſionis Domini præcedentibus, in quibus ab hora decima matutina ad ſecundam poſtmeridianam.

Claudatur vero Bibliotheca Feſtis et omnibus Vigiliis a Feſto Annunciationis ad Feſtum Divi Michaelis hora quarta poſtmeridiana.

Diebus omnibus Dominicis, et diebus quibuſcunque vel Jejunii vel Feſtivitatis publica auctoritate injunctis vel injungendis:

Vigil. ante Nativitatem Domini, et deinceps uſque ad Feſtum Circumciſionis incluſive:

Feſto Epiphaniæ:

Die Paſſionis Domini: Vigil. Paſchatis et Feriis Paſcha immediate ſequentibus:

Die Aſcenſionis, et Feriis Pentecoſten immediate ſequentibus:

Diebus Encæniorum, Veſperiarum et Comitiorum Publicorum: diebus Commemorationum publicarum, horis ſive antemeridianis, vel poſtmeridianis, huic celebritati deſtinatis:

Octo diebus Viſitationem Bibliothecæ Bodleianæ immediate præcedentibus.

Feſtis vero quibuſcunque (de quibus ſupra non aliter ordinatum fuerit) ſtatim poſt Conciones publice coram Univerſitate habitas, Bibliothecam accedentibus pateat aditus.

Denique ſtatutum eſt, ut Proto-Bibliothecario propter occupationem moramque in Bibliotheca extraordinariam quadraginta Librarum ſumma adjecta annuum Stipendium augeatur, ſibi ſuiſque Vicariis, prout ipſi viſum fuerit, cum relatione ad Curatores et eorum Approbatione, ſi forte querelæ occaſio hac ex parte ſubminiſtretur, diſtribuenda.[b]

De Statuto hoc rogando conſenſerunt Collegiorum et Aularum Præfecti viceſimo ſeptimo die menſis Novembris, et in terminos convenerunt

[b] Vide Statutum novum de neceſſitatibus Bibliothecæ Bodleianæ ſubveniendis, in *Addendis* pp. 104, 105. necnon Statutum novum Bibliothecæ publicæ Bodleianæ in Convocatione publicatum et confirmatum die 11°. Decembris, 1813.

undecimo die mensis instantis Decembris; publicatum est in Domo Congregationis duodecimo mensis Decembris prædicti, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die Veneris, decimo quinto Decembris, Anno Domini 1769.

Tit. XIV. "De Vestitu et Habitu scholastico."

Corpus Statutorum pp. 132, 133.

§. 3. *Statutum novum de Habitu Academico singulis Gradibus et Facultatibus competente.*

STATUTUM est, quod omnes Doctores cujuscunque facultatis, Baccalaurei etiam in Sacra Theologia, Medicina, et Jure Civili, Magistri et Baccalaurei in Artibus, Baccalaurei itidem in Musica, Togas gradui et facultati competentes, hodie usitatas, juxta exemplar in ære incidendum, et in abaco Domus Convocationis reponendum, gerant.

Ambo Procuratores, eorumque Deputati, et Collectores Quadragesimales, Habitu hodie usitato, juxta exemplar, induti incedant.

Baronum filii in superiore Parliamenti Domo suffragii Jus habentium, necnon Baronum ex gente Scotica et Hibernica, Toga talari deaurata, sive Toga nigra laxe manicata serica cum Epomide, et Pileo quadrato cum Apice deaurato, induti incedant. Baronetti autem Toga talari nigra, deaurata, sive Toga laxe manicata serica cum Epomide, et Pileo quadrato cum Apice deaurato.

Superioris Ordinis Commensales Togam talarem sericam, sive ex quovis Panno nigro confectam, cum ornamentis secundum exemplar, et Pileum quadratum Holosericum, Anglice *Velvet*, cum Apice; Commensales vero sive Communarii Togam talarem, ex quovis Panno nigro, non serico, confectam, cum ornamentis secundum exemplar, et Pileum quadratum Panno obductum cum Apice gerant.

Quod non Graduati, quotquot alicujus Collegii Socii, Probationarii, Scholares, Capellani, Clerici, et Choristæ, si modo in Matriculam Universitatis sint relati, denique quotquot de fundatione Collegii cujusvis, fuerint, Studentes insuper Ædis Christi, quoties in Publicum

in Univerfitate prodeunt, Togis laxe manicatis, ita ut Manicæ longitudo dimidiam partem longitudinis Togæ non excedat, et Pileis quadratis cum Apice, induti incedant.

Batellarii vero, et Servientes, Togam talarem hodie ufitatam juxta exemplar gerant, et Pileum quadratum fine Apice.

Studentes in Jure Civili, nondum graduati, qui fedecim Terminos a tempore Matriculationis compleverint, (vel etiam antea, modo de fundatione alicujus Collegii fuerint, cujus Statuta id fieri requifiverint) Togam talarem femimanicatam, juxta exemplar, gerant, et Pileum quadratum cum Apice.

Quod Artium Baccalaurei in omni Actu Scholaftico Caputium Fimbria pellita prætextum gerant; in Tempore vero Quadragefimali Determinantes tum in Scholis, tum in Choro Beatæ Mariæ Virginis, quoties ad celebrandas Preces convenerint, Pellem etiam lanatam, fecundum exemplar, adhibeant.

Graduati omnes, Togas Gradui et Facultati competentes, et Pileos quadratos cum Apice, aut rotundos (Juriftæ fcilicet et Medici) geftabunt; præcipue in Concionibus, ordinariis Prælectionibus, et Difputationibus publicis.

In Concionibus vero folennibus, et fingulis diebus Dominicis intra Terminum ante meridiem in Templo B. V. Mariæ, etiam in Æde Chrifti; et in Quadragefima, et in Dominica Pafchatis poft meridiem ad S. Petri in Oriente, Caputiis, five e Serico, five e Minuto-Vario, obverfis, Concionibus interfint.

Concionatores itidem Habitu Gradui fuo competente induti (pro ratione temporis, prout ceciderit intra vel extra Terminum) ad Ecclefiam accedant, et eodem induti Conciones fuas habeant, fub pœna 6s. 8d.

Lectores etiam et Profeffores publici, in Lectionibus fuis ordinariis, Togis Gradui vel Facultati fuæ competentibus, et Pileo induti, ad Scholas accedant, et eodem Habitu induti legant, ac iterum a Scholis recedant. In folennibus autem Lectionibus in Vefperiis, Pileis, et Caputiis, Gradui et Facultati fuæ competentibus, induti ad Scholas accedant, legant, ac iterum recedant.

Quoties vero ad Congregationes, Convocationes, Preces publicas,

et Conciones ad Clerum accedant, omnes præter Togas, Caputia Gradui congrua; Doctores etiam Capas, vel clausas vel apertas, adhibeant.

Doctores singulis diebus Dominicis intra Terminum, ante meridiem, in Ecclesia B. Virginis Mariæ; et in Quadragesima, et in Dominica Paschatis post meridiem in Ecclesia S. Petri in Oriente, Capa, et Caputio coccineo induti Concionibus intersint.

Insuper Statutum est, quod omnes Academici cujuscunque ordinis aut gradus fuerint, Collari, vulgo vocato *Band*, juxta exemplar, tum in privato tum in publico se induant.

Si quis vero in præmissis delinquere deprehensus fuerit, si non Graduatus fuerit, pro arbitrio Vice-Cancellarii vel Procuratorum, penso aliquo literario puniatur. Si Graduatus, pro prima vice qua deliquerit, 20d. Pro secunda, 3s. 4d. Pro tertia, 5s. Pro quarta, 6s. 8d. et sic toties quoties. Si quis vero ad Congregationem vel Convocationem accesserit, Habitu competente destitutus, præter mulctam prædictam, nullam omnino suffragandi potestatem ea vice habeat. Quas mulctas ad usum Universitatis exigendi Vice-Cancellarius vel Procuratores potestatem habeant.

Ne vero quis præ novandi libidine ab exemplaribus in hoc Statuto descriptis desciscere, novosque habitus introducere moliatur, Statutum est quod Vice-Cancellarius et Procuratores singulorum Habituum Exemplar aliquod Ære incidendum, et in Abacum huic usui destinatum, reponendum curabunt.[c]

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in terminos die nono mensis Julii; publicatum est in Domo Congregationis die decimo ejusdem mensis, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die Veneris, ejusdem mensis Julii decimo tertio, Anno Domini 1770.

[c] Vide Statutum novum de usu Habitus Academici, publicatum et confirmatum die 26°. Novembris, 1816.

Tit. XV. "De Moribus conformandis."

Statutum novum de reprimendis Sumptibus non Academicis.[d]

QUO melius ſtudiis vacare poſſint, uti par eſt, juniores Academici, et luxus atque faſtus ab his ſedibus repellantur, et porro ſumptus non Academici imminuantur, atque etiam, ſi fieri poſſit, reprimantur;

Statutum eſt,

Primum; Quod nulli Academico, priuſquam Gradum Baccalaurei in Artibus adeptus ſit, vel, ſi Studioſus in Jure Civili, quatuor annos a matriculatione ſua compleverit, liceat Servum alere aut retinere ſub quovis prætextu: exceptis Baronibus et Baronum filiis et Baronettis, quos indulgentia quadam aliis item in rebus inſigniendos jam olim cenſuit Academia.

Secundo; Quod nulli Academico priuſquam Gradum Baccalaurei in Artibus adeptus ſit, vel, ſi Studioſus in Jure Civili, quatuor annos a matriculatione ſua compleverit, liceat Equum alere, ſeu proprium, ſive alienum aut conductitium, ſub quovis prætextu. Neque vero liceat Baccalaureo in Artibus, vel Studioſo in Jure Civili qui prædictum tempus compleverit, niſi propter rationabilem cauſam a Vice-Cancellario et Procuratoribus prius approbandam.

Tertio; Quod nulli Academico priuſquam Gradum Magiſtri in Artibus aut Baccalaurei in Jure Civili ſuſceperit, liceat Canem vel Canes cujuſcunque generis alere vel habere ſub quovis prætextu.

Si quis vero in præmiſſis delinquere deprehenſus fuerit coram Vice-Cancellario vel Procuratoribus, pro prima vice amoveatur ab Academia per tres menſes; pro ſecunda, per ſex menſes; pro tertia autem, per integrum annum.

Porro, cum peſtis hujuſce Seculi, amor nimirum immodicus et exitiabilis ludorum in quibus pro pecunia concertatur, ipſam quoque nonnulla ex parte Academiam invaſerit, unde, effuſis juvenum animis in curſus Equorum, et Gallorum pugnacium duella, maculam excipiat nomen atque exiſtimatio Univerſitatis:

[d] Vide Statutum novum de reprimendis Sumptibus non Academicis, publicatum et confirmatum die 16°. Decembris, 1785. p. 110.

Statutum eſt;

Quod in poſterum nullus Academiæ Alumnus aut principalem aut conſortem in curſu Equorum ſe adhibeat, vel ipſe equitando, vel pecuniam collatitiam ad eam rem ſubſcribendo, aut alio quocunque modo: neque Gallorum pugnacium duellis (barbaris certe et homine liberali atque ingenuo plane indignis) adſit, aut ullo modo ſe immisceat; ſub pœna amotionis ab Academia pro prima vice per tres menſes; pro ſecunda, per ſex menſes; pro tertia vero, in perpetuum.

Poſtremo, Quo melius hoc Statutum vim atque effectum habeant, rogantur ſinguli Collegiorum et Aularum Præfecti, atque Tutores, ut a ſuis Scholaribus et Pupillis obſervari diligenter curent; et ſi qui contra illud deliquerint, neque moniti ſe conformes præſtiterint, eorum nomina Vice-Cancellario deferant, ut rite puniantur.

De Statuto hoc rogando conſenſerunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et re mature perpenſa, convenerunt in terminos die ſexto menſis Julii; publicatum eſt in Domo Congregationis die ſeptimo ejuſdem menſis, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die Saturni, Julii decimo primo, Anno Domini 1772.

Append. Stat. p. 27.

Statutum novum de Neceſſitatibus Bibliothecæ Bodleianæ ſubveniendis.

AD Academiæ decus nihil magis conducere aut ad utilitatem ejus propius pertinere videtur, quam ut antiqua illa Bibliothecæ Bodleianæ Fama, jam olim omnigenæ ſupellectilis literariæ Copia, Varietate, et Delectu inſignita, novis perpetuo Incrementis ſuſtentetur et augeatur. Cum vero tanta rei nummariæ, huic uſui deſtinatæ, inopia jam laboret Academia, ut Librorum, quos Recentiorum Ingenium, Eruditio, aut Induſtria plurimos per totum fere literatum Orbem profudit, et quotidie profundit, vix unus et alter auguſto huic Muſarum Domicilio, publicis ſumptibus, adſcribi poſſit et adnumerari: unde verendum eſt, ne Bibliothecæ celebritas et Studentium ſimul opportunitates minuantur; quo duplici huic malo occur-

ratur, et rei literariæ neceſſitatibus in hac parte melius in poſterum ſubveniatur,

Statutum eſt,

Primum; Quod omnes Doctores cujuſlibet Facultatis; omnes ſacræ Theologiæ, Medicinæ, vel Juriſprudentiæ Baccalaurei; omnes Artium Magiſtri, itidem et Baccalaurei; reliqui denique omnes, qui in Academia Quadriennium exegerint, aut qui ad Bibliothecæ uſum ſpeciali gratia prius admiſſi fuerint; ſummam quatuor Solidorum, ad uſum Bibliothecæ Bodleianæ, annuatim perſolvant, in Fiſcum Academicum, ſine fraude aut diminutione, inferendam.

Secundo; Quod ſinguli Scholares, cum in Matriculam Univerſitatis relati fuerint, pro ſui quiſque Patris ſtatu et dignitate (Servientibus exceptis) aliam Nummorum ſummam, ei quam in præſens ſolvere tenentur parem, perſolvant, in Fiſco Academico, ad uſum eundem Bibliothecæ Bodleianæ, reponendam.

Placuit item Academiæ, cum conſenſu Curatorum Bibliothecæ Bodleianæ, decernere, quod ſemel in unoquoque Termino, aut ſæpius, ſi res tulerit, die et hora a Vice-Cancellario pridie conſtituenda, Curatores in Bibliotheca, aut (ſi juſta de cauſa ita expedire videbitur) in alio loco idoneo, conveniant, de Libris emendis et diſponendis conſulturi; et quod Catalogum Librorum, quos intra annum proxime elapſum publicis ſumptibus Bibliothecæ addiderint, quotannis, ſub fine Termini S. Michaelis, ad ſingulos Collegiorum et Aularum Præfectos, necnon ad cujuſlibet Collegii ſive Aulæ Bibliothecam, curent deferri; in quo Catalogo, Titulus quo quiſque Liber inſignitus fuerit, Pretio etiam affixo, deſcribetur; necnon et Pecuniarum ab Academia, juxta hanc Ordinationem, acceptarum et expenſarum ratio ſimul reddetur.

De Statuto hoc rogando conſenſerunt Collegiorum et Aularum Præfecti die ſexto menſis Decembris, et in terminos convenerunt die decimo tertio ejuſdem menſis, Anno Domini 1779; *publicatum eſt in Domo Congregationis die decimo nono menſis Januarii, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die viceſimo ſecundo ejuſdem menſis Januarii, Anno Domini* 1780.

Corpus Statutorum p. 42.

Statut. Tit. VI. Sect. V. "De Tempore et Exercitiis re-" quisitis ad Gradus in Medicina capessendos."

§. 1. *Quot anni, in audiendo publico Professore Medicinæ ponendi, requirantur ad Gradum Baccalaurei in Medicina.*

STATUTUM est, quod qui Medicinæ dat operam antequam Baccalaureatum in illa Facultate consequatur, Gradum Magistri in Artibus suscipiat; Et postquam in illa Facultate Inceperit, publicum Medicinæ Prælectorem, per annum integrum (numerando a die suæ Admissionis ad Regendum) diligenter et attente audivisse teneatur.

Corp. Stat. p. 43.

Statut. Tit. VI. Sect. V. "De Tempore" &c.

§. 3. *Quot anni, in audiendo publico Medicinæ Professore ponendi, ad incipiendum in Medicina requirantur.*

STATUTUM est, quod qui ad Doctoratum in Medicina promoveri cupit, post Gradum Baccalaurei in Medicina susceptum, per tres annos integros publicum Prælectorem Medicinæ audiat, priusquam ad Incipiendum in eadem Facultate admittatur.

De Statutis bis rogandis consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in terminos die vicesimo nono mensis Octobris; publicata sunt in Domo Congregationis die nono mensis Novembris, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicata et confirmata die duodecimo ejusdem mensis Novembris, Anno Domini 1781.

Corp. Stat. p. 105.

Statut. Tit. IX. Sect. VII. "De Creatione et Licentia-" tione præsentati per Vice-Cancellarium peragenda."

De Creatione et Licentiatione præsentati per Vice-Cancellarium peragenda.

PRÆSTITIS ab omnibus Præsentatis coram Seniore Procuratore Juramentis, eorum quilibet (pro ordine Senioritatis) ad pedes

Vice-Cancellarii inter Procuratores in genua decumbet: Cui Dominus Vice-Cancellarius in aurem per fcrutinium dicet;

Tu dices fide tua data huic Univerfitati, utrum habeas Beneficium vel Beneficia Ecclefiaftica ad valorem quadraginta librarum, aut alios Reditus Ecclefiafticos, vel Civiles, five in Terris, five in Pecuniis, ad valorem trecentarum librarum, per annum; exceptis Proventibus Academicis: (quæ quidem fumma, quoad Beneficia Ecclefiaftica, non attenditur penes verum et proprium rei æftimatæ valorem, fed penes primitias et cenfum Regium, inde in Fifco Regis Henrici Octavi taxatas:) cui Præfentatus refpondebit, *Habeo*, vel *Non habeo*. Quod fi refpondeat fe non habere; interrogabitur iterum, an habeat Reditus Ecclefiafticos ad valorem quinque folidorum, aut Civiles ad valorem quinque librarum, per annum? cui refpondebit, ut prius; et fi fateatur fe habere, folvet pro vino tantum.

Tum, fi præfententur ad Gradum Baccalaurei in Artibus, omnibus ad Præfentatorem redeuntibus, et juxta ipfum confiftentibus, eorum cujufque (pro ordine Senioritatis) manum dexteram apprehendet, et eum coram Vice-Cancellario et Procuratoribus fiftet, et (Bedello ejus prænomen recitante) Vice-Cancellarius dicet, *Domine A. B. Ego admitto Te ad Lectionem cujuflibet Libri Logices Ariftotelis; et infuper earum Artium, quas et quatenus per Statuta audiviffe teneris; infuper autoritate mea et totius Univerfitatis do tibi poteftatem intrandi Scholas, legendi, difputandi, et reliqua omnia faciendi, quæ ad Gradum Baccalaurei in Artibus fpectant.*

Si fuerit Baccalaureus Juris Civilis; *Domine vel Magifter N. Ego admitto te ad Lectionem Inftitutionum Imperialium.*

Si Medicinæ Baccalaureus fuerit; *Magifter N. Ego admitto te ad Lectionem Aphorifmorum Hippocratis.*

Si denique S. Theologiæ Baccalaureus fuerit; *Magifter N. Ego admitto te ad Lectionem Epiftolarum B. Pauli.*

Si vero præfentantur ad Incipiendum in aliqua Facultate, iifdem in genua ad pedes Domini Vice-Cancellarii provolutis, et manus Libro admoventibus, Vice-Cancellarius dicet: *Domine Doctor, Magifter, vel Domine, tu dabis, vel vos dabitis, fidem ad obfervandum Sta-*

tuta, Privilegia, Consuetudines, et Libertates hujus Universitatis. Resp. *Do.*

Item tu jurabis, quod Incipies realiter intra Annum, nisi aliter tecum dispensatum fuerit. Resp. *Incipiam.*

Item tu jurabis, quod non Incipies alibi quam hic. Resp. *Non Incipiam.*

Quod si quis post præstitum illud Juramentum (absque impetrata Dispensatione) nihilominus haud Inceperit; privetur, ipso facto, non solum Gradu ad quem novissime præsentatus fuerat, sed et aliis omnibus quos prius susceperat.

Deinde Vice-Cancellarius, Librum capitibus ipsorum imponens, dicet: *Ad honorem Domini nostri Jesu Christi, et ad profectum Sacrosanctæ Matris Ecclesiæ et Studii, autoritate mea et totius Universitatis do tibi licentiam Incipiendi in Facultate Artium (vel Facultate Juris, Medicinæ, Theologiæ) legendi, disputandi, et cætera omnia faciendi, quæ ad statum Doctoris seu Magistri in eadem Facultate pertinent, cum ea compleveris quæ ad talem pertinent solennitatem; in nomine Domini, Patris, Filii, et Spiritus Sancti:* hæc postrema dum pronunciat, debita cum reverentia, caput aperiendo.

Denique Præsentati exsurgentes deosculabuntur primo Vice-Cancellarium, deinde Præsentatorem, tunc Procuratorem Seniorem, et postremo Procuratorem Juniorem. Quibus sic peractis, et facta per Candidatos reverentia Domino Vice-Cancellario, Procuratoribus et Magistris Regentibus (Bedello et Præsentatore præeuntibus) eodem ordine Domo egredientur, quo ingressi sunt; et extra Cancellos Domus Habitum, competentem Gradui ad quem admissi sunt, induentes, illico (Bedello et Præsentatore præeuntibus) in Domum redibunt; et præstita Domino Vice-Cancellario, Procuratoribus, et Magistris Regentibus reverentia debita, Seniore reliquis præcedente (aliter atque accesserunt) discedent.

Quod si Præsentati ad Baccalaureatum in Artibus admittantur (præeunte Bedello et Præsentatore, reliquisque concomitantibus) ad Scholas Artium procedent: ubi Præsentator Cathedram conscendens, aperto capite, singulis tres Quæstiones proponet, et de singulis Quæ-

ſtionibus Verſus recitabit: quibus a Baccalaureis perlectis, in ſingulis argumentum proponet; cui Baccalaurei ſinguli reſpondebunt ſub hac forma: *Reſpondebit pro me Ariſtoteles proxima Quadrageſima.* Et his peractis, una cum Præſentatore per Bedellum domum deducentur.

De Statuto hoc rogando conſenſerunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpenſa, convenerunt in terminos die decimo menſis Februarii; publicatum eſt in Domo Congregationis die undecimo ejuſdem menſis, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum decimo quarto die ejuſdem menſis Februarii, Anno Domini 1783.

Statuta et Ordinationes factæ et ſtabilitæ per Cancellarium, Magiſtros et Scholares Univerſitatis Oxoniæ, de Lectura Poetica, per HENRICUM BIRKHEAD, *Collegii Omnium Animarum olim Socium, fundata et conſtituta in eadem Univerſitate.*

Appendix ad Corp. Statutorum p. 48.

QUONIAM veterum Poetarum Lectio non tantum ad acuenda et expolienda Juvenum ingenia, verum etiam ad ſeverioris Literaturæ tam ſacræ quam humanæ incrementum, conducit, et quoniam prædictus HENRICUS BIRKHEAD, quo propenſi ſui in rem literariam animi monumentum apud poſteros relinqueret, Lecturam Poeticam fundavit in Univerſitate Oxonienſi, perpetuis futuris temporibus legendam, et ad eam ſuſtentandam proventus annuos in ſupremis tabulis legavit, Nos prædictam Lecturam legendam et exercendam eſſe decernimus modo et forma prout ſequitur.

1. Prælector erit vel in Artibus Magiſter, vel Juris Civilis Baccalaureus, vel ſuperiori aliquo gradu inſignitus.

2. Eligetur Prælector in frequenti Convocatione, et poſt finitum quinquennium, ab Electionis tempore ſupputandum, vel idem denuo eligetur, vel alius in illius locum ſubrogabitur, prout viſum fuerit majori parti ſuffragantium: hoc interim cauto et proviſo, quod nemo in Lecturam ultra decennium continuabitur, nec alius ex eadem Domo immediate ſuccedet.

3. Leget Prælector in Schola Naturalis Philosophiæ primo quoque die Martis in pleno Termino *hora duodecima:*[e] quod si in diem prædictum Festum aliquod inciderit, leget die Jovis proxime sequenti, hora locoque prædictis.[f]

4. Proventus ad Lecturam sustentandam relictos annuatim recipiet et irrogabit Vice-Cancellarius, e quibus mulcta Prælectoris non legentis erit quinque Libræ, toties quoties, in usum Universitatis reservandæ.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti vicesimo octavo die mensis Junii, et in terminos convenerunt secundo die instantis mensis Julii; publicatum est in Domo Congregationis nono mensis Julii prædicti, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die Martis, decimo tertio Julii, Anno Dom. 1708.

De Statuto hoc rogando [scilicet clausula 3.] *consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in terminos die decimo quinto mensis Martii; publicatum est in Domo Congregationis die decimo nono ejusdem mensis, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum vicesimo tertio die Martii, Anno Domini* 1784.

Tit. XV.

Statutum novum de reprimendis sumptibus non Academicis.

Append. p. 103. QUO melius studiis vacare possint, uti par est, juniores Academici; et luxus atque fastus ab his sedibus repellantur; et porro sumptus non Academici imminuantur, atque etiam, si fieri possit, reprimantur; Statutum est,

Primum; quod nulli Academico priusquam Gradum Baccalaurei

[e] *Hora tertia post meridiem.* Sic in Stat. 1708.

[f] *Et si Encœnia celebrentur solito Comitiorum tempore, leget etiam in Theatro ante inchoata Exercitia Philologica.* 1708.

in Artibus adeptus ſit, vel, ſi Studioſus in Jure Civili, quatuor annos a Matriculatione ſua compleverit, liceat Equum aut Servum alere aut retinere, ſeu proprium, ſive alienum, aut conductitium, niſi ex Petitione ſub Chirographo Parentis vel Guardiani, (ſi quis ſit, ſi non, ex ſui ipſius petitione,) Tutori ſuo Præfectoque Collegii vel Aulæ, in qua degit, ſignificanda, et propter rationabilem cauſam, ab iiſdem approbanda. Neque vero liceat Baccalaureo in Artibus, vel Studioſo in Jure Civili qui prædictum tempus compleverit, niſi propter rationabilem cauſam a Præfecto Collegii vel Aulæ, in qua degit, approbandam.

Quorum approbatio a prædicto Collegii vel Aulæ Præfecto ad Vice-Cancellarium illico deferatur, et ab eo in Regiſtro inſeratur.

Si quis vero in præmiſſis deliquiſſe, coram Vice-Cancellario vel Procuratoribus, deprehenſus fuerit; pro prima vice amoveatur ab Academia per tres menſes; pro ſecunda, per ſex menſes; pro tertia, per integrum annum.

Oppidanus inſuper, ſi contra vim et formam hujus Statuti, cujuſvis Scholaris, cui venia modo prædicto non antea conceſſa fuerit, Equum aluiſſe, vel conſilio, dolo, aliove quocunque modo quo minus præſens Statutum ratum fiat, operam dediſſe deprehenſus fuerit: pro prima vice commercium cum Scholaribus per unum menſem, pro ſecunda per ſex menſes, pro tertia in perpetuum, ei interdicatur; nec non Privilegium, ſi fuerit Privilegiatus.

Et, quo melius hæc vim atque effectum habeant, tenentur ſinguli Collegiorum et Aularum Præfecti, ut a ſuis obſerventur Scholaribus, diligenter curare; et ſi qui contra hæc deliquerint, eorum nomina ad Vice-Cancellarium deferre, ut rite puniantur.

Secundo; quod nulli Academico, priuſquam Gradum Magiſtri in Artibus aut Baccalaurei in Jure Civili ſuſceperit, liceat Canem vel Canes cujuſcunque generis alere vel habere ſub quovis prætextu.

Porro, cum peſtis hujuſce ſeculi, amor nimirum immodicus et exitiabilis ludorum in quibus pro pecunia concertatur, ipſam quoque nonnulla ex parte Academiam invaſerit, unde effuſis Juvenum animis in curſus Equorum et Gallorum pugnacium duella, maculam excipiat nomen atque exiſtimatio Univerſitatis:

Statutum eſt;

Quod in poſterum nullus Academiæ alumnus aut principalem aut conſortem in curſu Equorum ſe adhibeat, vel ipſe equitando, vel pecuniam collatitiam ad eam rem ſubſcribendo, aut alio quocunque modo: neque Gallorum pugnacium duellis (barbaris certe et homine liberali atque ingenuo plane indignis) adſit, aut ullo modo ſe immiſceat; ſub pœna amotionis ab Academia pro prima vice per tres menſes; pro ſecunda, per ſex menſes; pro tertia vero, in perpetuum.

De Statuto hoc rogando conſenſerunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpenſa, convenerunt in terminos die triceſimo menſis Novembris; publicatum eſt in Domo Congregationis die ſexto menſis Decembris, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum decimo ſexto die Decembris, Anno Domini 1785.

Corpus Statutorum p. 41.

Stat. Tit. VI. Sect. IV. "De Tempore et Exercitiis re-" quiſitis ad Gradus in Jure Civili capeſſendos."

§. 3. *Quot Anni, in audiendo Publico Profeſſore Juris Civilis ponendi, requirantur ad Gradum Doctoris in Jure Civili.*

STATUTUM eſt, quod qui ad Doctoratum in Jure Civili promoveri cupit, ſi poſtquam in Artibus Magiſter fuerit, Gradum Baccalaurei in Jure Civili ſuſceperit, quatuor Annos integros (numerandos a Die ſuæ Admiſſionis ad Gradum prædictum) publicum Prælectorem Juris Civilis audiat, priuſquam ad Incipiendum in eadem Facultate admittatur.

Alioqui, ſi Baccalaureus in Jure fuerit, antequam incipiat in Artibus, (ſive Statutis privati Collegii ſic exigentibus, ſive ſua ipſius optione factum fuerit) quinque Annos integros audiendo publico Profeſſore Juris Civilis ponere teneatur, priuſquam Incipere permittatur.

" Qui vero in Curiis Eccleſiaſticis et Maritimis hujuſce Regni ſe " exercere ſtatuerit; illi conceditur, (modo in Gratia proponenda

"Declaratio ex hac Parte fiat, Juramento etiam ante Admiſſionem
"ad Gradum coram Seniore Procuratore ſancita) ſi Baccalaureus in
"Jure Civili fuerit, ut poſt quatuor Annos integros in Publico Pro-
"feſſore Juris Civilis audiendo poſitos, ad Incipiendum in eadem Fa-
"cultate admittatur."

Formula Juramenti hæc eſto.

Tu jurabis, te hunc Gradum Doctoris ambire eo animo, ut in Numerum et Collegium Advocatorum Londinenſium in Curiis Eccleſiaſticis et Maritimis hujuſce Regni ſe exercentium, bona fide [[g] admittaris; et admiſſus in iiſdem Curiis] te realiter exerceas. Reſp. *Juro.*

De Statuto hoc rogando conſenſerunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpenſa, in terminos convenerunt viceſimo quinto die menſis Maii; publicatum eſt in Domo Congregationis viceſimo octavo die menſis prædicti, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum decimo die menſis Junii, Anno Domini 1789.

Statuta Lecturæ Anglo-Saxonicæ fundatæ per ſpectatiſſimum virum RICARDUM RAWLINSON, *in Jure Civili Doctorem.*

CUM Vir egregius RICARDUS RAWLINSON in Jure Civili Doctor, pro ſummo ejus erga literas affectu, Nobis, Cancellario, Magiſtris et Scholaribus Univerſitatis Oxonienſis, quoſdam Reditus Feodales ſupremis tabulis legavit, ut de eorum proventu Lectura in Lingua Anglo-Saxonica fundaretur, et Prælectorem hujuſmodi Lecturæ, per Domum Convocationis de quinquennio in quinquennium eligendum, legibus ab eadem ſanciendis, in omnibus ad Muneris hujuſce officium pertinentibus, ſubjici voluit;

Statutum eſt,

1. Quod, intra annum ab Electione ſua, dictus Prælector unam

[g] Verba uncis incluſa non habet Regiſtrum Convocationis.

solennem Lecturam sermone vernaculo conceptam, in Schola Philosophiæ Naturalis, præmissa decem dierum publica Monitione, legat in pleno Termino, alioquin toto ejus anni stipendio mulctetur.

2. Quod post primum Annum, Seriem Prælectionum, Lecturas duodecim ad minus complectentem, hora locoque idoneis, habeat in Quadragesima quotannis; nisi gravi infirmitate, aut perurgente causa Vice-Cancellario significanda, et per eum approbanda, fuerit præpeditus, et alium qui vices suas impleat, cum ejusdem consensu, deputaverit.

3. Ordinatum est insuper, quod antequam dicta Prælectionum Series inchoetur, publica unius mensis præmonitio horæ et loci quibus lectio habenda erit, cuique Collegio et Aulæ denuntietur, quodque quatuor Scholaribus a Vice-Cancellario designandis liceat dictis prælectionibus gratis interesse; Prælectori tamen jure reservato tantum pecuniæ ab aliis auditoribus vendicandi, quantum Decreto Domus Convocationis de tempore in tempus statuetur.

4. Mulcta vero completam hujusmodi Prælectionum Seriem non legentis sit toties quoties quinquaginta Libræ, de stipendio ejus subtrahendæ: Cauto, quod quæque Pecuniarum Summa Prælectori, nomine Mulctæ, irrogata, in usum hujusce Fundationis fœnore locetur. Proviso semper quod incusatio Prælectoris non legentis Vice-Cancellario intra annum, antequam stipendium perceperit, deferatur: quodque, post delatam hujusmodi incusationem, onus probandi se Officio suo satisfecisse Prælectori ipsi incumbat.

De Statutis his rogandis consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in terminos septimo die mensis Decembris; publicata sunt in Domo Congregationis die nono ejusdem mensis, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicata et confirmata, decimo quarto die mensis Decembris, Anno Domini 1795.

Statutum novum de augendis Vicariorum quorundam Stipendiis.

QUANDOQUIDEM ſereniſſima Maria, quondam Angliæ Regina, Rectorias quaſdam in certos uſus deſtinatas ſimul cum Jure Patronatus Eccleſiarum iſtarum Academiæ conceſſit:—

Placuit Academiæ ſtatuere et decernere, quotieſcunque ipſi in poſterum viſum fuerit Vicarios ſuos in prædictis Eccleſiis Ope aliqua et Liberalitate ſublevare, et Stipendia eorum auctiora reddere, ſive Pecunia e Ciſta Academica deprompta, ſive parte aliqua ipſius Rectoriæ in Uſus Vicarii conceſſa, ut, ſive in Decreto Convocationis, ſive in Indenturis ad hanc rem ſpectantibus, inſeratur ſemper Clauſula (jam olim in Decreto Convocationis menſ. Novemb. A. D. 1773 uſurpata) per quam palam fiat Augmentationem iſtam Vicario concedi *ea Lege ut aſſidue in Parochia dicta vixerit, et non aliter*.—Proviſo tamen quod hoc Statutum ad præſentes Eccleſiarum prædictarum Vicarios nullo modo pertinere cenſeatur.

De Statuto hoc rogando conſenſerunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpenſa, convenerunt in terminos die triceſimo primo menſis Octobris; relatum eſt in Domo Congregationis die tertio Novembris, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum ſeptimo die Novembris, Anno Domini 1796.

Tit. IX. Sect. II.

Corpus Statutorum p. 71.

De Examinandis Graduum Candidatis.

§. 1. *De Examinatoribus deſignandis, et juramento onerandis per Seniorem Procuratorem.*

QUO innoteſcat certius Congregationi Regentium eruditio, et in bonis literis progreſſus ſingulorum, qui Gradus in Artibus capeſſunt; aut in Jure Civili priuſquam in Artibus inceperint; Statutum

eſt quod unuſquiſque, antequam ad ſupplicandum pro Gratia admittatur, examen ſubeat.

Cum vero, variis de cauſis, antiquus examinandi mos, per Magiſtros neceſſario Regentes, hiſce temporibus minime accommodatus ſit; Voluit et decrevit Academia, quod deſignentur Sex Examinatores Publici, ex eorum numero qui aliquando in Artibus, vel in Jure Civili, inceperint; quorum duo per Vice-Cancellarium, et duo per utrumque Procuratorem, ex ipſorum conſenſu, ſunt nominandi, et deinceps a venerabili Domo Convocationis pariter ac Congregationis approbandi. Et ut omnia in hoc negotio cautius fiant et integrius, iſta nominatio primum quidem in Congregatione Domui ſignificetur; deinde in proxima Congregatione Examinatorum Nomina ſigillatim ſuffragiis Regentium permittantur; et tandem poſt tres dies in frequenti Convocatione, eodem modo, a Domo approbanda demum, ſeu improbanda, proponantur. Cauto ſemper, quod hæc examinantium deſignatio ita fiat, ut duo Examinatores ex eodem Collegio, vel Aula, nunquam ſimul exiſtant.

Ex his ſex Examinatoribus officio ſuo cedant tres quotannis, prima vice ſorte, vel comparatione inter ſeipſos facta; deinde qui eodem munere per duos annos functi fuerint; et ſubrogentur in eorum locum tres alii, quorum unum Vice-Cancellarius, et unum uterque Procurator, ſub forma ſupra definita nominabit. Proviſo ſemper, quod nemo, qui Examinatoris Officio per annum integrum functus fuerit, in idem Officium, niſi poſt annum alterum elapſum, iterum nominetur.

Horum ſit Examinatorum omnes qui Gradus petunt in Artibus, aut in Jure Civili priuſquam in Artibus inceperint, examinare; ita diſtributo inter ſe graviſſimo hoc negotio, ut tres ſaltem unicuique examinationi, (alternis vicibus, quantum fieri poteſt,) ſemper adſint, operamque per totum tempus impigram impendant.

Examinatores intra Scholarum præcinctus, ſingulis diebus examinationis, Procuratoribus abſentibus, Procuratoria auctoritate muniantur, atque inſuper durante officio ſuo (ſicut Magiſtri Scholarum) ſint Regentes ad placitum; et in Domo Congregationis, antequam mu-

nera ſua adeant, per Seniorem Procuratorem juramento onerentur, in hæc verba;

Domine Doctor, vel *Magiſter, tu jurabis, quod munus et officium Examinatoris Publici ſedulo et fideliter pro virili exequeris; quodque ſingulos Candidatos (quorum examinationi intereſſe te contigerit) partim ipſe examinabis, partim ab aliis examinatos audies, Forma et Modo per Statuta requiſitis.* Reſp. *Juro.*

Item tu jurabis, quod nec prece, nec pretio, nec odio, nec amicitia, nec timore, nec ſpe, teſtimonium indigno cuivis perhibebis, dignove denegabis. Reſp. *Juro.*

Item tu jurabis, quod nullo modo revelabis ſuffragium quod vel ipſe tuleris, vel alius quivis Examinator tulerit, de Teſtimonio alicui perhibendo, vel denegando. Reſp. *Juro.*

§. 2. *De Forma et Modo Examinationis.*

Baccalaureorum et nondum Graduatorum Examinationes diſtinctis diebus habeantur. Quibus quidem Examinationibus intereſſe quam plurimos omnium ordinum et graduum Academicos exoptandum maxime et expetendum eſt. Ne vero Auditorum ſit omnino infrequentia, aut Candidatorum turba moleſta et oneroſa, ex iis qui nondum Gradum aliquem adepti ſunt examinabuntur in uno die ſex ſemper, et ſex tantum. Licebit autem (ſi Procuratori Seniori et Examinatoribus ita viſum fuerit) Artium Baccalaureis, aut ſolis, aut cum quovis numero eorum qui eodem gradu inſigniuntur, modo ne plures ſint quam ſex, examen ſubire.

Proviſo, quod poſtremo examinationis die in quovis termino, ſi nequaquam comparari poſſint ſex examinandi, licebit paucioribus quorumcunque graduum Candidatis ſimul examinari.

Examinationis dies præſtituendi poteſtas ſit penes Seniorem Procuratorem; qui ſingulis Examinandis diem certum quo examen ſubire debeant ſub Chirographo ſuo teſtatum aſſignabit, et Examinatores illico de eo certiores faciet, atque inſuper Examinandorum nomina, una cum die aſſignato, referet in Regiſtrum, in eum finem penes ipſum perpetuo adſervandum.

Hac tamen cautione, quod nemini Examinatio cedat pro forma,

qui ſe examinandum ſiſtet ante inchoatum a tempore Matriculationis ſuæ decimum tertium Terminum; exceptis iis quibus indulget Academia ut, integro triennio in ſtudiis Academicis completo, ad Gradum promoveantur.[h] Hiſce omnibus licebit poſt inchoatum nonum Terminum, a tempore Matriculationis ſuæ computandum, examen ſubire.

Inſuper poſt Terminum Hilarii anno 1802 nullus Scholaris in facultate Artium, vel in facultate Juris Civilis, ad examen ſubeundum admittatur, niſi qui intra annum examinationis ſuæ diem immediate præcedentem bis ad minimum Examinationibus nondum Graduatorum ordinariis per integrum tempus interfuerit. Et quo unumquemque huic Statuto ſatisfeciſſe liquido appareat, cujuſque Examinationis, cui interfuerit, dies notetur, Teſtimonio ei perhibito ab uno Examinatorum Publicorum ſub hac forma;

A. B. Examinationi ordinariæ Candidatorum pro Gradibus A. B. et B. J. C. per integrum tempus interfuit.

1mo. (die menſis et anni) *Ita teſtor C. D.*
2do. *E. F.*

Quod quidem Teſtimonium quilibet Candidatus pro Gradu A. B. aut B. J. C. coram Seniore Procuratore teneatur exhibere, priuſquam ei examen ſubeundi licentia concedatur.

Examinationibus quemcunque diem in Termino (modo ne Feſtum) aſſignare fas eſto Procuratori, qui tenetur inſuper de unoquoque Examinationis die Academiam certiorem facere ſchedula monitoria ad portam Refectorii, vel Promptuarii, cujuſque Collegii et Aulæ, ante meridiem diei præcedentis affixa, ſub hac forma;

Examinatio Publica pro Gradu cras habenda eſt.
A. B. Proc. Sen.

Locus Examinandis aſſignatus eſto Schola Metaphyſices. Hora vero, qua ſe examinandos ſiſtent, decima matutina, a qua uſque ad primam pomeridianam, in illo ipſo loco ſemper perdurabunt, atque

[h] Vide Tit. VI. Sect. I. §. 1. Corp. Stat. pp. 24, 25. et App. p. 60.

etiam diutius, si Examinatoribus ita visum fuerit, quousque illis placuerit. Cæterum iis diebus quibus pauciores quam sex examinari per Statuta licuerit, penes Examinatores sit Examinationem ante horam primam pomeridianam terminare.

Artes autem, seu Scientiæ, in quibus examinandi erunt, sint hæ quæ sequuntur; scilicet,—Pro Gradu A. B. Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Moralis Philosophia, et Mathematices ac Physices Elementa.

Pro Gradu B. J. C. Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Moralis Philosophia, Historia, Jurisprudentia, et Mathematices ac Physices Elementa.

Pro Gradu A. M. Mathematice, Physice, Metaphysice, et Historia. Quibus etiam pro hoc Gradu adjiciatur Lingua Hebraica.

Cæterum quod ad hæc attinet, quæ huc usque pro unoquoque Gradu designata sunt, Examinatoribus liberum esto quemlibet Candidatum vel in hisce universis, vel in aliqua parte horum, (prout ipsis satius visum fuerit) examinare. Nihil enim triste aut asperum molimur. Lenitati ubique consultum volumus, modo ne ea sit, quæ Juniorum socordiæ patrocinari videatur.

Instituatur vero semper, et pro omni Gradu, examen in Literis humanioribus, ac speciatim in Scriptoribus Græcis et Romanis, quorum tres ad minimum, melioris ævi et notæ, adhibentor. Examinatoribus insuper explorandum incumbit, qua quisque polleat facultate animi sui sensa lingua Latina explicandi. Id quod explorare poterunt, porrecto aliquo libro, lingua vernacula conscripto, e quo oblatum quemcunque locum lingua Latina reddere Examinatus quisque tenetur; aut alio quocunque demum modo, quo sibi commodius satisfacturos Examinatores probabile est.

Porro in omni Examinatione nunquam non adjiciantur Rudimenta Religionis, et Doctrinæ Articuli in Synodo Londini anno 1562 editi; in quibus, juxta Academiæ Statuta, a Tutoribus instituendi sunt omnes qui illorum tutelæ committuntur.[1]

Proviso semper, quod, in omni hoc Examinationis negotio, licebit aut Latino, aut Anglicano idiomate uti, prout Examinatoribus magis expedire videbitur.

[1] Vid. Tit. III. §. 2. Corp. Statut. p. 10.

Peracta demum cujusque diei Examinatione, alii omnes Schola excedant præter ipsos Examinatores, qui de Candidatis inter se judicium ferent, ac quemcunque dignum invenerint ei Testimonium perhibebunt singuli sub hac forma;

Formula Testimonii Examinatis perbibendi.

A. B. (die mensis et anni) *pro Gradu examinatus, prout Statuta requirunt, satisfecit nobis Examinatoribus.*

Ita testamur { *C. D.* / *E. F.* / *G. H.* }

Quod si forte contingat aliquem hujusmodi Testimonio indignum reperiri, illi nequaquam licebit, nisi post sex menses, huic examini sese iterum subjicere.

Sin denuo indignus reperiatur, denuo etiam in alios sex menses repellatur.

§. 3. *De Officio ac Cura Vice-Cancellarii et Procuratorum circa Examinationes; et de Examinatoribus remunerandis.*

Quo Statuta hæc de examinandis Candidatis in futurum sancte et inviolabiliter observentur, Statutum est, quod unoquoque Termino, Vice-Cancellarius saltem bis, Procuratores vero, singuli quater ad minimum, Examinationibus istis intersint, exploraturi utrum omnia rite et secundum Statuta peragantur.

Si quis vero Examinator (quod absit) in gravissimo hoc munere obeundo ita se gesserit ut, ex Vice-Cancellarii, vel amborum Procuratorum, judicio, neque Matris Academiæ dignitati, neque juramenti sui obligationi satisfecerit; vel si fatis concesserit; vel se officio suo abdicaverit; alius in ejus locum, qui vices ejus suppleat in partem biennii nondum elapsam, aut a Vice-Cancellario, aut ab uno Procuratorum pro tempore existentium, (Seniore scilicet, vel Juniore, prout ab alterutro nominatus fuerat,) forma supra præfinita, continuo subrogetur.

Et quo Examinatoribus accedant non modo Gratiæ, quas illis usque aget habebitque Academia maximas, sed et remunerationes quædam pecuniariæ, Statutum est, quod Candidatus unusquisque, cum

inter examinandos refertur a Procuratore, perſolvet viginti Solidos; et quod hæ pecuniæ (exceptis tribus Solidis, in Famuli Procuratoris uſum, viritim pro numero examinandorum quoque Examinationis die reſervandis,) a Procuratore ad Vice-Cancellarium deferantur; qui aliis inſuper, quantum opus fuerit, e Ciſta Academica Pecuniis depromptis, id ſemper curabit, ut unicuique Examinatori annua quinquaginta librarum Penſio perſolvatur.

§. 4. *De Examinationibus quibuſdam extraordinariis, loco præcedentium, pro gradu A. B. et B. J. C. habendis; et de iis diſtinguendis qui ſe Examinatoribus præ cæteris commendaverint.*

Cum menti humanæ ad vires ſuas et facultates explicandas nihil magis incitamento ſit quam honeſta æmulatio; cumque iſtiuſmodi æmulationem publica quadam obſervantia et indulgentia, quaſi præmiis in medio poſitis, accendi quam maxime et foveri æquum ſit; Statutum eſt, quod in tertia Termini Paſchatis hebdomada (et in ſequenti etiam hebdomada, ſi res poſtulaverit) annuatim habeantur Scholarium in facultate Artium, et in facultate Juris Civilis, Examinationes quædam extraordinariæ. Harum vero Examinationum eadem plane materies eſto, quæ in Examinationibus ordinariis pro Gradu A. B. et B. J. C. ſupra deſignata eſt, cujus nullam omnino partem in Examinationibus extraordinariis prætermitti volumus.

Hiſce Examinationibus, a principio earum uſque ad finem, ſinguli ſex Examinatores intereſſe omnino teneantur. Quod ſi quibus obfuerit infirmior valetudo, quæ ſola fere rationabilis abſentiæ cauſa habenda eſt, at reliqui tamen, modo ne pauciores ſint quam quatuor, ad Examinationes haſce extraordinarias habendas ſufficiant.

Cuivis autem Scholari in facultate Artium, aut in facultate Juris Civilis, qui Terminum duodecimum inierit, nec decimum ſextum compleverit, examen hoc ſubire fas eſto; modo ante ſex dies in Regiſtrum quoddam peculiare, hunc in finem penes Seniorem Procuratorem perpetuo adſervandum, nomen ſuum inferendum curaverit, et Teſtimonio exhibito ſe Examinationibus nondum Graduatorum ordinariis, prout Statuta requirunt, bis interfuiſſe comprobaverit. Proviſo ſemper, quod licebit iis quibus indulget Academia ut, integro

triennio in ſtudiis Academicis completo, ad Gradum promoveantur, poſt inchoatum octavum terminum a tempore Matriculationis ſuæ, ſi ita voluerint, huic Examinationi ſe ſubjicere.

Examinatis vero omnibus, qui hoc modo ſeſe obtulerint, Examinatores, ſepoſitis omnino amicitia et odio, timore ac ſpe, et deliberatione mature et ſecreto habita, de Candidatis inter ſe judicium ferent. Et quos, dictante conſcientia, in Rudimentis Religionis, in Artibus, ſeu Scientiis, per Statuta deſignatis, et in Literis humanioribus, progreſſus maxime laudabiles feciſſe judicaverint, eorum nomina, modo ne plura ſint quam duodecim, in Schedula quadam deſcribi curabunt, ſuo quodque numero et juſto ordine diſpoſitum, ita ut illico, conſpecta Schedula, ex ipſo loco quem teneant ſinguli meritorum æſtimatio fiat.

Quod ſi fortaſſe in Schedula hac paranda et ordinanda Examinatores pari utrinque ſuffragiorum numero in diverſas ſententias abierint, ea demum ſententia rata eſto, pro qua ſteterit Examinator Senior. Quæ quidem Senioritas hoc modo æſtimanda eſt; ſcilicet—

Corpus Statutorum p. 129. Doctorum, juxta Ordinationes Tit. XI. §. 2. Baccalaureorum vero in quavis facultate pariter ac Magiſtrorum, juxta prioritatem præſentationis ſuæ ad Gradum Magiſtri in Artibus.

Hanc demum Schedulam, propriis omnium Examinatorum nominibus ſignatam, in Domo Congregationis palam recitabit Examinator Senior, ſub hac forma; SCHOLARES FACULTATIS ARTIUM (vel, SCHOLARES FACULTATIS ARTIUM, ET STUDIOSI IN JURE CIVILI,) QUI SE EXAMINATORIBUS PUBLICIS MAXIME COMMENDAVERUNT; (*ſequantur deinde Nomina ſeriatim*;) ac deinceps Schedulam iſtam ſub eadem forma typis mandatam ad Dominum Cancellarium, ad ſingulos Collegiorum et Aularum Præfectos, ad utrumque Procuratorem, ad Bibliothecam Bodleianam, necnon ad cujuſlibet Collegii et Aulæ Refectorium et Bibliothecam, curabit deferri.

Voluit inſuper et decrevit Academia, quod cum iſtis Candidatis, quorum nomina quovis anno, Examinatores, ſub forma ſupra definita, venerabili Congregationis Domui renunciaverint, pro omnibus Exercitiis ad Gradum A. B. ſive B. J. C. requiſitis, quæ nondum præſtiterint, et cum Scholaribus in facultate Artium etiam pro De-

terminatione Quadragefimali, ipfo facto difpenfatum erit; et præfenti hoc Statuto difpenfatum efto. Proponantur itaque Gratiæ eorum, nullo Teftimonio prius recitato,[k] fub his quæ fequuntur formis;

Pro Gradu A. B.

Supplicat &c. A. B. Scholaris facultatis Artium e Coll. A. in quo, non in domo aliqua privata, per integrum tempus ad Gradum Baccalaurei in Artibus per Statuta requifitum, ipfum cubile et victum continuo fumpfiffe fcio; [vel, *fi tempus non in uno aliquo Collegio vel Aula compleverit*, in quo partim, partim in Collegio, vel Aula A. &c.] quatenus XVI Terminos in ftudio Dialecticæ et aliarum Artium juxta Statuta pofuerit, publicos Artium Prælectores diligenter audiverit, Difputationes per Statuta requifitas frequentaverit; per Examinatores Publicos venerabili huic Domui, inter illos qui in Rudimentis Religionis, in Artibus feu Scientiis per Statuta requifitis, et in Literis humanioribus, progreffus maxime laudabiles fecerint, palam renunciatus fuerit; et reliqua compleverit omnia quæ per Statuta Univerfitatis requiruntur, nifi quatenus fecum difpenfatum fuerit; ut hæc fibi fufficiant quo admittatur SIMPLICITER ad Gradum Baccalaurei in Artibus.

Pro Gradu B. J. C.

Supplicat, &c. A. B. Scholaris in facultate Juris e Coll. A. in quo, non in domo aliqua privata, per integrum tempus ad Gradum Baccalaurei in Jure Civili per Statuta requifitum, ipfum cubile et victum continuo fumpfiffe fcio; [vel, *fi tempus non in uno aliquo Collegio vel Aula compleverit*, in quo partim, partim in Collegio, vel Aula A. &c.] quatenus, poft biennium pofitum in ftudio Dialecticæ, Moralis Philofophiæ, et Politicæ, aliarumque humaniorum Literarum, et in audiendis Lecturis fibi per Statuta Univerfitatis deftinatis, quinque annos in ftudio Juris Civilis pofuerit; per Examinatores Publicos venerabili huic Domui, inter illos qui in Rudimentis Religionis, in Artibus feu Scientiis per Statuta requifitis, et in Literis humanioribus, progreffus maxime laudabiles fecerint, palam renunciatus fuerit; et reliqua compleverit omnia, quæ per Statuta Univerfitatis requiruntur, nifi quatenus fecum difpenfatum fuerit; ut hæc fibi fufficiant quo admittatur ad Gradum Baccalaurei in Jure Civili.

[k] Vide Tit. IX. Sect. III. §. 1. Corp. Stat. p. 76.

Si non inceperit in Artibus, et per Statuta Collegii ſui, ſtatim a primo ad Academiam adventu, Juris Studio deputatus fuerit.

Supplicat, &c. A. B. Scholaris in Facultate Juris e Collegio N. quatenus Lecturas ſibi per Statuta Univerſitatis deſtinatas diligenter audiverit; quinque annos in ſtudio Juris Civilis poſuerit; publicum Profeſſorem &c. ut ſupra.

Porro ſi in Examinationibus hiſce extraordinariis, poſt hunc duodecim Candidatorum numerum expletum, alii etiam extiterint qui ſe Examinatoribus EGREGIE commendaverint, fiat etiam altera Schedula, ad rationem prioris Schedulæ ordinata, ſub hac forma; SCHOLARES FACULTATIS ARTIUM, (vel, SCHOLARES FACULTATIS ARTIUM, et STUDIOSI IN JURE CIVILI,) QUI SE EXAMINATORIBUS PUBLICIS EGREGIE COMMENDAVERUNT; et ſub eadem forma in Domo Congregationis ab Examinatore Seniore recitetur; (quæ quidem recitatio locum Teſtimonii ante Gratiæ petitionem exhibendi ſupplere cenſeatur[1];) deinde et hæc Schedula typis mandetur, et ad Dominum Cancellarium, ad ſingulos Collegiorum et Aularum Præfectos, ad utrumque Procuratorem, ad Bibliothecam Bodleianam, necnon ad cujuſlibet Collegii et Aulæ Refectorium et Bibliothecam deferatur.

Neminem vero in alterutram harum Schedularum referri volumus, qui aut Literas humaniores, aut unam aliquam ex Artibus, ſeu Scientiis, in quibus examinandus fuerat, manifeſto neglexerit, utcunque cæteros Candidatos ex reliqua parte longe poſt ſe reliquerit.

Meminerint autem ſemper Examinatores, et hanc ſibi ſanctam habeant juramenti ſui interpretationem, neminem, in ipſis Examinationibus ordinariis, pro *digno* habendum eſſe, nedum in alterutram harum Schedularum referendum, qui Rudimenta Religionis neglexiſſe deprehenſus fuerit.

Ordinatum eſt inſuper, quod hæc Examinatorum Publicorum nominatio per Vice-Cancellarium et Procuratores Termino Hilarii, in Congregatione poſt Diem Cinerum proxime habenda, annuatim Domui ſignificabitur; deinde in proxima Congregatione Examinatorum

[1] Vide Tit. IX. Sect. III. §. 1. Corp. Stat. p. 76.

nomina ſigillatim ſuffragiis Regentium permittentur; et tandem poſt tres dies in frequenti Convocatione, eodem modo, a Domo approbanda demum, ſeu improbanda; proponentur.

Significetur igitur Regentibus prima Sex Examinatorum Publicorum nominatio in Congregatione poſt Diem Cinerum anno 1801 proxime habenda, et deinceps peragantur etiam reliqua quæ ad illorum deſignationem ſpectant, prout ſuperius ordinatum eſt. Cætera quod attinet, Statuta hæc vim et vigorem ſuum non obtinebunt ante decimum diem Octobris ejuſdem anni; quo quidem die, perpetuis futuris temporibus, Examinatores Termino Hilarii annuatim de novo deſignati munus ſuum inibunt. Interim antiquus examinandi modus obtineat.

Noverint autem univerſi, quod poſt diem trigeſimum a confirmatis his Statutis per venerabilem Domum Convocationis, nemini, quacunque de cauſa, Examinatio cedat pro forma, qui ſe examinandum ſiſtet ante inchoatum a tempore Matriculationis ſuæ decimum tertium Terminum; exceptis iis quibus indulget Academia ut, integro triennio in ſtudiis Academicis completo, ad Gradum promoveantur; atque exceptis inſuper iis qui in Termino Paſchatis, modo ſupra præfinito, ſe ſiſtant examinandos.

Denique Statutum eſt, quod Examinationum omnium (cujuſcunque demum generis fuerint, ſive ordinariæ, ſive extraordinariæ) Regiſtrum peculiare, penes Examinatores, in Schola Metaphyſices adſervetur, ad quod, ſi in Congregatione Regentium de hac re quæſtio aliquando oriatur, perpetuo poſſit appellari. [m]

De Statutis his rogandis conſenſerunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpenſa, convenerunt in terminos die duodecimo menſis Maii; publicata ſunt in Domo Congregationis die decimo ſeptimo ejuſdem menſis Maii, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicata et confirmata viceſimo primo die ejuſdem menſis Maii, Anno Domini 1800.

[m] Vide Statutum novum De Examinandis Graduum Candidatis in convocatione publicatum et confirmatum 16° Junii, A. D. 1807. Vid. etiam Clauſulam novam ad Sect. II. §. 3. in Convocatione confirmatam 1° Martii, A. D. 1809.

Tit. IX. "De Congregationibus Magiſtrorum " Regentium."

Corpus Statutorum p. 76

SECTIO III.

DE GRATIIS PETENDIS.

§. 1. *Conditiones prævia ad petitionem Gratiæ ex parte Supplicis.*

STATUTUM eſt, primo, [m] ne cujuſquam Gratia in Venerabili Domo Congregationis proponatur, niſi qui eo ipſo tempore in Matricula Univerſitatis nomen inſcriptum habeat; et, a tempore Matriculationis ſuæ, Annos ad primum quem ambit Gradum requiſitos compleverit; quique alicujus Collegii vel Aulæ Alumnus cenſeatur.

Deinde requiritur, ut quilibet Candidatus, ſive pro Gradu aliquo ſupplicans, non ſolum ſit probis moribus, et omnia ad Gradum requiſita recte compleverit; verum etiam (ſi Gradum in Artibus capeſſat, vel in Juriſprudentia, ſecundum Statuta quorundam Collegiorum, antequam in Artibus inceperit) ut ſecundum Statuta debitum Examen ſubierit, et ab Examinatoribus Teſtimonium reportaverit, a Magiſtro Gratiam ipſius proponente, ante Gratiæ petitionem, vel a Magiſtro præſentante, (ſi Candidatus pro Gratia non ſupplicet) ante præſentationem, palam in Domo Congregationis recitandum.

Ac inſuper, ut in Scholæ Theologicæ Proſcholio, ſtatim a ceſſatione pulſationis Campanæ, ſingulis diebus quibus Gratia proponetur, Habitu Gradui competente, et nudato capite, durante toto tempore Congregationum ſe præſentem ſiſtat.

Quodque, inter ſupplicandum, ſuis duntaxat viribus et meritis nitatur; [n] nec prece, nec pretio, nec muneribus aut promiſſis, pacto aut conditione, gratiam aut favorem cujuſquam captet; nec Magnatum literis, ut quicquam ſibi pro Forma requiſitum condonetur aut

[m] KK. 308. b.

[n] A. 86. a. et 105. b. B. 58. a. C. 64.

indulgeatur, fatagat; cujufmodi ambitus fi convictus fuerit, eo ipfo inhabilis ad omnem ulteriorem gradum Scholafticum habeatur.

§. 2. *Conditiones proponendi Gratias.*

STATUTUM eft, [o] quod nemo Magiftrorum Gratiam vel Difpenfationem quamcunque cujufquam pro Gradu fupplicantis proponat, nifi fuerit ejufdem Collegii vel Aulæ, cujus is eft qui fupplicat; præterquam Procuratorum alter, vel alius, cui Vice-Cancellarius licentiam proponendi concefferit.

Cum vero Collegium unumquodque et Aulam Moribus fuorum invigilare oporteat, ac præ aliis cavere, ne qui indigni funt Gradus ambire præfumant; Statutum eft, quod nemo, quacunque de caufa, Gratiam cujufquam in Domo Congregationis proponat, nifi prius Candidatum fuum Gratiam pro Gradu quem ambit a Collegio fuo, vel Aula fua, obtinuiffe teftatus fuerit fub hac forma;

Ego A. B. Decanus, vel Cenfor, Collegii, vel Aulæ, C. D. [vel Decani, aut Cenforis, vicem-gerens] teftor E. F. Gratiam a Collegio fuo, vel Aula fua, pro Gradu G. H. conceffam fuiffe, fide mea data huic Univerfitati.

Statutum eft infuper, quod nemo Gratiam cujufquam qui Examen fubire debuerit unquam proponat, nifi prius Teftimonium Examinatorum de Candidato fuo palam in Domo Congregationis recitaverit. Quod fi non commorans fuerit, qui Gradum in aliqua e fuperioribus Facultatibus ambit; nemo Gratiam hujufmodi, fub pœna perjurii, proponere præfumat; nifi prius Literas Teftimoniales ab Epifcopo Diœcefeos, ubi degit Candidatus, fignatas, de conformitate ipfius tum quoad Doctrinam, tum quoad Difciplinam in Ecclefia Anglicana receptam, palam in Domo Congregationis recitaverit. Ac poftmodo e Schedula quadam, formam five tenorem Gratiæ continente, Supplicantis nomen, necnon Collegii five Aulæ, unde fuerit, exprimet. Et fi non Graduatus fuerit, cujus Gratia proponitur, quod per integrum tempus ad talem Gradum per Statuta requifitum in eo Collegio vel Aula, (vel alio quopiam) non in Domo privata cujufpiam, victitaverit, et hofpitatus fuerit.

[o] KK. 308. b.

[p] Item quod plures Gratiæ simul seu confuse eodem tempore non proponantur: sed uniuscujusque Personæ supplicantis Nomen et Prænomen distincte ac divisim recitentur.

Item quod eadem Gratia sæpius in eadem Congregatione non proponatur.

Item [q] quod Gratia sit vera, hoc est, vera intentione, et non animo deludendi, prolata vel petita. Et quod proximis quibusque et immediate sequentibus Congregationibus Supplicationem sub eadem forma continuet, donec Grat a concessa vel denegata penitus fuerit. Et postremo, [r] quod in singulis Congregationibus quota vice, prima, secunda, tertia, quartave supplicetur, publice recenseat.

§. 3. *Formula generalis petendi Gratias.*

CONSUETUDO etiam est, quod Magister, pro alicujus Gratia vel Dispensatione supplicans, in medium prodeat; et facta debita coram Cancellario et Procuratoribus reverentia, Petitionem suam e Schedula recitet; inque eodem loco stans permaneat, quoad quid de Petitione sua factum fuerit intelligat: Recitata autem sive proposita Supplicatione, Procuratores, a Sellis exurgentes, primo Cancellarii votum conjunctim perscrutentur, quo secreto in eorum aures, vel per aliquod signum externum, deposito, mox a se invicem divisi, ad alios Doctores (si qui adfuerint) utrinque Cancellario assidentes, se conferant, eorum itidem suffragia excepturi: Et deinceps, aliorum Magistrorum, ad utramque Domus partem considentium, vota singulatim et accurate exquirent. Quibus peractis, Procuratores ad loca sua revertantur, ubi stantes de scrutinio hujusmodi inter se diligenter conferant; et pro numero sive ratione suffragiorum, in verbo *placet*, vel *non placet*, per eosdem exceptorum, ex Supplicantis Schedula eandem Gratiam sive Dispensationem Procuratorum alter verbatim, si concessa fuerit, recitet, vel non concessam ante quartam vicem silentio tantum indicet; quarta autem vice, si non concessa fuerit, palam pronuntietur negata. Magister autem Supplicans ad locum suum, unde prius prodierat, se recipiat.

[p] C. 108. a. [q] KK. 197. b. [r] KK. 308. b.

§. 4. *Formulæ ſpeciales Gratiarum ad ſingulos Gradus pertinentium.*

Pro Baccalaureo in Artibus.[s]

SUPPLICAT Venerabili Congregationi Doctorum et Magiſtrorum Regentium A. B. Scholaris Facultatis Artium e Collegio C. in quo, non in Domo aliqua privata, per integrum tempus ad Gradum Baccalaurei in Artibus per Statuta requiſitum, ipſum cubile et victum continuo ſumpſiſſe ſcio (vel, ſi tempus non in uno aliquo Collegio vel Aula compleverit, In quo partim, partim in Collegio vel Aula A.)[t] quatenus XVI Terminos in ſtudio Dialecticæ et aliarum Artium juxta Statuta poſuerit: publicos Artium Prælectores diligenter audiverit; Diſputationes per Statuta requiſitas frequentaverit: ſemel Generalis creatus fuerit: bis ſub Baccalaureo in Quadrageſima reſponderit, et reliqua compleverit omnia, quæ per Statuta Univerſitatis requiruntur; ut hæc ſibi ſufficiant, quo admittatur ad Lectionem cujuſlibet libri Logices Ariſtotelis, et inſuper earum Artium, quas et quatenus, per Statuta, tenetur audiviſſe.

Si plures fuerint; tunc, Supplicant ſub eadem Forma, primo vel ſecundo, &c. B. C. &c.

Si ſit filius Baronis, in ſuperiori Parliamenti Domo ſuffragii jus habentis; aut Baronetti, vel Equitis Aurati filius natu maximus, &c. Supplicat &c. A. B. filius &c. Scholaris Facultatis Artium &c. e Collegio C. &c. quatenus duodecim Terminos in ſtudio, &c. ut ſupra.

Si quis ſuper aliquo diſpenſabili per Domum Congregationis Diſpenſationem obtinuerit, Supplicat, &c. ut ſupra. Et reliqua compleverit omnia, quæ per Statuta Univerſitatis requiruntur, niſi quatenus cum eo diſpenſatum fuerit, &c.

Pro Gradu Inceptoris in Artibus.[u]

Supplicat, &c. A. B. Baccalaureus Facultatis Artium ex Aula A.

[s] Gratia pro Baccalaureo in Artibus de novo enacta 22 Junii, A. D. 1808. +

[t] Tit. VI. Sect. I. §. 1. 2. Corp. Stat. pp. 24, 25.

[u] Gratia pro Gradu Inceptoris in Artibus de novo enacta 22 Junii, A. D. 1808.

de novo enacta Mar. 3 1828 · v. p. 239.
Mar 6. 1828 v. p.

[x] quatenus XII Terminos in ſtudio Philoſophiæ et aliarum Artium juxta Statuta poſuerit, publicos Lectores diligenter audiverit, Diſputationes per Statuta requiſitas frequentaverit; in Quadrageſima determinaverit; in Quodlibeticis reſponderit; in Auguſtinenſibus reſponderit, vel oppoſuerit; ſex ſolennes Lectiones, et binas Declamationes pro Forma habuerit: reliquaque compleverit omnia, quæ per Statuta requiruntur; ut hæc ſibi ſufficiant, quo admittatur ad Incipiendum in eadem Facultate.

Pro Gradu Baccalaurei in Muſica.

Supplicat, &c. A. B. Scholaris in Muſica, e Collegio L. [y]quatenus VII annos in ſtudio vel praxi Muſices poſuerit, et unum Canticum V partium in Schola Muſices ediderit; et reliqua præſtiterit, quæ per Statuta requiruntur, (niſi quatenus cum eo diſpenſatum fuerit) ut hæc ſibi ſufficiant, quo admittatur ad Lectionem cujuſlibet libri Boethii.

Pro Gradu Inceptoris in Muſica.

Supplicat A. B. Baccalaureus Muſicæ, [z]quatenus, a tempore ſuſcepti Gradus Baccalaureatus ſui, V annos in ſtudio vel praxi Muſices poſuerit; unum Canticum VI vel VIII partium in Schola Muſices ediderit; et cætera præſtiterit omnia, quæ per Statuta requiruntur, (niſi quatenus cum eo diſpenſatum fuerit) ut hæc ſibi ſufficiant, quo admittatur ad Incipiendum in eadem Facultate.

Pro Gradu Baccalaurei in Medicina.

Supplicat A. B. Magiſter Facultatis Artium, e Collegio M. &c. [a] quatenus tres annos a ſuſcepto Magiſterii Gradu in ſtudio Medicinæ poſuerit; publicum Prælectorem diligenter audiverit; in Schola Medicinæ pro Forma reſponderit, et oppoſuerit; et reliqua omnia præſtiterit, quæ per Statuta requiruntur, (niſi quatenus ſecum diſpenſatum fuerit) ut hæc ſibi ſufficiant, quo admittatur ad Lectionem cujuſlibet libri Aphoriſmorum Hippocratis.

annum integrum ab admissione sua ad legendum p. 106.

[x] Tit. VI. Sect. II. §. 1. 2. Corp. Stat. pp. 29, 30.
[y] Tit. VI. Sect. III. §. 1. 2. Corp. Stat. p. 39.
[z] Tit. VI. Sect. III. §. 3. 4. Corp. Stat. pp. 39, 40.
[a] Tit. VI. Sect. V. §. 1. 2. Corp. Stat. pp. 42, 43.

Pro Gradu Inceptoris in Medicina.

Supplicat, &c. A. B. Medicinæ Baccalaureus e Collegio N. [b] quatenus poſt ſuſceptum Gradum Baccalaurei in Medicina, IV Annos in ſtudio Medicinæ poſuerit; publicum Prælectorem diligenter audiverit, Prælectiones in Schola Medicinæ pro Forma habuerit; et reliqua omnia præſtiterit, quæ per Statuta requiruntur, (niſi quatenus &c.) ut hæc ſibi ſufficiant ad Incipiendum in eadem Facultate.

tres annos v. p. 106

Pro Gradu Baccalaurei Juris Civilis.

Supplicat, &c. A. B. Magiſter Facultatis Artium, e Collegio O. [c] quatenus tres annos, a tempore Admiſſionis ſuæ ad Regendum, in ſtudio Juris Civilis poſuerit; publicum Profeſſorem diligenter audiverit; in Schola Juriſprudentiæ pro Forma ſemel reſponderit, et bis oppoſuerit; et reliqua præſtiterit omnia, quæ per Statuta requiruntur; ut hæc ſibi ſufficiant, quo admittatur ad Lectionem cujuſlibet Libri Inſtitutionum Imperialium.

Si non Inceperit in Artibus, nec per Statuta Collegii ſui Juris ſtudio deputatus fuerit.

Supplicat, &c. A. B. Scholaris in Facultate Juris ex Aula A. in qua, non in domo aliqua privata, per integrum tempus ad Gradum Baccalaurei in Jure Civili, per Statuta requiſitum, ipſum cubile et victum continuo ſumpſiſſe ſcio; [vel, ſi tempus non in uno aliquo Collegio vel Aula compleverit, In qua partim, partim in Collegio vel Aula A.] [d] quatenus, poſt biennium poſitum in ſtudio Dialecticæ, Moralis Philoſophiæ, et Politicæ, aliarumque humaniorum Literarum, et in audiendis Lecturis ſibi per Statuta Univerſitatis deſtinatis, quinque annos in ſtudio Juris Civilis poſuerit; &c. ut ſupra.

[b] Tit. VI. Sect. V. §. 3. 4. Corp. Stat. p. 43.

[c] Tit. VI. Sect. IV. §. 1. 2. Corp. Stat. pp. 40, 41.

[d] Tit. VI. Sect. IV. §. 1. Corp. Stat. p. 40.

Si non Inceperit in Artibus, et per Statuta Collegii ſui, ſtatim a primo ad Academiam adventu, Juris ſtudio deputatus fuerit.

Supplicat, &c. A. B. Scholaris in Facultate Juris e Collegio N. [e] quatenus Lectᵾras ſibi per Statuta Univerſitatis deſtinatas diligenter audiverit; quinque annos in ſtudio Juris Civilis poſuerit; publicum Profeſſorem &c. ut ſupra.

Pro Gradu Inceptoris in Jure Civili.

Supplicat, &c. B. C. Baccalaureus in Jure Civili e Collegio M. [f] quatenus, a ſuſcepto Baccalaureatus Gradu, quatuor annos in ſtudio Juris Civilis poſuerit; publicum Prælectorem diligenter audiverit; Lectiones pro Forma in Schola Juriſprudentiæ habuerit; reliquaque præſtiterit omnia, quæ per Statuta requiruntur; ut hæc ſibi ſufficiant, quo admittatur ad Incipiendum in eadem Facultate.

Si non Inceperit in Artibus, priuſquam Baccalaureus in Jure foret.

Supplicat, &c. B. C. Baccalaureus in Jure Civili e Collegio N. [g] quatenus &c. quinque annos in Studio Juris Civilis, &c.

Pro Gradu Baccalaurei in S. Theologia.

Supplicat, &c. A. B. Magiſter Facultatis Artium e Collegio T. [h] quatenus ſeptem annos a tempore Admiſſionis ſuæ ad Regendum in ſtudio S. Theologiæ poſuerit; publicum Profeſſorem diligenter audiverit; in Schola Theologica pro Forma ſemel reſponderit, et bis oppoſuerit; Concionem Latinam pro Forma habuerit; et reliqua præſtiterit omnia, quæ per Statuta requiruntur; ut hæc ſibi ſufficiant, quo admittatur ad Lectionem alicujus Epiſtolarum Divi Pauli.

[e] Tit. IV. Sect. I. §. 11. Corp. Stat. p. 16. et Tit. VI. Sect. IV. §. 1. Corp. Stat. p. 40.

[f] Tit. VI. Sect. IV. §. 3. 4. Corp. Stat. pp. 41, 42.

[g] Tit. VI. Sect. IV. §. 3. Corp. Stat. p. 41.

[h] Tit. VI. Sect. VI. §. 1. 2. Corp. Stat. p. 44.

Pro Gradu Inceptoris in Theologia.

Supplicat, &c. A. B. Sacræ Theologiæ Baccalaureus e Collegio E. [i] quatenus, a fuscepto Baccalaureatus Gradu in S. Theologia, quatuor annos integros in eadem Facultate pofuerit; publicum Prælectorem diligenter audiverit; in Schola Theologica pro Forma fex folennes Lectiones, vel tres ad minimum Curforias, habuerit; et reliqua præftiterit omnia, quæ per Statuta requiruntur; ut hæc fibi fufficiant, quo admittatur ad Incipiendum in eadem Facultate.

Si in aliqua Facultate quis Gradum Baccalaurei et Doctoris cumulare cupit.

Supplicat, &c. A. B. quatenus—annos in ftudio—pofuerit; pro Gradibus cumulandis, fecum per Venerabilem Domum Convocationis difpenfatum fuerit; Gratiam ad Lectiones pro Forma habendas in hac Venerabili Domo adeptus fit; pro Forma in Schola—legerit; cæteraque omnia compleverit, quæ per Statuta requiruntur; ut hæc fibi fufficiant, quo—&c.

§. 5. *De Gratiis fimpliciter concedendis vel negandis.*

QUONIAM factiofi homines nonnunquam, fpreta Jurisjurandi Religione, conjurant inter fe adverfus Supplicantes, quos Vitæ ac Eruditionis merita commendant; nec iis Gratias concedere volunt, nifi indignis etiam eadem Gratia fiat; Statutum eft, [k] quod quilibet Regens, Gratiam conceffurus vel negaturus, abfque comparatione vel relatione Gratiæ ad Gratiam, et abfque aliqua conditione interpofita, fimpliciter et abfolute, eandem vel concedat, vel deneget: Quodque fiquis fecus fecerit, illius votum vel fuffragium pro nullo habeatur.

Si quis autem pro Gratia concedenda munus aliquod exegiffe, vel recepiffe, (mediate vel immediate) convictus fuerit, a Domo Congregationis perpetuo fit exclufus: et duplum illius, quod fic receperit vel exegerit, ad ufum Univerfitatis folvere teneatur.

[i] Tit. VI. Sect. VI. §. 3. 4. Corp. Stat. p. 45.

[k] A. 62. b. B. 58. b. C. 27. a. D. 23. b.

§. 6. *De suffragiis, in concedendis vel negandis Gratiis, non revelandis.*

STATUTUM est, [l] quod Magister quilibet in Gratia concedenda, vel deneganda, suffragium suum Procuratoris auri insusurrabit, ita ut alius nemo exaudiat; quodque nec verbo, nutu vel signo, quo illius propositum aliis innotescat, indicium faciat; nec cuiquam antea vel postea denunciet, sub pœna, si secus fecerit, exclusionis perpetuæ a Domo Congregationis.

Quodque Procuratores neminem, qui Gratiam concesserit vel denegaverit, quoquo modo revelare virtute Juramenti teneantur.

§. 7. *De causa Gratiæ ter negatæ ostendenda, statim post tertiam Congregationem finitam.*

CUM vetera [m] Statuta singulis Magistris Regentibus eam concedant libertatem, ut quivis, si modo velit, pro arbitrio suo, ter cujusquam Gratiam, suspendendo, denegare possit: Ordinatum est, quod, quoticscunque Gratia aliqua, tertio petita, vel ab uno vel a pluribus denegabitur, denegationis causa Vice-Cancellario et Procuratoribus eodem die ostendetur; et probationes coram eisdem summarie proferentur; quæ causa, et probatio ejusdem, celato nomine objicientis, in proxima Congregatione publicabitur; et, si Vice-Cancellario, Procuratoribus, et majori parti Regentium justa videbitur, tum Gratia denegata censebitur; et qui supplicavit, per Annum integrum ad denuo supplicandum inhabilis reddetur.

Quod si causa allegata minus justa aut probabilis videatur, Gratia quarto proposita pro concessa habeatur, nisi Cancellario, aut Procuratoribus, aut majori parti Regentium videbitur, aliam ob causam, deneganda.

§. 8. *Formula pronuntiandi Gratias concessas.*

STATUTUM est, quod, [n] prout antiquitus fieri consuevit, cum alicujus Gratia concessa fuerit, Schedula, ex qua petebatur, in manus alterius Procuratoris (cui Gratiam concessam pronuntiare incum-

[l] B. 59. a. C. 63. b. [m] L. 236. b. [n] B. 58. b. C. 63. b.

bit) ab eo qui petiit tradita, Procurator loco ſuo ſtans, juxta Schedulæ tenorem, de verbo ad verbum, et juxta uniuſcujuſque Perſonæ (ſi plures fuerint) ſupplicationem, Gratiam recitet, in hanc formam, *Gratia petita eſt iſta*; *Supplicat, &c.* deinde Gratiam conceſſam ſub hac forma pronuntiet: *Hæc Gratia conceſſa eſt ſimpliciter, et ſic pronuntiamus conceſſam.*

Quod ſi ſit pro Baccalaureo in Artibus, *Pronuntiamus conceſſam, modo determinaverit proxima Quadrageſima*; niſi, ex ſpeciali aliqua ratione, Gratiam conceſſam ſimpliciter Procuratori pronuntiare videbitur.

Si ſit Gratia Inceptoris in qualibet Facultate, *Pronuntiamus conceſſam, modo ſteterit in proximis Comitiis.*

Si fuerit Gratia Inceptoris in Muſica, *Pronuntiamus conceſſam, modo ſteterit in proximis Comitiis, et unum Canticum* VI *vel* VIII *partium in iiſdem Comitiis exhibuerit.*

Si ſit Gratia licentiandi ad Praxin Chirurgiæ, *Pronuntiamus conceſſam, modo quatuor ſaltem pauperes gratis et intuitu Caritatis curet, cum ad hoc ab iis fuerit requiſitus.*[o]

SECTIO IV.

DE DISPENSATIONIBUS.

§. 1. *De Diſpenſationibus in Venerabili Domo Congregationis proponendis. Formula ſupplicandi.*

CUM juſta quandoque impedimenta interveniant, quo minus ea omnia, quæ ad Gradus et alia Exercitia Univerſitatis requiruntur, modo et forma per Statuta requiſitis, rite peragantur; conſuevit Congregatio Regentium in hujuſmodi cauſis cum perſonis aliquibus in materia diſpenſabili aliquoties gratioſe diſpenſare.

Formula ſupplicandi hæc eſt; Magiſter, qui e Schedula Diſpenſationem petit, (impetrata prius a Vice-Cancellario et Procuratori-

[o] B. 58. b. C. 63. b.

bus licentia) nomen Supplicantis, ejusque conditionem, et Collegium vel Aulam ubi commoratur, et id, in quo secum dispensari cupit, cum una speciali causa, exprimet sub hac vel consimili forma. *Supplicat, &c. Scholaris Facultatis Artium, e Collegio N. ut gratiose secum dispensetur, &c. causa est, quod, &c.* Cui Petitioni si Dominus Vice-Cancellarius, ambo Procuratores, et major pars Regentium tunc præsentium, consensum suum adhibuerint, pro concessa habeatur. Et tum, eodem modo quo gratias concessas pronuntiare solet, Dispensationem concessam pronuntiabit Procurator.

§. 2. *De Materia Dispensabili, in qua Congregationi dispensare permissum est.*[p]

MATERIA in qua Venerabilis Domus Congregationis dispensare potest, et solet, hujusmodi est.

1. Pro absentia Terminorum duorum, si Gradum Baccalaurei in Artibus ambiat quis; trium, si Gradum Magistralem.
2. Pro ingressu in Bibliothecam publicam.
3. Ut Termini, in alia Academia in studio positi, pro positis in hac Academia habeantur.
4. Pro minus diligenti publicorum Lectorum auditione.
5. Pro Omissione Circuitus. Hac tamen cautione servata, quoad præsentandos ad Incipiendum in Artibus, quod Dispensationi inserenda sit clausula hujusmodi: *Quatenus Cautionem, tempore Circuitus penes Vice-Cancellarium deponendam, jamdudum penes ipsum deposuerit.*
6. Quod Circuitus, pridie ante Terminum inchoatum peractus, sufficiat.
7. Pro Gratia per Magistrum alterius Domus proponenda, si nullus sit Magister in ipsa Domo unde Supplicans est.
8. Ut Gratia rata sit, licet intra tres Congregationes registrata non fuerit.
9. Ut Gratia, superiori Anno concessa, rata habeatur.
10. Quod [q] liceat secundam vicem sub Baccalaureo in Quadrage-

[p] Vide §. 2. De materia dispensabili &c. de novo enact. 22° Junii, A. D. 1808.

[q] Tit. VI. Sect. I. §. 2. Corp. Stat. p. 25.

ſima reſpondendi in alteram vicem reſpondendi in Parviſiis commutare.

11. Ut Gratia conceſſa Baccalaureo, modo determinaverit in proxima Quadrageſima, rata ſit, et pro ſimpliciter pronuntiata habeatur.

12. Ut, elapſo Feſto Ovorum, Baccalaureus ſecundo præſentetur ad determinandum eadem Quadrageſima, in cauſa ægritudinis, vel extremæ alicujus neceſſitatis. [r] Ut Baccalaureus, qui præterita Quadrageſima determinare debuerit, ægritudinis, vel extremæ alicujus neceſſitatis interventu impeditus, determinet proxime ſequenti Quadrageſima.

13. Ut Diſputationes Antemeridianæ Baccalaureorum in Quadrageſima, ad horam Duodecimam continuandæ, hora Undecima terminentur.

14. Quatenus ſub Chirographis Magiſtrorum, qui intra duas Hebdomadas ſequentes in Quodlibeticis pro Termino diſputaturi ſunt, iis omnibus de Baccalaureis pro Forma reſponſuris proſpectum eſſe conſtat, ut liceat ſibi quovis die diſputabili inſtantis vel ſequentis Hebdomadis ſub quolibet Magiſtro, hora et loco conſuetis, in Quodlibeticis reſpondere.

15. Quatenus, ſub Chirographo Magiſtri Scholarum, ſingulos dies hiſce Diſputationibus aſſignatos, ad finem uſque Termini, ab aliis pro Forma reſponſuris jamdudum præoccupatos eſſe conſtat, ut liceat ſibi alio quovis die (poſt interpoſitos VII dies a tempore petitæ Diſpenſationis) hora et loco conſuetis, ſub præſidio Magiſtri Scholarum (non aliter) in Auguſtinenſibus reſpondere vel opponere; publicatis ante triduum Quæſtionibus, et præeunte parvæ Campanæ pulſatione.

16. Ut Magiſter Cumulatus, pro Habitu coccineo, nigro et ſolito, poſt peracta præſentationis ſolennia, uti poſſit.

17. Ut Doctores Ocreas, et Magiſtri Crepidas et Socculos, quibus ex antiquo ritu uti tenentur, exuant.

18. Ut Cantabrigienſes, vel alterius Academiæ Studioſi, eodem ſint Gradu et ſtatu apud nos, quo apud ſuos ſunt.

[r] Tit. VI. Sect. II. §. 3. Corp. Stat. p. 30.

19. Ut Terminus prorogetur.
20. Pro neceſſaria Regentia.
21. Quatenus Præſentandus (ad practicandum in Medicina vel Chirurgia) ſecundum Statuta Teſtimonium non affert, nec fidem facit, quod interfuerit uni ſaltem integræ Diſſectioni Anatomicæ, unique integræ Lectioni de Sceleto, ut gratioſe ſecum diſpenſetur pro hujuſmodi iſtius Omiſſione.[s]
22. [t] Ut (cum Baccalaureo in Artibus) gratioſe diſpenſetur, quod Nomen ſuum ad Declamandi vices obeundas apud Procuratorem profiteri neglexerit.

Denique ſi quæ alia cauſa ſit his conſimilis; vel in qua, ſpeciali aliquo Statuto, Venerabili Domui Congregationis Diſpenſandi poteſtas indulgeatur.

SECTIO V.

DE PRÆSENTATIONIBUS GRADUANDORUM.

§. 1. *De Circuitione a Præſentandis obeunda.*

STATUTUM eſt, quod, pro more antiquo, poſtquam Gratia conceſſa fuerit, quilibet Præſentandus, (impetrata prius per eundem venia a Domino Vice-Cancellario, ut habeatur Congregatio) Præſentatorem ſuum Habitu Gradui competente indutum ſequens, ipſe etiam Habitu congruo, et nudato capite incedens, præeuntibus Bedellis vel eorum aliquo, primo Vice-Cancellarium, deinde Procuratorem Seniorem, poſtea Juniorem, ante occaſum Solis, in Hoſpitiis ſuis adeat. Quem, ſi inveniri poſſit, Præſentator ſic alloquatur:

Supplicamus Dominationi veſtræ, quatenus præeſſe dignetur craſtinæ Congregationi, ut Scholaris vel Baccalaureus meus ad Gradum ſuum præſentetur.

[s] Tit. IV. Sect. I. §. 15. Corp. Stat. p. 18.

[t] Tit. VI. Sect. II. §. 14. Corp. Stat. p. 38.

Deinde ſi quis ipſorum ad Incipiendum in Artibus præſentandus fuerit, deponet penes Vice-Cancellarium pecuniariam cautionem 40s, vel (ſi tenuioris conditionis fuerit) fidejuſſoriam, (duobus interpoſitis Sponſoribus, qui alicujus Collegii Socii ſint,) quod proximis Comitiis Incipiet; et, ſtatim poſt Comitia, ad Regentiam admittendum ſe curabit: In quorum alterutro ſi defecerit, Cautio protinus cedat Fiſco Univerſitatis: Sin vero Inceperit, et ad Regendum admiſſus fuerit, Cautionem uſque penes ſe retineat Vice-Cancellarius, quoad Annus neceſſariæ Regentiæ completus fuerit; ſi quam ratione Inceptionis aut Regentiæ mulctam incurrerit, inde ſubtrahere ut liceat; deinde in fine Anni reſiduum reſtituatur. Quicunque autem ex iis ad Gradum Baccalaurei in Artibus præſentandi ſunt, obligentur itidem Cautione ſive pecuniaria ſive fidejuſſoria (ut prædicitur) ejuſdem Valoris 40s, penes Vice-Cancellarium depoſita, ad ſiſtendum ſe in Feſto Ovorum ineunte proxima Quadrageſima.

Procuratores vero, ſic: *Supplicamus reverentiis veſtris, ut craſtinæ Congregationi intereſſe dignemini, &c.* Quibus annuentibus, recedet.

Si vero Præſentandus cumulatus fuerit, præeuntibus Stationario, i. e. Virgifero Univerſitatis, Bedellis omnibus, et Proto-Bibliothecario (vice Capellani Univerſitatis) adibit primo Procuratorem Juniorem; deinde, cum illo, Procuratorem Seniorem; et poſt, cum utroque Procuratore, Vice-Cancellarium; ſinguliſque ut Congregationi interſint rogatis, a Vice-Cancellario et Procuratoribus Domum deducetur.

Quod ſi Magiſtrorum quivis (habito examine) Præſentandum quemvis, quoad Eruditionem, Gradui ſuo imparem deprehenderit, eoque nomine eum ad Vice-Cancellarium vel Procuratores detulerit, oportebit Vice-Cancellarium vel Procuratores Præſentationem ipſius tantiſper morari, donec (habito publico examine in Domo Congregationis) ulterius diſpiciatur, utrum dignus ſit Gradu quem ambit, necne. Alioqui non licebit Vice-Cancellario aut Procuratoribus, ex privata cujuſvis ſuggeſtione aut interpellatione, cujuſquam Præſentationem aut Admiſſionem impedire: niſi quid de novo admiſerit poſt Gratiam impetratam; aliquidve feciſſe manifeſto probetur, quod repulſam mereatur, quodque prius latebat.

§. 2. *De ſolenni Proceſſu Præſentandorum ad Domum Congregationis.*

IN die Præſentationis, ſtatim a pulſatione magnæ Campanæ, Præſentandus vel Præſentandi, ſi plures Candidati fuerint, nudis capitibus, Juniore reliquis præcedente, omnes præeunte Viatore ſive Bedello, ſequente Præſentatore et Collegii ſive Aulæ Præfecto una cum Sociis vel Commenſalibus univerſis, Habitibus Gradibus ſuis competentibus indutis, a Domo ſua ad Apodyterium Domui Congregationis vicinum ſolenniter deducentur.

Et ſi Cumulator fuerit, Vice-Cancellarius et Procuratores cum Proto-Bibliothecario, omnibuſque Bedellis et Stationario Univerſitatis comitabuntur.

Conſuetudo autem eſt, quod Doctorem vel Baccalaureum, in Medicina præſentandum, omnes Medicinæ Doctores, Baccalaurei, et quotquot huic Profeſſioni nomina dederunt, in Univerſitate præſentes, a domo ſua ubicunque infra Univerſitatis præcinctum fuerit, una cum Bedello Facultatis ſuæ, ad Apodyterium Domui Congregationis vicinum ſolenniter deducant, et eo nomine Chirothecas ſinguli a Præſentando recipiant.

§. 3. *De Subſcriptione ante Præſentationem exigenda.*

CUM Præſentandus vel Præſentandi ad Apodyterium Domui Congregationis vicinum devenerint, eorum quilibet [u] Articulis Fidei et Religionis in Synodo Londini Anno Dom. 1562. editis et confirmatis (lectis prius, vel alio recitante auditis, in præſentia Præſentatoris ſui) [x] necnon tribus Articulis in XXXVI° Canone comprehenſis (lectis prius ibidem, et publice, coram Præſentatore, in præſentia Procuratorum) ſubſcribet; qui quidem tres Articuli deſcripti ſunt Canone XXXVI° Libri Conſtitutionum et Canonum Eccleſiaſticorum, in Synodo Londini cœpta Anno Dom. 1603.

§. 4. *Ceremoniæ, ſive Ritus Præſentationum.*

PERACTA Subſcriptione, et Vice-Cancellario, Procuratoribus, et Magiſtris Regentibus in Domo Congregationis conſidentibus, Præ-

[u] B. 110. b. [x] N. 41.

ſentatores cujuſque Facultatis (*ſecundum Dignitatem Facultatis*, ubi ſit Præſentatio ad eundem Gradum in diverſis Facultatibus, ſi unus e Præſentandis fuerit Theologus; alioqui, ſecundum Senioritatem Præſentatoris: ubi vero Præſentatio ſit ad diverſos Gradus; *ſecundum Dignitatem Gradus:* et in eadem Facultate et Gradu, *ſecundum Senioritatem Præſentatorum*) ad præſentandum procedant. Et quiſque (Bedello præeunte, et Candidatis ſive Præſentandis, prout ſeniores fuerint, proxime ſequentibus) Domum Congregationis conſcendet; et cum debita reverentia ad ſuperiorem partem Domus procedens, Præſentandos a dextero latere ſiſtet; deinde Præſentandi cujuſque, prout ordine ſiſtitur, manum dexteram prehendens, coram Vice-Cancellario producet; et ea, qua par eſt reverentia, ſub peculiari Formula, Vice-Cancellario et Procuratoribus præſentabit.

§. 5. *Peculiares Formulæ præſentandi ad ſingulos Gradus.*

Ad Baccalaureatum in Artibus.

INSIGNISSIME Vice-Cancellarie, voſque Egregii Procuratores, præſento vobis hunc meum Scholarem in Facultate Artium, ut admittatur ad Lectionem cujuſlibet libri Logices Ariſtotelis, et earum inſuper Artium, quas et quatenus per Statuta tenetur audiviſſe; teſtorque illum in præſentia mea legiſſe (vel lectos audiviſſe) Articulos Fidei et Religionis, quibus modo ſubſcripſit coram Procuratoribus; ac ſpeciatim tres Articulos in Canone XXXVI° comprehenſos; fide mea data huic Univerſitati.

Ad Determinandum.

Inſigniſſime &c. præſento vobis hunc meum Baccalaureum Facultatis Artium, ut admittatur ad Determinandum hac proxima Quadrageſima.

Ad Incipiendum in Artibus.

Inſigniſſime &c. præſento vobis hunc Baccalaureum in Facultate Artium, ut admittatur ad Incipiendum in eadem Facultate; teſtorque illum &c.

Ad Baccalaureatum in Muſica.

Inſigniſſime &c. præſento vobis hunc Scholarem in Facultate Muſicæ, ut admittatur ad Lectionem cujuſlibet libri Boethii; ad quam Admiſſionem eum aptum, habilem, et idoneum eſſe, ſub Chirographis hominum in Arte Muſica peritiſſimorum abunde teſtatum accepiſtis.

Ad Incipiendum in Muſica.

Inſigniſſime &c. præſento vobis hunc Baccalaureum in Facultate Muſicæ, ut admittatur ad Incipiendum in eadem Facultate: ad quam Admiſſionem, &c.

Ad Baccalaureatum in Medicina.

Inſigniſſime &c. præſento vobis hunc Studioſum in Medicina, ut admittatur ad Lectionem cujuſlibet libri Aphoriſmorum Hippocratis; teſtorque illum &c.

Ad Incipiendum in Medicina.

Inſigniſſime &c. præſento vobis hunc Baccalaureum in Medicina, ut admittatur ad Incipiendum in eadem Facultate; teſtorque illum &c.

Ad Baccalaureatum Juris Civilis.

Inſigniſſime &c. præſento vobis hunc Studioſum in Jure Civili, ut admittatur ad Lectionem cujuſlibet Libri Inſtitutionum Imperialium; teſtorque illum &c.

Ad Incipiendum in Jure Civili.

Inſigniſſime &c. præſento vobis hunc Baccalaureum in Jure Civili, ut admittatur ad Incipiendum in eadem Facultate; teſtorque illum &c.

Ad Baccalaureatum in S. Theologia.

Inſigniſſime &c. præſento vobis hunc Studioſum in Sacra Theolo-

gia, ut admittatur ad Lectionem cujuslibet Epistolarum Beati Pauli; testorque illum &c.

Ad Incipiendum in S. Theologia.

Insignissime &c. præsento vobis hunc Baccalaureum in S. Theologia, ut admittatur ad Incipiendum in eadem Facultate; testorque illum &c.

Statuit autem et declarat Academia, quod in omni Præsentatione censendus est semper Præsentator (præter id quod cuilibet præsentando a Domo sua Testimonium perhibetur) suum quoque, ex ipsa Præsentatione, Testimonium adjicere: scilicet, *non videri sibi præsentatum istum eo Gradu quem ambit indignum esse.*

Deinde, peracta hujusmodi Præsentationis Formula, quilibet Præsentatus, prout præsentatur, ad alteram partem Domus Congregationis transibit: singulisque sic præsentatis, Procurator Senior eorum subscriptionem Articulis Fidei et Religionis sic testabitur; Nos Procuratores testamur A. B. C. D. T. omnibus Articulis Fidei et Religionis in hoc libro contentis (necnon tribus Articulis in XXXVI° Canone comprehensis, prius in præsentia nostra lectis) subscripsisse.

SECTIO VI.

DE JURAMENTIS PRÆSENTANDORUM.

§. 1. *Statuta, in quæ singulos Præsentatos Jurejurando adiget Junior Procurator. Et admonitio de Habitu Gradui competente.*

POST absolutam Præsentationem, Procurator Junior a Seniore inter Præsentatos ad genua sua accidente, reliquis circumstantibus audientibusque, Juramentum exiget in hæc verba:

(Domine [y] Doctor, Magister, vel Domine) tu dabis fidem ad ob-

[y] B. 37. a. C. 157. a.

ſervandum Statuta, Privilegia, Conſuetudines, et Libertates iſtius Univerſitatis. *Reſp.* Do.

Jurabis etiam, quod Pacem iſtius Univerſitatis per te non perturbabis, nec per alium vel alios qualitercunque perturbari procurabis; nec perturbatorem vel perturbatores, aliquem vel aliquos, in perturbatione Pacis, ope vel conſilio juvabis; nec impedies per te, vel per alium, vel alios, quo minus de Pacis perturbatore vel perturbatoribus fiat Juſtitia; et, ſi aliquem vel aliquos noveris de perturbatione Pacis probabiliter ſuſpectum vel ſuſpectos, ipſum vel ipſos Cancellario denunciabis. *Reſp.* Juro.

Item ſpecialiter tu jurabis, quod inter nullas Communitates, vel Perſonas iſtius Univerſitatis, impedies pacem, concordiam, et amorem. Et ſi aliqua diſſenſio inter aliquas Communitates vel Perſonas exorta fuerit, illam nullo modo fovebis, vel accendes; nec Conventiculis intereſſe debes, nec eis tacite vel expreſſe conſentire, ſed ea potius, modis quibus poteris, impedire.

Jurabis [z] etiam, quod in iſta Facultate, alibi in Anglia quam hic et Cantabrigiæ, Lectiones tuas ſolenniter, tanquam in Univerſitate, non reſumes. Nec in aliqua Facultate, ſicut in Univerſitate, ſolenniter Incipies, nec conſenties, ut aliquis, alibi in Anglia Incipiens, hic pro Magiſtro in illa Facultate habeatur.

Item [a] tu jurabis, quod non leges nec audies *Stanfordiæ*, tanquam in Univerſitate, Studio, vel Collegio Generali.

De Statutis his rogandis conſenſerunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpenſa, convenerunt in Terminos die decimo menſis Junii; publicata ſunt in Domo Congregationis die decimo quinto menſis Junii, juxta Statuti in ea Parte Exigentiam, triduo ante Convocationem habendam. Tandem in Convocatione publicata et confirmata decimo nono die Junii Anno Domini 1801.

[z] D. 55. b.

[a] B. 37. a. C. 2. b.

TITULUS XVI.

Corpus Statutorum p. 147.

DE CONCIONIBUS.

§. 1. *De Concionibus ante meridiem, diebus Dominicis intra Terminum, habendis.*

STATUTUM eſt, [b] quod quolibet die Dominico intra Terminum ante meridiem (niſi quatenus in his Statutis aliter proviſum fuerit) Concio Anglice habeatur per Collegiorum Præfectos, per Decanum et Præbendarios Ædis Chriſti, per duos Theologiæ Profeſſores, et per Hebraicæ Linguæ Profeſſorem, ordine ſequenti; cauto ſemper, quod Collegiorum Præfectis fas ſit haſce concionandi vices inter ſe pro arbitrio commutare.

Eccleſiæ Chriſti.
Coll. Magdal.
Coll. Novi.

Eccleſiæ Chriſti.
Coll. Omnium Anim.
Coll. Merton.

Eccleſiæ Chriſti.
Coll. Corp. Chriſti.
Coll. Reginæ.

Eccleſiæ Chriſti.
Coll. S. Jo. Bapt.
Coll. Trinit.

Eccleſiæ Chriſti.
Coll. Ænei-Naſ.
Coll. Oriel.

Eccleſiæ Chriſti.
Coll. Wadham.
Coll. Lincoln.

Eccleſiæ Chriſti.
Coll. Univerſ.
Coll. Exon.

Eccleſiæ Chriſti.
Coll. Balliol.
Coll. Jeſu.

Eccleſiæ Chriſti.
Coll. Pemb.
Reg. Profeſſ. Theol.

Eccleſiæ Chriſti.
Coll. Vigorn.
Margaretæ Profeſſ.

[b] B. 117. b. L. 297. b.

Ecclefiæ Chrifti.
Coll. Hertford.
Profeff. Ling. Hebr.

Infuper placuit Univerfitati, [c] quod hæ Conciones in Ecclefia B. Mariæ Virginis habeantur: præterquam quod, quoties Decano vel Præbendario Ædis Chrifti concionandum eft, iis, aut etiam aliis ipforum vices fupplentibus, necnon folennes conciones habentibus in Natali Domini, in die Paffionis Dominicæ, et in fefto Afcenfionis Domini, in Ecclefia Cathedrali Ædis Chrifti concionari fit permiffum. Si quis fecus fecerit, pœnam conciones omittentium incurrat.

§. 2. *De Concionibus habendis ante meridiem diebus Dominicis extra Terminum, necnon Dominicis Quadragefimalibus et diebus Feftis ante meridiem, ac Dominicis poft meridiem per totum Annum.*

STATUTUM eft, [d] quod extra Terminum, in quolibet die Dominico ante meridiem, (præterquam in Dominica Pafchatis quando in fingulis Collegiis Conciones ante facram Synaxin funt habendæ,) necnon in Dominicis Quadragefimalibus ante meridiem;[e] et in quolibet die Dominico poft meridiem per totum annum, (excepto tempore magnæ Vacationis;) et in quolibet die fefto per totum annum, (exceptis iis qui in tempore magnæ Vacationis occurrunt;) in Ecclefia Beatæ Mariæ Virginis, nifi quatenus in his Statutis aliter provifum fuerit, Concio vernaculo fermone habeatur. Has vero conciones feriatim peragere tenebuntur Sacræ Theologiæ Doctores, et Sacræ Theologiæ Baccalaurei, Juris Civilis Doctores et Baccalaurei, ac Artium Magiftri, (five in Theologia, five in Jure Civili ftudentes,) quotquot Prefbyteri vel Diaconi fuerint; Magiftri non ante duos annos ab Inceptione fua, Baccalaurei autem Juris non nifi poft tres annos completos a fufcepto Gradu: ita ut, cum ad fimpliciter Juniorem Theologum deventum fuerit, ad Sacræ Theologiæ Doctores concionandi vices denuo revertantur. Provifo quod tum Vice-Cancellarius et Procuratores pro tempore exiftentes, tum ii omnes qui Con-

[c] B. 117. b.
[d] L. 241. 247. 289.

[e] Vide claufulam novam in Convocatione decretam 14° die Junii, A.D. 1819.

ciones ante meridiem diebus Dominicis intra Terminum habere tenentur, ab his vicibus feriatim obeundis femper excufentur.

§. 3. *De Concionibus Quadragefimalibus ad Divi Petri in Oriente.*

STATUTUM eft, quod, prout antiquitus fieri confuevit, in quolibet die Dominico durante Quadragefima, necnon in Dominica Pafchatis, poft meridiem, ad Divi Petri in Oriente folennis Concio lingua vernacula habeatur; ad quas quidem Conciones habendas, viros idoneos nominandi ac defignandi poteftas penes Dominum Vice-Cancellarium fit: ita tamen ut eorum ratio imprimis habeatur, qui, per Statuta Collegiorum fuorum, aliquam ex iftis Concionibus in propriis perfonis habere adftringuntur.

Et quod nomina hujufmodi Concionatorum, quos privata Collegiorum fuorum Statuta ad has Conciones adftringunt, Academiæ Regiftro inferantur, prout antiquitus obtinuit.

§. 4. *De Concionibus quibufdam extraordinariis ad Ecclefiam B. Mariæ.*

STATUTUM eft, quod (præter illas Conciones quæ in diebus Dominicis et Feftis a Collegiorum Præfectis, Doctoribus et Baccalaureis S. Theologiæ, et Magiftris Artium, et Baccalaureis Juris, ut præfertur, feriatim præftandæ funt,) aliæ quoque extra ordinem, certis et ftatis temporibus, in Ecclefia Beatæ Virginis Mariæ habeantur; nimirum in Fefto Inaugurationis Regiæ; et quinto Novembris pro communi liberatione totius Reipublicæ a Proditione Sulphurea; trigefimo Januarii, die martyrii Caroli primi Regis; et vigefimo nono Maii, die gratiarum actionis pro Rege ac Regia familia reftauratis. Quas Conciones, præmiffis publicis Supplicationibus, aliquis ad id muneris a Vice-Cancellario affignatus habebit.

Porro Concionibus hifce extraordinariis annumerandæ funt Prælectiones octo Theologicæ, quas, fupremo Teftamento fuo, vir Rev. Johannes Bampton, A. M. in Ecclefia B. Mariæ, intra initium ultimi menfis Termini Hilarii atque finem tertiæ feptimanæ Termini Trinitatis, quolibet anno, haberi mandavit. Statuit autem et declarat Academia, quod hæ Prælectiones, five Conciones, diebus Domi-

nicis intra Terminum ante meridiem, intra tempus præstitutum, semper habeantur.

Necnon in Dominica Quinquagesimæ, et ultima mensis Junii Dominica, ante meridiem; ac in Dominica Pentecostes, tam ante, quam post meridiem; Conciones lingua vernacula habendæ sunt per aliquos ad id muneris a Vice-Cancellario specialiter deputatos. Item in die Dominico Comitiorum, cum ante, tum post meridiem, et in die Martis [f] proxime post Comitia; et in utroque Conventu Comitatus, qui Assisæ vocantur; ad quas aliqui per Vice-Cancellarium specialiter sunt designandi. Proviso semper, quoad eum quem ad Concionem Latinam die Martis [g] post Comitia habendam à Vice-Cancellario designari contigerit (si Theologiæ Baccalaureus non fuerit, et tempus ad illum Gradum per Statuta requisitum compleverit) quod ante habitam Concionem ad Gradum Baccalaurei in Sacra Theologia, citra ullam dispensationem eo nomine petendam, admitti ipsum licebit. Et in initio cujusque Termini, ac in Die Cineris in Capite Jejunii, coram Baccalaureis Determinaturis, Caputia (obverso Rhenone, seu pelle agnina) gestantibus, et pro more in Scamnis Magistrorum sedentibus, Concio Latina habeatur, quam seriatim obire tenentur S. Theologiæ Professores, et alii in Theologia Graduati, sacris Ordinibus initiati; aut vice illorum alii per Vice-Cancellarium approbandi.

§. 5. *De Concionibus Anniversariis habendis extra Templum Beatæ Mariæ.*

CUM Collegiorum quorundam Statuta, et cum Benefactoribus Conventiones, requirant, ut in quibusdam Collegiis Conciones publice coram Universitate habeantur; Statutum est, quod, prout fieri consuevit, in Collegiis hic nominatis, statis quibusdam diebus, Conciones publicæ habeantur.

Nimirum in Ecclesia Cathedrali Ædis Christi, in Natali Domini, in die Passionis Dominicæ, et in Festo Ascensionis Dominicæ.

[f] Die *Mercurii* per Decretum Convocationis 22°. Junii, A. D. 1808.
[g] Die *Mercurii.* Ibid.

In Collegio Beatæ Mariæ Magdalenæ, in Festo S. Marci Evangelistæ, et in Festo S. Joannis Baptistæ.

In Collegio Novo, in Festo Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, et in Dominica Trinitatis.

In Collegio Mertonensi, in Festo Sanctorum Philippi et Jacobi, et in Dominica prima mensis Augusti.

In Ecclesia S. Petri in Oriente, in Festo Sanctorum Simonis et Judæ, per aliquem e Collegio Universitatis.

§. 6. *De Concionatoribus approbandis.*

STATUTUM est, [g] quod in Ecclesia Beatæ Virginis Mariæ, aut alibi coram Universitate, nemo unquam concionari præsumat, nisi qui judicio Vice-Cancellarii approbatus fuerit; quique sacris insuper Ordinibus initiatus, saltem Gradum Magistri in Artibus ante duos annos, aut Baccalaurei in Jure Civili ante tres annos susceperit.

Si quis secus fecerit, mulctetur toties quoties quinque libris.

§. 7. *De præmonendis Concionaturis, et pœna eorum qui deficiunt.*

STATUTUM est, quod concionaturi [h] Anglice ante duos saltem menses, [i] Latine vero ante tres menses, præmoneantur, per Bedellum superiorem Sacræ Theologiæ, si in Universitate præsentes fuerint: sin minus, schedula, tempus quo quis concionaturus sit indicans, penes Præfectum Ædis, ejusve Deputatum, aut Thesaurarium, sive Bursarium, qui pro tempore fuerit, relinquatur. Ad has autem conciones seriatim habendas præmoneantur non solum ii qui actu in Universitate commorantur, verum etiam quotquot nomina sua in Promptuarii libro Collegii cujusvis, vel Aulæ, inscripta habent. Unusquisque vero sic præmonitus tenetur, intra spatium unius mensis ab accepta monitione, schedula tradita Bedello superiori Sacræ Theologiæ per se, vel per Præfectum Ædis suæ, ejusve Deputatum, aut Thesaurarium, sive Bursarium, palam renunciare, utrum, tempore destinato, propria persona officio suo sit functurus. Quod si ipse non sit concionaturus, et tempus, quo concionari debet, acciderit extra Terminum, vel alio quovis die intra Terminum præter diem Domi-

[g] KK. 314. b. [h] L. 241. b. et 289. [i] KK. 308. a.

nicum, tenetur infuper eadem fchedula idoneum aliquem fubftitutum nominare, (a Vice-Cancellario approbandum,) qui vicibus ejus fungi et poffit et velit. Sin vero die Dominico intra Terminum habenda fit concio, (exceptis tantum iis Concionibus, quas, juxta Statuta, extra Templum Beatæ Mariæ haberi fit permiffum,) nemini, quacunque de caufa, præter aliquem e felectis Concionatoribus pofthac defignandis, locum ejus fupplere fas efto.

Si quis autem fic præmonitus vel fchedulam prædictam, intra tempus præftitutum, Bedello tradendam non curaverit; vel Concionem aut per fe, aut per alium, uti præfertur, non habuerit; quinque libris Univerfitati mulctetur. Quam pœnam fimiliter incurrat Bedellus prædictus, fi quem, culpa illius, (prout oportuit non præmonentis,) deficere contingat.

§. 8. *De felectis quibufdam Concionatoribus defignandis.*

STATUTUM eft, quod defignentur decem Concionatores, felecti e numero Doctorum et Baccalaureorum in Sacra Theologia et in Jure Civili, ac Magiftrorum in Artibus, qui, facris Prefbyteratus Ordinibus initiati, duos faltem annos ab Inceptione fua compleverint; vel, fi Baccalaurei fuerint in Jure Civili, qui tribus faltem annis Gradu prædicto fuerint infigniti. Horum vero Concionatorum (non fine ipforum confenfu) defignatio fiat per Vice-Cancellarium et Procuratores, Sacræ Theologiæ Profefforem Regium, et Prælectorem Dominæ Margaretæ Comitiffæ Richmondiæ, tribus faltem eorundem confentientibus, quorum unus femper fit Vice-Cancellarius. Provifo quod, ftatim poft hujufmodi defignationem, Concionatoris cujufque nomen figillatim, frequenti Convocatione, fuffragiis venerabilis iftius Domus probandum, five improbandum, permittatur.

Horum erit Concionatorum, feriatim, juxta Senioritatis ordinem quantum fieri poteft, (nifi aliter inter fe convenerint,) Conciones diebus Dominicis intra Terminum, tam ante quam poft meridiem in Ecclefia B. Mariæ habendas, eorum omnium loco peragere, qui, rite præmoniti, fe partes fuas impleturos effe Sacræ Theologiæ Bedello fuperiori ante menfem non renunciaverint; qui quidem Bedellus prædictos Concionatores de qualibet hujufmodi concionandi vice,

nulla mora interpofita, certiores facere tenetur. Cauto femper, quod Collegiorum Præfectis, fi qui inter Concionatores hofce felectos numerentur, quotiefcunque illis concionari contigerit, fas fit, fi velint, concionandi ante meridiem fibi jus vindicare.

Ex his decem Concionatoribus officio fuo cedant quinque quotannis; prima vice forte, vel comparatione inter fcipfos facta; deinde qui eodem munere per duos annos functi fuerint; et fubrogentur in eorum locum quinque alii, modo fupra definito defignandi, et a venerabili Domo Convocationis approbandi. Si quis vero ex hifce Concionatoribus fatis concefferit, vel fe officio fuo abdicaverit, alius in ejus locum, qui vices ejus fuppleat in partem biennii nondum elapfam, forma fupra definita, continuo fubrogetur.

Provifo femper, quod nemo, qui felecti Concionatoris officio per biennium integrum functus fuerit, in idem officium, nifi poft annum alterum elapfum, iterum defignetur.

§. 9. *De Concionatoribus remunerandis.*

CUM nihil fere vel ad veram Religionem, vel ad ipfius Academiæ dignitatem promovendam magis pertinere videatur, quam ut facræ Conciones rite peragantur; cumque æquum omnino ac juftum fit, ut iis, qui graviffimo hoc munere funguntur, condigna quodammodo remuneratio accedat; Statutum eft, quod S. Theologiæ Doctores et Baccalaurei, Juris Civilis Doctores et Baccalaurei, ac Artium Magiftri, quotquot Prefbyteri vel Diaconi fuerint, (Magiftri non ante duos annos ab Inceptione fua, Baccalaurei autem Juris non nifi poft tres annos completos a fufcepto Gradu,) finguli qualibet anni quarta parte Summam trium Solidorum[k] folvere teneantur; exceptis Vice-

[k] In Convocatione habita decimo nono die menfis Novembris A. D. 1812. proponente Domino Vice-Cancellario utrum S. Theologiæ Doctores et Baccalaurei, Juris Civilis Doctores et Baccalaurei, ac Artium Magiftri (quotquot Prefbyteri vel Diaconi fuerint) finguli qualibet Anni quarta parte Summam *duorum Solidorum et fex Denariorum* pro tribus Solidis folvere teneantur; Placuit venerabili cœtui huic propofitioni confentire. Reg. Conv. 1812.

In Convocatione habita decimo quarto die menfis Junii, A. D. 1819. proponente Domino Vice-Cancellario utrum, exceptis iis quos exceptos effe voluit Academia, S. Theologiæ Doctores et Baccalaurei, Juris Civilis Doctores et Baccalaurei, ac Artium Magiftri (quotquot Prefbyteri vel Diaconi fuerint) Magiftri non ante duos annos ab inceptione fua, Baccalaurei Juris non nifi poft tres annos completos a

Cancellario et Procuratoribus pro tempore exiſtentibus, quos Academia ſemper ab omni concionandi vice immunes eſſe voluit; et exceptis etiam iis omnibus, qui Conciones ante meridiem diebus Dominicis intra Terminum habere tenentur. Horum autem unuſquiſque, pro qualibet ſua concionandi vice, ſolvat in fiſcum Academiæ quinque Libras ac quinque Solidos.

Has autem Summas, ratione habita non ſolum eorum qui actu in Univerſitate commorantur, verum etiam eorum quotquot nomina ſua in Promptuarii libro Collegii cujuſvis vel Aulæ inſcripta habent, a Præfecto Ædis cujuſque, vel a Theſaurario, ſive Burſario, exigere tenetur Sacræ Theologiæ Bedellus ſuperior, ac eaſdem Vice-Cancellario protinus deferre.

Ex hiſce quidem pecuniis Vice-Cancellarius primum dicto Bedello, in proprios uſus, pro ſtudio et labore adaucto, triginta [l] Libras annuatim numerabit; deinde vero, aliis etiam pecuniis, ſiquando opus fuerit, e fiſco Academiæ deſumptis, (iis ſcilicet quæ per Decretum Convocationis anno 1802 [m] ſancitum ab Academicis exiguntur,) id præcipue curabit, ut cuilibet Concionatori, pro re nata, hæ quæ ſequuntur ſummæ, ſtatim poſt habitam Concionem ſemper ſolvantur; ſcilicet,

Cuilibet Concionem extraordinariam, vernaculo ſermone, ad Eccleſiam Beatæ Mariæ habenti, (excepto Prælectore Bamptoniano,)

ſuſcepto gradu; ſinguli qualibet Anni parte quarta, ſummam *duorum Solidorum* pro duobus Solidis et ſex Denariis ſolvere teneantur; Placuit venerabili cœtui huic propoſitioni conſentire. Reg. Conv. 1819.

[l] In Convocatione habita decimo nono die menſis Novembris A. D. 1812. proponente Domino Vice-Cancellario utrum Summa triginta Librarum quam S. Theologiæ Bedello Superiori hæc Domus olim aſſignare juſſit, uſque ad Summam *quinquaginta Librarum* adaugeatur; Placuit ven. cœtui huic propoſitioni conſentire. Reg. Conv. 1812.

In Convocatione habita decimo quarto die menſis Junii A. D. 1819. proponente Domino Vice-Cancellario utrum Summa quinquaginta Librarum quam S. Theologiæ Bedello Superiori hæc Domus olim aſſignavit, uſque ad ſummam *quinque et ſeptuaginta Librarum* adaugeatur; Placuit ven. cœtui huic propoſitioni conſentire. Reg. Conv. 1819.

[m] *Decretum Convocationis A.D.* 1802. In Convocatione habita die 7°. menſis Maii A. D. 1802. proponente domino Vice-Cancellario, placuit venerabili cœtui ut Summa quatuor Solidorum per decretum venerabilis Domus ab Academicis in poſterum exigatur, et ad annuas publicorum Examinatorum Penſiones perſolvendas alioſque publicos Academiæ uſus, ab venerabili Domo nunquam non prius comprobandos deſtinetur. Reg. Conv. 1802.

necnon Concionem in Dominica Paſchatis poſt meridiem ad Eccleſiam D. Petri in Oriente, ſex Libræ ac ſex Solidi;

Cuilibet, die Dominico intra Terminum, coram Univerſitate Concionem habenti, (exceptis Concionibus iſtis anniverſariis quæ juxta Statuti hujuſce Sect. 5. extra templum B. Mariæ habendæ ſunt,) quinque Libræ ac quinque Solidi;

Cuilibet, die Dominico poſt meridiem, durante Quadrageſima, ad Eccleſiam D. Petri in Oriente Concionem habenti; vel die Feſto intra Terminum ad Eccleſiam B. Mariæ; quinque Libræ ac quinque Solidi;

Denique, cuilibet coram Univerſitate, juxta hæc Statuta, Concionem habenti die Dominico, vel die Feſto, extra Terminum, (exceptis Concionibus iſtis anniverſariis quæ juxta Statuti hujuſce Sect. 5. extra templum B. Mariæ habendæ ſunt,) quatuor Libræ ac quatuor Solidi.

Statutum eſt etiam, quod de pecuniis omnibus ab Academia, juxta hanc Ordinationem, receptis, et expenſis, Vice-Cancellarius quotannis rationem reddet; quodque inſuper, in Termino Michaelis, ſchedulam parabit, quam ad ſingulos Collegiorum et Aularum Præfectos, necnon ad cujuſlibet Collegii ac Aulæ Bibliothecam, curabit deferri; ut cunctis liquido appareat qui ſit rei hujuſce ſtatus, quid intra annum receptum et expenſum fuerit, quantumque harum pecuniarum, ſubductis rationibus, in fiſco Academiæ ſuperſit.

§. 10. *De Commemoratione publicorum Univerſitatis Benefactorum, præ Concionibus ſolennibus intra Univerſitatem habendis.*

STATUTUM eſt, quod in Precatione ante Conciones Latinas cujuſque Termini initiales; item in Concionibus ante et poſt meridiem in Comitiis; etiam in Feſtivitate Inaugurationis Regiæ, et coram Judicibus ſive Juſtitiariis Aſſiſarum; per quemcunque Univerſitatis noſtræ Oxonienſis concionaturum, expreſſa et grata fiat Commemoratio publicorum Univerſitatis Oxonienſis Benefactorum; ſcilicet, Illuſtriſſimi Principis *Humfredi* Gloceſtriæ Ducis, *Johannis Kempe* Cantuarienſis Archiepiſcopi, *Thomæ Kempe* Londinenſis Epiſcopi, *Margaretæ* Comitiſſæ Richmondiæ, *Henrici* VII. et *Elizabethæ*

Uxoris ejus, *Richardi Lichfield* Archidiaconi Middlesexiæ, *Thomæ Wolsey* Cardinalis et Archiepiscopi Eboracensis, *Henrici* VIII. *Mariæ* Reginæ, *Elizabethæ* Reginæ, *Jacobi* Regis, *Thomæ Bodley* Militis, *Henrici Saville* Militis, *Gulielmi Sidley* Militis, *Nicolai Kempe* Militis, *Thomæ White* S. Theologiæ Doctoris, *Gulielmi Cambden* Armigeri, *Richardi Tomlins* Armigeri, *Gulielmi Heather* Musicæ Doctoris, *Caroli* I. Regis et Martyris, *Edvardi* Comitis de Clarendon, *Gulielmi Laud* et *Gilberti Sheldon* Archiepiscoporum Cantuariensium, *Henrici* Comitis de Danby, *Henrici Birkhead* Armigeri, *Georgii* I. Regis, *Johannis Radcliffe* Medicinæ Doctoris, *Nathanielis* Baronis Crewe, Episcopi Dunelmensis, *Richardi Rawlinson* Juris Civilis Doctoris, *Caroli Viner* Armigeri, *Georgii Henrici* Comitis de Litchfield, *Caroli Godwyn* Sacræ Theologiæ Baccalaurei, *Johannis Bampton* Artium Magistri, *Francisci* Baronis Godolphin, *Johannis Sibthorpe* Medicinæ Doctoris, *Johannis Wills* Sacræ Theologiæ Doctoris,[m] *Georgii Aldrich* Medicinæ Doctoris,[n] et *Georgii* III. Regis:[o] vel cujuscunque alterius, quem posthæc in Album Benefactorum referre Universitati placebit: sub pœna decem Solidorum, toties quoties. Alias vero ipsos commemorare nemo teneatur.

§. 11. *De Offensionis et Dissensionis materia in Concionibus evitanda.*

STATUTUM est, quod si quis pro Concione aliqua, intra Universitatem ejusve præcinctum habita, [p] quicquam Doctrinæ vel Disciplinæ Ecclesiæ Anglicanæ publice receptæ dissonum aut contrarium, aut publica auctoritate, ad tempus vel aliter, prohibitum, protulerit, sive protulisse ab ipso Vice-Cancellario suspectus, vel ab alio aliquo,

[m] In Convocatione habita 20°. die mensis Octobris, A. D. 1808. placuit venerabili cœtui ut Nomen reverendi viri *Joannis Wills*, S. T. P. collegii Wadhami haud ita pridem Gardiani, in Album publicorum Benefactorum referatur. Reg. Conv. 1808.

[n] In Convocatione habita 26°. die mensis Novembris, A. D. 1816. placuit venerabili cœtui ut Nomen viri spectatissimi *Georgii Aldrich*, Med. D. olim e Col. Merton. et Lecturarum in Anatomia et in Chemia Fundatoris, in Album publicorum Academiæ Benefactorum referatur. Reg. Conv. 1816.

[o] In Convocatione habita 10°. die mensis Martii, A. D. 1821. placuit venerabili cœtui, ut Nomen Regis Augustissimi *Georgii Tertii* beatæ memoriæ, Literarum Patroni, et Academiæ Fautoris, inter Benefactores referatur. Reg. Conv. 1821.

[p] N. 41.

rationabilem ſuſpicionis cauſam afferente, delatus fuerit; Quod poſtulanti Vice-Cancellario, ſive ejus Deputato, Concionis ſuæ verum exemplar, eiſdem terminis conſcriptum, virtute juramenti tradet; vel, ſi prætendat ſe exemplar non habere, de iis, de quibus ſuſpectus vel delatus fuit, directe virtute juramenti reſpondebit.

Deinde vero Vice-Cancellarius, ſive ejus Deputatus, verbis ſenſuve eorum, quæ in quæſtionem vocantur, in medium prolatis, et rite perpenſis, adhibito conſilio ſex aliorum S. Theologiæ Doctorum, (quorum unus ſit S. Theologiæ Profeſſor Regius, ſi Concioni interfuerit) ſi quem criminis objecti reum invenerit, eum pro arbitrio vel a munere prædicandi intra præcinctum Univerſitatis ſuſpendet; vel ad ea, quæ protulit, recantandum adiget. Sin verba ad ſeditionem aliquam in Univerſitate, vel Societate, ſive Communitate aliqua excitandam, Vice-Cancellario tendere videantur, ipſe ſolus [q] Vice-Cancellarius, adſcito ſibi uno aliquo Sacræ Theologiæ Doctore, qui interfuit, Incarceratione, Mulcta pecuniaria, vel Recognitione publica (prout ipſi videbitur) puniat: et prædictorum criminum ſuſpectus perturbatæ pacis reus habeatur.

§. 12. *De Officiis Divinis, ſeu Precibus ſolennibus juxta Liturgiam Eccleſiæ Anglicanæ, et Concionibus publicis, frequentandis.*

STATUTUM eſt, quod ad Officia Divina, ſive Preces ſolennes juxta Liturgiam Eccleſiæ Anglicanæ, et Conciones publice coram Univerſitate habendas, omnes Doctores, Magiſtri, Graduati et Scholares, diligenter accedant, et eiſdem debita cum reverentia et attentione, quoad peractæ fuerint, a principio uſque ad finem interſint; nec [r] quiſquam, dum ejuſmodi Divina Officia et Conciones coram Univerſitate habentur, ad aliam Eccleſiam, vel Eccleſias, divagetur; ſub pœna quod ſi quis ſecus fecerit, tribus Solidis ac quatuor Denariis mulctetur.

Nemo autem unquam, cujuſcunque demum Gradus et conditionis fuerit, vel cuilibet iſtorum cœtui, qui ab Eccleſiæ Anglicanæ Doctrina vel Diſciplina diſſentiunt, ſeſe quoviſmodo immiſceat; vel

[q] KK. 314. b. [r] N. 41.

Concionibus, aut Divinis Officiis quibuscunque, intersit, nisi quæ palam habeantur in locis ab auctoritate Episcopali (prout in Ecclesia Anglicana recepta est) ad hos usus destinatis.

At si quis contra hoc Statutum deliquisse deprehensus fuerit, mulctetur, prima vice, sex Solidis et octo Denariis; secunda vice, tredecim Solidis ac quatuor Denariis, atque insuper a Vice-Cancellario, assidentibus ipsi Procuratoribus et Ædium Præfectis in Conventu suo ordinario, serio admoneatur; tertia autem vice, ab Academia in perpetuum amoveatur.

Denique Statutum est, quod in Termino Michaelis, mense scilicet Novembris, quolibet anno, modo supra præfinito, selectorum Concionatorum designatio semper fiat. Hoc autem anno prima horum Concionatorum designatio fiat inter tres menses a confirmatis his Statutis per venerabilem Domum Convocationis.

Omnes insuper, qui Termino Michaelis proxime sequenti concionari debent, ante duos menses præmoneantur; ac schedulam, forma supra præfinita, intra mensem ab accepta monitione, Sacræ Theologiæ Bedello superiori tradere teneantur.

Cætera quod attinet, Statuta hæc vim et effectum non habebunt ante diem decimum Octobris proxime secuturum.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in terminos die vicesimo octavo mensis Novembris; publicatum est in Domo Congregationis die tertio mensis Decembris, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum sexto die Decembris, Anno Domini 1803.

TITULUS IX.

SECTIO II.

DE EXAMINANDIS GRADUUM CANDIDATIS.

Corpus Stat. p. 71. Addenda p. 115.

§. 1. *De Examinatoribus designandis, et juramento onerandis, per Seniorem Procuratorem.*

QUO innotescat certius Congregationi Regentium eruditio et in bonis literis progressus eorum qui primum sibi Gradum, sive in Artibus, sive in Jure Civili, petunt; Statutum est, quod unusquisque nondum Graduatus, antequam ad supplicandum pro Gratia admittatur, examen subeat.

Cum vero, variis de causis, antiquus examinandi mos, per Magistros necessario Regentes, hisce temporibus minime accommodatus sit, decrevit haud ita pridem Academia, Examinatores Publicos designandos esse, et novam formam EXAMINATIONIS instituendam; in qua cum nonnulla jam agnoscimus in melius mutari posse, (usus enim fere semper aliquid apportat novi, ita ut quæ optima putaveris ea in experiundo repudies,) visum est Academiæ rem ab integro refingere.

Abrogetur itaque Statutum A. D. 1800 conditum, et præsens Statutum in ejus locum subrogetur.

In posterum quatuor sunto Examinatores Publici, ex eorum numero qui aliquando in Artibus, vel in Jure Civili, inceperint, per Vice-Cancellarium et utrumque Procuratorem, ex ipsorum consensu, nominandi, et deinceps a Venerabili Domo Convocationis pariter ac Congregationis approbandi; ita ut prima nominatio penes Vice-Cancellarium sit, secunda penes Procuratorem Seniorem, tertia penes Procuratorem Juniorem; et hic ordo nominationum in perpetuum servetur. Et ut omnia in hoc negotio cautius fiant et integrius, ista nominatio primum quidem in Congregatione Domui significetur; deinde in proxima Congregatione Examinatorum Nomina sigillatim suffragiis Regentium permittantur; et tandem post tres dies in fre-

quenti Convocatione, eodem modo, a Domo approbanda demum, ſeu improbanda, proponantur. Cauto ſemper, quod hæc Examinatorum deſignatio ita fiat, ut duo Examinatores ex eodem Collegio, vel Aula, nunquam ſimul exiſtant.

Ex hiſce Examinatoribus officio ſuo cedant quotannis ii qui munere ſuo per duos annos functi fuerint; et ſubrogentur in eorum locum tot alii quot ad numerum quaternarium explendum ſufficiant, a Vice-Cancellario et Procuratoribus, modo et ordine ſupra definitis, nominandi, et ſub forma etiam ſupra definita a Venerabili Domo Convocationis pariter et Congregationis approbandi.

Proviſo ſemper, quod nemo, qui Examinatoris officio per biennium integrum functus fuerit, eodem officio, niſi poſt annum elapſum, iterum fungatur.

Horum ſit Examinatorum omnes qui primum ſibi Gradum, ſive in Artibus, ſive in Jure Civili, petunt, examinare. Unicuique autem Examinationi omnes Examinatores ſemper adeſſe volumus, operamque per totum tempus impigram impendere, niſi quis ob infirmiorem valetudinem, aut ſeriam aliquam cauſam a Vice-Cancellario et Procuratoribus approbandam, veniam abſentiæ ſibi a Vice-Cancellario impetraverit. Nemini vero iſtiuſmodi venia ultra unam Examinationem prorogetur.

Examinatores intra Scholarum præcinctus, ſingulis diebus Examinationis, Procuratoribus abſentibus, Procuratoria auctoritate muniantur, atque inſuper durante officio ſuo (ſicut Magiſtri Scholarum) ſint Regentes ad placitum; et in Domo Congregationis, antequam munus ſuum ineant, per Seniorem Procuratorem juramento onerentur, in hæc verba;

Domine Doctor, vel *Magiſter, tu jurabis, quod munus et officium Examinatoris Publici ſedulo et fideliter pro virili exequêris, forma et modo per Statuta requiſitis.* Reſp. *Juro.*

Item tu jurabis, quod, ſepoſitis omni odio et amicitia, timore et ſpe, neque indigno cuivis teſtimonium perhibebis, neque digno denegabis, et quod in Schedula Candidatorum ordinanda claſſem unicuique ſecundum merita ſua aſſignabis, et neque indignum aliquem admittes, neque dignum repudiabis. Reſp. *Juro.*

Item tu jurabis, quod nullo modo revelabis ſuffragium quod vel ipſe tuleris, vel alius quivis Examinator tulerit, in judicio de Candidatorum meritis pronunciando. Reſp. *Juro.*

§. 2. *De* EXAMINATIONIBUS *habendis, et de Candidatorum admiſſione.*

EXAMINATIONIBUS habendis aſſignentur in Termino Michaelis quatuor Septimanæ, a decimo die menſis Novembris, quatuor itidem in Termino Paſchatis, a die Jovis Dominicam ſecundam poſt Feſtum Paſchatis proxime ſequente, incluſive numerandæ. Quod ſi forte initium alicujus EXAMINATIONIS in diem feſtum inciderit, inchoatio ejuſdem in diem immediate ſequentem differatur.

Qui autem in alterutro horum Terminorum examen ſubituri ſunt, nomina ſua vel per ſe, vel per Tutores ſuos, coram Procuratore Seniore profiteantur, in Regiſtro peculiari penes Procuratorem Seniorem aſſervato, et in Terminos hoſce rite diſtributo, inſerenda; hac tamen lege, nequis ſerius quam triduo (ita ut tres dies integri ſuperſint) ante EXAMINATIONEM inchoandam Procuratorem de hac re adeat.

Proviſo ſemper, quod nemini examen ſuum cedat pro forma, qui ſe examinandum ſiſtet ante inchoatum a tempore Matriculationis ſuæ quartum annum[q]; exceptis iis quibus indulget Academia, ut integro triennio in ſtudiis Academicis completo ad Gradum promoveantur[r]. Hiſce omnibus licebit poſt inchoatum tertium annum, a tempore Matriculationis ſuæ computandum, examen ſubire.

Nemo etiam ad examen ſubeundum admittatur, niſi qui intra duos annos examinis ſui Terminum immediate præcedentes binis diebus ad minimum EXAMINATIONI Publicæ per integrum tempus interfuerit. Et quo unumquemque huic Statuto ſatisfeciſſe liquido appareat, EXAMINATIONIS, cui interfuerit, dies notentur, Teſtimonio ei perhibito ab uno Examinatorum Publicorum ſub hac forma;

A. B. Examinationi Publicæ per integrum tempus interfuit.
1mo. (die menſis et anni) *Ita teſtor. C. D.*
2do. *E. F.*

[q] Vide Tit. VI. Sect. VII. Corp. Stat. pp. 46, 47. Addend. pp. 168, 169.

[r] Vide Tit. VI. Sect. I. §. 1. Corp. Stat. p. 25. et App. p. 60. Vide etiam Addend. p. 174.

Quod quidem Teſtimonium quilibet Candidatus per ſe vel per Tutorem ſuum coram Seniore Procuratore teneatur exhibere, eo ipſo tempore quo et nomen ſuum inter Candidatos profitetur; neque licebit Procuratori, Teſtimonio iſto non exhibito, aliquem in Candidatorum numerum referre.

Procurator autem Senior, ubi tandem, modo ſupra præſcripto, de iis omnibus, qui ſeſe Candidatos in Termino aliquo profiteri velint, certior factus fuerit, tenetur ſtatim nomina eorum in Schedulam referre, ſerie Alphabetica; deinde Schedulam iſtam Chirographo ſuo munitam et typis mandatam ſub hoc titulo [*Ordo Examinandorum Termino A. D.*] ad Vice-Cancellarium, ad ſingulos Collegiorum et Aularum Præfectos, ad Procuratorem Juniorem, ad ſingulos Examinatores, et ad cujuſlibet Collegii vel Aulæ Refectorium tam publicum quam privatum Magiſtrorum deferri, et oſtiis etiam Bibliothecæ Bodleianæ, Scholæ Metaphyſices, et Apodyterii Venerabilis Domus Convocationis affigi, curabit: quæ omnia ita agenda ſunt, ut, ſi fieri poteſt, bini dies integri inter Schedulam hanc publici juris factam et EXAMINATIONEM inchoandam interjiciantur.

Et hæc Schedula Procuratoria, modo et forma præſcriptis publicata, pro omni qualicunque licentia, monitione, et notificatione, tam ab ipſis Examinatoribus, quam a Candidatis, habenda et accipienda eſt.

§. 3. *De Forma et Modo* EXAMINATIONIS.

Locus EXAMINATIONIBUS habendis aſſignetur Schola Metaphyſices. In eam igitur Scholam Examinatores ſe conferant diebus in Terminis Michaelis et Paſchatis ſupra præſcriptis, et hora decima matutina; et deinde continuetur EXAMINATIO (donec de omnibus Candidatis proviſum fuerit) a die in diem, niſi ob cauſam aliquam rationabilem Examinatoribus aliter viſum fuerit; quo in caſu monentur Examinatores ut de die quem continuandæ EXAMINATIONI deſtinaverint Academiam certiorem faciant Schedula monitoria ad Collegiorum et Aularum Præfectos deferenda, ad portam inſuper Refectorii vel Promptuarii cujuſque Collegii et Aulæ, et ad portam Scholæ Metaphyſices per Æditum Univerſitatis ad minimum ante

meridiem diei præcedentis affigenda. Formula vero Schedulæ hæc esto;

Examinatio publica die *habenda est.*
A. B.
C. D.
E. F.
G. H.

Hora autem decima matutina in Examinatione uniuscujusque diei incipienda semper servetur. Excepto quod in die aliquo festo Examinatio non incipiatur nisi post concionem publice coram Universitate habitam.

Candidati vero juxta ordinem Schedulæ Procuratoriæ ab Examinatoribus nominatim ad examen suum subeundum citentur. Qui citatus non responderit, nisi ex causa rationabili per Vice-Cancellarium approbanda, omni loco in EXAMINATIONE istius Termini privetur; neque ad aliam aliquam EXAMINATIONEM tanquam Candidatus admittatur, nisi iterum coram Procuratore Seniore nomen suum professus fuerit; et citetur proximus Candidatus, sub eadem lege, et sic deinceps. Quod si Vice-Cancellarius causam aliquam absentiæ ratam habuerit, extremus tamen locus in Schedula isti Candidato assignetur. Proviso semper, quod non plures quam Sex Candidati eodem die ad examen subeundum admittentur.

Instituatur igitur examen in RUDIMENTIS RELIGIONIS, in LITERIS HUMANIORIBUS, et in MATHEMATICARUM SCIENTIARUM et PHYSICES ELEMENTIS: et in Examine cujusque Candidati is ordo servetur.

Præ cæteris igitur omnibus primum sibi locum vindicant RELIGIONIS RUDIMENTA. Meminerint Examinatores, et hanc sibi sanctam habeant juramenti sui interpretationem, defectum in hac re nullis aliis quibuscunque Candidatorum meritis compensari posse, ita ut qui in gravissima hac materie Examinatoribus non satisfecerit nullum omnino Testimonium obtineat.

Adhibentor semper S. S. Evangelia Græca, e quibus locus aliquis

Candidato interpretandus proponatur, et Quæſtiones ex iſta interpretatione oriundæ excutiantur.

Adhibentor etiam Doctrinæ Articuli in Synodo Londini anno 1562 editi; in quibus, juxta Academiæ Statuta, a Tutoribus inſtituendi ſunt omnes qui illorum tutelæ committuntur[t]. De ipſis Dogmatibus breves ſunto et dilucidæ Quæſtiones; deinde ad locos S. S. Scripturæ provocetur, ex quibus Dogmati iſti de quo agitur fides præcipue adſtruenda ſit.

Porro et Evidentiæ quas vocant, ſive argumenta quibus innititur Religionis tam Naturalis quam Revelatæ veritas, ab hac EXAMINATIONE nequaquam alienæ cenſendæ ſunt.

Per LITERAS vero HUMANIORES intelligimus, non tantum Linguas Græcam et Romanam, ſed et Rhetoricam quoque et Moralem Philoſophiam, quatenus a Scriptoribus veteribus derivandæ ſint. Dialecticam itidem hiſce Literis adnumeramus.

Adhibentor igitur tres ad minimum Scriptores Græci et Romani, melioris ævi et notæ. Proviſo ſemper, quod, ſi adhibitus fuerit Ariſtoteles tanquam Dialecticæ Magiſter, nequaquam eo nomine inter tres iſtos Scriptores numerandus eſt.

Examinatoribus inſuper explorandum incumbit, qua quiſque polleat facultate animi ſui ſenſa lingua Latina explicandi. Id quod explorare poterunt, porrecto aliquo libro, lingua vernacula conſcripto, e quo oblatum quemcunque locum lingua Latina reddere Candidatus quiſque tenetur; aut alio quocunque demum modo, quo ſibi commodius ſatisfacturos Examinatores probabile eſt.

Cæterum quod ad LITERAS HUMANIORES et MATHEMATICARUM SCIENTIARUM et PHYSICES ELEMENTA attinet, Examinatoribus liberum eſto quemlibet Candidatum vel in hiſce univerſis, vel in aliqua parte horum, (prout ipſis ſatius viſum fuerit,) examinare; modo ut Dialecticæ ratio habeatur, et ut tres iſti Scriptores Græci et Romani ſemper adhibeantur. Nihil enim triſte aut aſperum molimur. Lenitati ubique conſultum volumus, modo ne ea ſit, quæ Juniorum ſocordiæ patrocinari videatur. Proviſo ſemper, quod non

[t] Vid. Tit. III. §. 2. Corp. Stat. p. 10.

licebit cuivis Examinatori Candidatum aliquem ex eadem Domo ex qua ſit ipſe examinare.

Candidati autem uniuſcujuſque examen, quantum fieri poterit, uno decurſu abſolvatur, ita ut ante illud abſolutum alius Candidatus non citetur. Si vero poſt examen Candidati viva voce peractum ſuperſit aliquod ſcriptis ab eodem Candidato præſtandum, licebit Examinatoribus examen iſtud eatenus pro abſoluto habere, ut Candidatum proximum continuo citent.

Proviſo ſemper, quod, in omni hoc EXAMINATIONIS negotio, licebit aut Latino aut Anglicano idiomate uti, prout Examinatoribus magis expedire videbitur.

Unoquoque autem die, ubi viſum fuerit Examinatoribus nullum alium Candidatum iſto die citare, palam declarabit Examinator Senior diem EXAMINATIONI continuandæ deſtinatum. Et poſt finitam Examinationem uniuſcujuſque diei alii omnes Schola excedant præter ipſos Examinatores, qui de Candidatis inter ſe judicium ferent, ac quemcunque dignum invenerint, ei Teſtimonium perhibebunt ſinguli ſub hac forma;

A. B. [die menſis et anni] *examinatus, prout Statuta requirunt, ſatisfecit nobis Examinatoribus.*

Ita teſtamur { *C. D.*, *E. F.*, *G. H.*, *I. K.* }

Quod ſi forte contingat aliquem hujuſmodi Teſtimonio indignum reperiri, licebit tamen illi in ſequente alicujus Termini EXAMINATIONE Candidatum ſe iterum profiteri.

Peracta demum uniuſcujuſque Termini EXAMINATIONE, Examinatores eo ipſo die, ſi fieri poteſt, ſin minus poſtridie, in Scholam Metaphyſices ſe conferent, atque ibi deliberatione mature et ſecreto habita, et ſepoſitis omni odio et amicitia, timore et ſpe, de Candidatorum omnium, qui Teſtimonium iſtud obtinuerunt, meritis, inter ſe judicium ferent, et eoſdem in Claſſes diſtribuent.

Claſſium vero Series duplex eſto, quarum altera ad LITERAS HU-

MANIORES, altera ad MATHEMATICAS et PHYSICAS DISCIPLINAS pertinere cenſenda eſt.

Et qui cæteris Candidatis in alterutra Serie ita antecellere viſi fuerint, ut inſigniore aliqua laude digni cenſeantur, in PRIMAM ISTIUS SERIEI CLASSEM referendi ſunt; in SECUNDAM qui, etſi non egregios, laudabiles tamen progreſſus feciſſe viſi fuerint. Cæteri, qui Examinatoribus ſatisfecerunt, in TERTIAM referantur, quibus ſatis eſto Teſtimonium perhibuiſſe. Duas autem priores Claſſes in Schedulam quandam referri volumus, cujus forma hæc eſto.

CANDIDATORUM TERMINI A. D.

	IN LITERIS HUMANIORIBUS.	IN DISCIPLINIS MATHEMATICIS ET PHYSICIS.
CLASSIS I.	*A. B. e Coll.* *C. D. e Coll.* &c. &c.	*A. B. e Coll.* *C. D. e Coll.* &c. &c.
CLASSIS II.	*A. B. e Coll.* *C. D. e Coll.* *E. F. e Coll.* *G. H. e Coll.* *I. K. e Coll.* *L. M. e Coll.* &c. &c.	*A. B. e Coll.* *C. D. e Coll.* *E. F. e Coll.* *G. H. e Coll.* *I. K. e Coll.* *L. M. e Coll.* &c. &c.

In utraque autem Claſſe [u] nomina ſecundum ordinem Alphabeticum diſponantur. Cauto ſemper, quod ſi Candidatus aliquis Examinatoribus IN LITERIS HUMANIORIBUS non ſatisfecerit, nullum omnino Teſtimonium aut locum in Schedula iſta obtineat.

Sin autem in Schedula hac ordinanda Examinatores pari utrinque ſuffragiorum numero in diverſas ſententias abierint, ea demum ſententia rata eſto, pro qua ſteterit Examinator Senior, modo ne ſit ex

[u] Vide §. 3. de novo enact. 1°. Martii, A. D. 1809.

eadem domo unde Candidatus ipſe de quo agitur: in quo caſu auctoritas ſimpliciter Senioris ad proxime Seniorem transferenda eſt. Quæ quidem Senioritas hoc modo æſtimanda eſt; ſcilicet, Doctorum, juxta Ordinationes Tit. XI. §. 2. Baccalaureorum vero in quavis facultate, pariter ac Magiſtrorum, juxta prioritatem præſentationis ſuæ ad Gradum Magiſtri in Artibus. Corpus Statutorum pp. 128, 129.

Denique hanc Schedulam, propriis omnium Examinatorum nominibus ſignatam, et typis mandatam, ad Dominum Cancellarium et Vice-Cancellarium, ad ſingulos Collegiorum et Aularum Præfectos, ad utrumque Procuratorem, necnon ad cujuſlibet Collegii et Aulæ Refectorium, Examinator Senior curabit deferri.

§. 4. *De Officio ac Cura Vice-Cancellarii et Procuratorum circa* EXAMINATIONES; *et de Examinatoribus remunerandis.*

Quo Statutum hoc de examinandis Candidatis in futurum ſancte et inviolabiliter obſervetur, Ordinatum eſt, quod unicuique EXAMINATIONI Vice-Cancellarius ſaltem bis, Procuratores vero, ſinguli quater ad minimum, interſint, exploraturi utrum omnia rite et ſecundum Statuta peragantur.

Si quis vero Examinator vel fatis conceſſerit, vel ſe officio ſuo abdicaverit, vel (quod abſit) in graviſſimo hoc munere obeundo ita ſe geſſerit ut, ex Vice-Cancellarii, vel amborum Procuratorum, ſententia, ab officio ſuo amoveatur, tanquam qui neque Matris Academiæ dignitati, neque juramenti ſui obligationi, ſatisfecerit; alius in ejus locum, qui vices ejus ſuppleat in partem biennii nondum elapſam, forma et modo ſupra præfinitis, continuo ſubrogetur.

Et quo Examinatoribus accedant non modo Gratiæ, quas illis uſque aget habebitque Academia maximas, ſed et remunerationes quædam pecuniariæ, Statutum eſt, quod Candidatus unuſquiſque, cum inter examinandos refertur a Procuratore, perſolvet xxi Solidos; et quod hæ pecuniæ (exceptis tribus Solidis, in Famuli Procuratoris uſum, et uno Solido in uſum Æditui Univerſitatis, viritim pro numero examinandorum reſervandis,) a Procuratore ad Vice-Cancellarium deferantur; qui aliis inſuper, quantum opus fuerit, e Ciſta Academica Pecuniis depromptis, (iis ſcilicet, quæ per Decretum

Convocationis anno 1802 sancitum[1] ab Academicis exiguntur,) id semper curabit, ut unicuique Examinatori annua octoginta Librarum Pensio persolvatur.

Addenda p. 115.

Cæterum Examinatorum designatio jam facta rata permaneat, ita ut Examinatores isti, auctoritate Statuti A. D. 1800 designati, licet plures sint quam quatuor, tamen ab initio Termini Michaelis proxime sequentis pro Examinatoribus auctoritate præsentis Statuti designatis accipiendi sint; atque eo nomine juramento supra præscripto per Seniorem Procuratorem onerentur.

Quod si forte unus aut alter officio suo quoquo modo cesserit, nemo tamen in ejus locum subrogetur, si modo quatuor adhuc ex Examinatorum numero supersint; sin minus, subrogetur novus Examinator juxta ordinem nominationum supra præscriptum. Deinde in Termino Hilarii A. D. 1808 tot novi Examinatores nominentur quot (ratione habita eorum qui in officio suo per alterum annum permansuri sunt) ad numerum quaternarium supplendum sufficiant; et sic deinceps. Perpetuis enim futuris temporibus hæc Examinatorum Publicorum nominatio Termino Hilarii in Congregatione post Diem Cinerum proxime habenda, annuatim Domui significetur: et deinceps peragantur etiam reliqua quæ ad illorum designationem spectant, prout superius ordinatum est. Et Examinato es Termino Hilarii annuatim de novo designati Termino Michaelis proxime sequente munus suum inibunt.

Volumus insuper, quod Registrum peculiare penes Examinatores in Schola Metaphysices adservetur, in quo eorum omnium qui Testimonium obtinuerint nomina unoquoque Examinationis die inferantur; ita ut. si in Congregatione Regentium de ista re quæstio aliquando oriatur, ad Registrum hoc perpetuo possit appellari.

Quoniam vero usu venit, ut dies et horas negotiis Academicis a Statutis destinatas mutare interdum commodius reperiatur, fas sit Venerabili Domui Congregationis, ex causa rationabili per Vice-Cancellarium approbata, diem aliquem aut horam hoc Statuto præscriptam pro Examinationibus habendis mutare. Proviso tamen,

[1] Vide Addend. p. 152. not. m.

quod Vice-Cancellarius ante triduum Academiam certiorem faciat, si quando hujusmodi rem ad Venerabilem Domum Congregationis referendam censuerit.

Ordinatum est insuper, quod Statutum hoc vim et vigorem suum non obtinebit ante diem decimum mensis Octobris proxime sequentis.

Denique, ad tollendam omnem dubitationem, expresse pronunciamus, quod examen nondum Graduati, virtute prioris alicujus Statuti habitum, effectum habeat Examinis pro primo Gradu præsentis Statuti auctoritate imperati.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in terminos die duodecimo mensis Junii; publicatum est in Domo Congregationis die decimo tertio mensis Junii, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum decimo sexto die Junii Anno Domini 1807.

TITULUS I.

DE TERMINIS ET VACATIONIBUS.

Corpus Statutorum p. 1.

§. 1. *De Terminorum numero, initio, et fine.*

ORDINATUM est, quod annus Academicus, prout sequioris Ævi consuetudo obtinuit, quatuor Terminos, in quibus omnes Actus Scholastici exercendi sunt, et totidem Vacationes contineat.

E quibus [y] primus Terminus incipiet in crastino S. Dionysii, scilicet decimo Octobris, (in quo antiquitus Magistri Lectiones suas resumere solebant;) et octavo die ante Natalem Domini, scilicet decimo septimo Decembris, in crastino diei qui O Sapientia dici solet, terminabitur.

[y] A. 102. b. C. 26. b. D. 7. b.

Secundus autem in craſtino S. Hilarii, hoc eſt, decimo quarto Januarii, inchoabitur; et in Vigilia Dominicæ Palmarum definet; ita tamen, quod Lectores ſeu Profeſſores non teneantur legere tempore Quadrageſimali.

Tertius autem die Mercurii poſt Dominicam in Albis, hoc eſt, decimo die poſt feſtum Paſchatis, initium ſumat; et in die Saturni proxime ante Pentecoſten exeat.

Quartus die Mercurii poſt feſtum Pentecoſtes auſpicetur; et continuetur ex prorogatione, virtute præſentis Statuti, (abſque præjudicio vel incommodo Statutorum vel Conſuetudinum alicujus Collegii vel Aulæ,) in diem Sabbati Comitia proxime ſequentem; et ulterius, ſecundum beneplacitum Vice-Cancellarii, Procuratorum, et Magiſtrorum Regentium.

Quod ſi forte initium vel finis alicujus Termini in diem Feſtum inciderit, inchoatio vel terminatio ejuſdem in diem immediate ſequentem differatur. Proviſo ſemper, quod ſi finis Termini tertii in diem Feſtum inciderit, Terminus iſte in die antecedenti exeat.

Plenus autem Terminus, quoad exercitia in pleno Termino per Statuta neceſſario præſtanda, inchoari intelligendus eſt primo die Hebdomadis ſequentis primam Congregationem; utpote, ſi prima Congregatio fuerit die Lunæ, Dominica proxime ſequens habeatur primus dies in pleno Termino.

TITULUS VI.

SECTIO VII.

Corpus Statutorum p. 46.

QUOMODO ET UNDE COMPUTANDUM SIT TEMPUS SINGULIS GRADIBUS CAPESSENDIS PRÆSTITUTUM.

QUONIAM Tempus ſingulis Gradibus capeſſendis præſtitutum, alias Annorum, alias Terminorum numero, in his ipſis Statutis exprimitur (ne qua inde cavillandi anſa ſubminiſtretur) præſenti

Statuto cautum eſt, quod ubicunque tempus Gradui cuivis præſtitutum per Annos computatur, eadem temporis Menſura in Terminos reſoluta (ſingulis Annis quatuor Terminos deputando) præſtituta eſſe intelligatur. Utpote, ubi tres Anni requiruntur, duodecim Termini; ubi quatuor, ſedecim Termini intelligendi ſunt; et ſic in cæteris.

Inſuper in iis Gradibus, qui a non Graduatis primo ſuſcipiuntur, Tempus hujuſmodi Gradui præſtitutum a tempore Matriculationis computandum eſt: quod ſi quis Vacationis tempore matriculetur, a Termino Matriculationem ſuam ſequente Terminos ad Gradum requiſitos computabit.

In iis vero Gradibus, qui a Baccalaureis cujuſlibet Facultatis capeſſuntur, a tempore præſentationis ad Gradum Baccalaurei in eadem Facultate:

In iis tandem Gradibus, qui Gradum Magiſtralem præſupponunt, a tempore admiſſionis ad Regendum, computandum erit tempus.

Denique quoniam haud pauci ſingulis Terminis, unum aut alterum Diem in Univerſitate commorantes, Officio ſuo et Statutis ſatiſfeciſſe, et vel ſic Terminos ad Gradum requiſitos compleviſſe, ſe putant; Statutum eſt quod Nemo, qui nondum Gradum aliquem adeptus fuerit, ſive Collegii alicujus, ſive Aulæ, fuerit Scholaris, Terminos ad Gradum ſuum requiſitos compleviſſe reputandus ſit, niſi qui ſingulis Terminis Michaelis et Hilarii per ſex Septimanas, ſingulis autem Terminis Paſchatis et Trinitatis per tres Septimanas, in Univerſitate commoratus fuerit. Excepto ſemper Termino, in quo quis Gradum ſuſcepturus eſt; cujus primus Dies juxta receptam antiquitus conſuetudinem habetur pro Termino completo. Excepto etiam Termino, in quo quis primum ad Academiam accedens matriculatur, cujus ultimus dies pro integro Termino reputatur.

Proviſo ſemper, quod Baccalaurei Facultatis Artium Terminos ad Gradum Magiſtralem requiſitos compleviſſe reputandi ſint, ſi Terminis ſingulis, Michaelis, Hilarii, Paſchatis, et Trinitatis, per tres Septimanas in Univerſitate commorati fuerint: eadem etiam Lex eſto Studioſis in Jure Civili poſtquam duodecim Terminis, præter Terminum Matriculationis ſuæ, per Septimanas ſupra requiſitas, in

Univerſitate commorati fuerint, et (ſi examinari debuerint) Examen Publicum pro Gradu ſubierint.

TITULUS VII.

DE GENERALI INCEPTIONE IN SINGULIS FACULTATIBUS, SIVE DE VESPERIIS ET COMITIIS.

SECTIO I.

Corpus Statutorum p. 48.

STATUTA SPECIALIA, AD VESPERIAS ET COMITIA PERTINENTIA.

§. 1. *De Tempore Comitiorum.*

CUM antiquitus in ſingulis Facultatibus admiſſi ad Incipiendum diverſis Anni temporibus ſolenniter Incipere conſueverint, id quia Academiæ moleſtum et minus honorificum compertum fuit, Univerſitati Magiſtrorum Regentium et non Regentium tandem placuit, ut ſemel duntaxat in quolibet Anno in omnibus Facultatibus Generalis Inceptio haberetur, quæ Comitia ſive Actus diceretur. Et ſtatutum eſt, [a] ut hujuſmodi Comitia annuatim celebrarentur primo die Martis menſis Julii, et veſperiæ die Saturni proxime præcedente.

Corp. Stat. p. 57.

§. 20. *De Concione Latina, habenda die proximo poſt Comitia.*

DIE Mercurii proximo poſt Comitia, hora octava matutina, in Templo B. Mariæ Virginis, Concio ad Clerum Latina haberi conſuevit; ad quam Concionem habendam, in arbitrio erit Vice-Cancellarii, aliquem e Doctoribus, vel Baccalaureis in S. Theologia, aut quemcunque alium, ante tres menſes præmonitum, deſignare.

[a] KK. 20. b.

TITULUS XVI.

DE CONCIONIBUS.

§. 4. *De Concionibus quibusdam extraordinariis ad Ecclesiam B. Mariæ.* Corpus Stat. p. 149. Addenda p. 147.

STATUTUM est, quod (præter illas Conciones quæ in diebus Dominicis et Festis a Collegiorum Præfectis, Doctoribus et Baccalaureis S. Theologiæ, et Magistris Artium, et Baccalaureis Juris, ut præfertur, feriatim præstandæ sunt,) aliæ quoque extra ordinem, certis et statis temporibus, in Ecclesia Beatæ Virginis Mariæ habeantur: nimirum in Festo Inaugurationis Regiæ; et quinto Novembris pro communi liberatione totius Reipublicæ a Proditione Sulphurea; trigesimo Januarii, die martyrii Caroli primi Regis; et vigesimo nono Maii, die gratiarum actionis pro Rege ac Regia familia restauratis. Quas Conciones, præmissis publicis Supplicationibus, aliquis ad id muneris a Vice-Cancellario assignatus habebit.

Porro Concionibus hisce extraordinariis annumerandæ sunt Prælectiones octo Theologicæ, quas, supremo Testamento suo, vir Rev. Johannes Bampton, A. M. in Ecclesia B. Mariæ, intra initium ultimi mensis Termini Hilarii atque finem tertiæ septimanæ Termini Trinitatis, quolibet anno, haberi mandavit. Statuit autem et declarat Academia, quod hæ Prælectiones, sive Conciones, diebus Dominicis intra Teminum ante meridiem, intra tempus præstitutum, semper habeantur.

Necnon in Dominica Quinquagesimæ, et ultima mensis Junii Dominica, ante meridiem; ac in Dominica Pentecostes, tam ante, quam post meridiem; Conciones lingua vernacula habendæ sunt per aliquos ad id muneris a Vice-Cancellario specialiter deputatos. Item in die Dominico Comitiorum, cum ante, tum post meridiem, et in die Mercurii proxime post Comitia; et in utroque Conventu Comitatus, qui Assisæ vocantur; ad quas aliqui per Vice-Cancellarium specialiter sunt designandi. Proviso semper, quoad eum quem ad Concionem Latinam die Mercurii post Comitia habendam a

Vice-Cancellario designari contigerit (si Theologiæ Baccalaureus non fuerit, et tempus ad illum gradum per Statuta requisitum compleverit, quod ante habitam Concionem ad Gradum Baccalaurei in Sacra Theologia, citra ullam dispensationem eo nomine petendam, admitti ipsum licebit. Et in initio cujusque Termini, ac in Die Cineris in Capite Jejunii, coram Baccalaureis Determinaturis, Caputia, (obverso Rhenone, seu pelle agnina,) gestantibus, et pro more in Scamnis Magistrorum sedentibus, Concio Latina habeatur, quam seriatim obire tenentur S. Theologiæ Professores, et alii in Theologia Graduati, sacris Ordinibus initiati; aut vice illorum alii per Vice-Cancellarium approbandi.

TITULUS III.

Corpus Statutorum p. 9.

DE SCHOLARIBUS IN COLLEGIA ET AULAS COMPELLENDIS.

§. 1. *De Scholarium admissione in Collegia et Aulas. Ne quis in domibus privatis victitet, aut hospitetur.*

CUM ad eruditionem et ingenuam Disciplinam promovendam plurimum conducat, ut Scholares non solum sub publico sed etiam sub privato regimine contineantur; [a] Statutum est quod omnes Scholares cujuscunque conditionis, intra septimanam a primo ipsorum adventu ad Academiam, in aliquod Collegium aut Aulam admittantur; ubi continue victum sumere ac pernoctare teneantur, nec ullo modo ultra tempus prædictum (nisi ex gravi aliqua et perurgenti causa per Cancellarium aut ejus Vice-Cancellarium approbanda) in Domo privata cujusquam (sive Privilegiati, sive non) hospitentur aut victitent: sub [b] pœna quod si quis in hoc deliquerit, pro eo tempore quo sic deliquerit, Universitatis Privilegiis non frua-

[a] B. 113. a. [b] A. 29. b.

tur, et, crescente contumacia, pro arbitrio Cancellarii aut Vice-Cancellarii, incarceretur, aut banniatur. Proviso semper, quod causa allegata per Præfectum Domus, vel, eo absente, per ejus deputatum, in Schedula aliqua Chirographo suo munita, Vice-Cancellario significetur. Quod si Vice-Cancellarius causam istam ratam habuerit, licentiam pro certo aliquo tempore, non autem indefinite, concedat; quo etiam in casu hanc licentiam, Chirographo suo munitam, una cum schedula ad se delata, in Registro aliquo peculiari penes ipsum adservando inserendam curabit; quod Registrum in singulis Congregationibus præsto esse, ac demum, finito anno, ad succedentem Vice-Cancellarium transmitti oportet.

[c] Quicunque vero alius (sive Privilegiatus, sive non) ultra tempus prædictum, Scholarem in domo sua commorari, victitare, vel pernoctare permiserit (si prius admonitus fuerit) pro qualibet septimana Vice-Cancellario ad usum Universitatis decem solidos persolvere teneatur. Quod si quis per tres menses Scholarem in domo sua hospitari aut victum sumere permiserit; si Privilegiatus fuerit, Privilegiis Universitatis privetur: si Oppidanus, commercio cum Privilegiatis ei interdicatur.

Proviso tamen, quod liceat Scholaribus in Domibus quibusvis et Tenementis, Collegiis vel Aulis annexis vel annectendis, in quibus oppidani familiam non alunt, hospitari: dummodo in annectendis servetur hæc cautio; ut ita site sint, ut ad eas nullus pateat ingressus, nisi per commune Ostium Collegii, vel Aulæ. Cujus rei arbitrium et cura penes Cancellarium seu Vice-Cancellarium esto.

[c] A. 64. b. C. 109. b.

TITULUS VI.

Corpus Statutorum p. 24.

DE TEMPORE AD GRADUS CAPESSENDOS REQUISITO, ET EXERCITIIS PRO FORMA PRÆSTANDIS.

SECTIO I.

DE TEMPORE ET EXERCITIIS REQUISITIS AD GRADUM BACCALAUREI IN ARTIBUS.

§. 1. *Quot anni, in audiendis publicis Lectoribus ponendi, requirantur ad Gradum Baccalaurei in Artibus.*

STATUTUM eſt, quod [d] Scholares in facultate Artium, antequam Gradum Baccalaureatus ſuſcipiant, quatuor annos integros, ſive ſedecim Terminos, numerandos a die Matriculationis, in Studio Artium, et in publicis Lectoribus, prout Statuta requirunt, diligenter audiendis, in Academia (hoc eſt, minime in Domo privata cujuſpiam hoſpitantes ſeu victitantes, ſed in Collegio vel Aula quapiam abſque dolo malo degentes,) ponere teneantur; exceptis [e] Filiis Baronum in ſuperiori Domo Parliamenti ſuffragii jus habentium, ac Filiis natu maximis Baronettorum, et Equitum Auratorum; necnon Baronum Filiis ex Gente Scotica aut Hibernica; quibus indulget Academia, (modo ne Collegii alicujus Socii, aut Scholares ſive Alumni, fuerint, ea etiam conditione, ut ſub hujuſmodi titulo in Matriculam Univerſitatis relati fuerint,) poſt integrum Triennium in Studiis Academicis completum (vel etiam Baronum Filiis, intra brevius temporis curriculum, ſi Cancellario videbitur) ut, præſtitis Exercitiis ad eum Gradum requiſitis, Gradum Baccalaurei in Artibus ambire poſſint.

[d] A. 85. b. B. 39. a. C. 8. a. D. 56. b.

[e] L. 247. b.

§. 2. *De Exercitiis præſtandis pro Gradu Baccalaurei in Artibus.*

Statutum eſt, quod priuſquam quis ad Gradum Baccalaurei in Artibus admittatur, in Parviſo ſemel Quæſtionibus Magiſtrorum Scholarum reſpondeat.

Responsionibus autem hiſce aſſignentur in Termino Michaelis duæ Septimanæ a die viceſimo ſexto menſis Octobris, duæ itidem in Termino Hilarii a die Mercurii Dominicam Septuageſimæ proxime ſequenti, duæ inſuper a die Lunæ poſt primam Dominicam in Termino Trinitatis, incluſive numerandæ. Qui autem in quovis trium horum Terminorum reſponſuri ſunt, nomina ſua, vel per ſe, vel per Tutores ſuos, coram Procuratore Juniore profiteantur, in Regiſtro peculiari penes ipſum aſſervato, et in Terminos hoſce rite diſtributo, inſerenda; hac tamen lege, nequis ſerius quam triduo (ita ut tres dies integri ſuperſint) ante Responsiones inchoandas Procuratorem de hac re adeat.

Proviſo ſemper, quod nemini Responsio ſua cedat pro forma ante inchoatum a tempore Matriculationis ſuæ ſextum, nec poſt finitum nonum Terminum; exceptis iis quibus indulget Academia, ut integro triennio in Studiis Academicis completo ad Gradum promoveantur[f]. Horum unicuique Responsio ſua cedat pro forma poſt inchoatum quartum Terminum, et ante ſeptimum finitum, a tempore Matriculationis ſuæ computandum.

Si quis autem infirma valetudine aut gravi alia cauſa impeditus intra Terminos ſupra præfinitos non reſponderit, illi tamen licebit, cum conſenſu Vice-Cancellarii et Procuratorum, ſequenti aliquo Termino reſpondere.

Nemo etiam ad reſpondendum admittatur, poſt Terminum Michaelis anno Milleſimo Octingenteſimo Nono, niſi qui Responsionibus hiſce uno ſaltem die per integrum tempus interfuerit: et quo unumquemque huic Statuto ſatisfeciſſe liquido appareat, dies quo interfuerit notetur, Teſtimonio ei perhibito ab uno ex Magiſtris Scholarum ſub hac forma:

[f] Vide Tit. VI. Sect. 1. §. 1. Corp. Stat. p. 25. Addend. p. 174.

A. B. RESPONSIONIBUS *in Parvifo per integrum tempus interfuit,* [die menfis et anni] *Ita teftor. A. B.*

Quod quidem Teftimonium unufquifque per fe, vel per Tutorem fuum, teneatur exhibere, eo ipfo tempore quo et nomen fuum coram Juniore Procuratore profitetur; neque licebit Procuratori, Teftimonio ifto non exhibito, aliquem in RESPONDENTIUM numerum referre.

Procurator autem Junior, ubi tandem, modo fupra præfcripto, de iis omnibus, qui in Termino aliquo refpondere velint, certior factus fuerit, tenetur ftatim nomina eorum in Schedulam referre, Serie Alphabetica; deinde Schedulam iftam Chirographo fuo munitam, et typis mandatam, fub hoc titulo

[*Ordo* RESPONDENTIUM *Termino* *A. D.*]

ad Vice-Cancellarium, ad fingulos Collegiorum et Aularum Præfectos, ad Procuratorem Seniorem, ad fingulos Magiftros Scholarum, et ad cujuflibet Collegii vel Aulæ Refectorium tam publicum quam privatum Magiftrorum deferri, et oftiis etiam Bibliothecæ Bodleianæ, Scholæ Metaphyfices, et Apodyterii Venerabilis Domus Convocationis affigi, curabit: quæ omnia ita agenda funt, ut, fi fieri poteft, bini dies integri inter Schedulam hanc publici juris factam et RESPONSIONES inchoandas interjiciantur.

Et hæc Schedula Procuratoria, modo et forma præfcriptis publicata, pro omni qualicunque licentia, monitione, et notificatione, tam ab ipfis Scholarum Magiftris, quam a RESPONDENTIBUS, habenda et accipienda eft.

§. 3. *De Forma et Modo* RESPONSIONUM.

Locus hifce RESPONSIONIBUS affignetur Schola Metaphyfices. In eam igitur Scholam Magiftri Scholarum fe conferant diebus in Terminis Michaelis, Hilarii, et Trinitatis, fupra præfcriptis, et hora decima matutina; et deinde continuentur RESPONSIONES (donec de omnibus RESPONDENTIBUS provifum fuerit) a die in diem, nifi ob caufam aliquam rationabilem Magiftris Scholarum aliter vifum fuerit; quo in cafu monentur ut de die quem continuandis RESPONSI-

ONIBUS deſtinaverint Academiam certiorem faciant, Schedula monitoria ad Collegiorum et Aularum Præfectos deferenda, ad portam inſuper Refectorii vel Promptuarii cujuſque Collegii et Aulæ, et ad portam Scholæ Metaphyſices, per Æedituum Univerſitatis ad minimum ante meridiem diei præcedentis affigenda. Formula vero Schedulæ hæc eſto;

RESPONSIONES *in Parviſo in diem* *prorogantur.*
A. B.
C. D.

Hora autem decima matutina in RESPONSIONIBUS uniuſcujuſque diei incipiendis ſemper ſervetur. Excepto quod in die aliquo feſto RESPONSIONES non incipiantur niſi poſt concionem publice coram Univerſitate habitam.

RESPONDENTES vero juxta ordinem Schedulæ Procuratoriæ a Magiſtris Scholarum nominatim ad reſpondendum citentur. Qui citatus non adfuerit, niſi ex cauſa rationabili per Vice-Cancellarium approbanda, omni loco in RESPONSIONIBUS iſtius Termini privetur; neque ad reſpondendum in alio Termino admittatur, niſi iterum coram Procuratore Juniore nomen ſuum profeſſus fuerit; et citetur proximus, ſub eadem lege, et ſic deinceps. Quod ſi Vice-Cancellarius cauſam aliquam abſentiæ ratam habuerit, extremus tamen locus in Schedula iſti RESPONDENTI aſſignetur. Proviſo ſemper, quod non plures quam Octo eodem die ad reſpondendum admittentur.

Quæſtiones autem in quibus exercendi ſunt RESPONDENTES ad LITERAS HUMANIORES, ad RUDIMENTA LOGICES, et EUCLIDIS ELEMENTA GEOMETRIÆ ſpectent. Per LITERAS vero HUMANIORES, quod ad has RESPONSIONES attinet, intelligimus Linguas Græcam et Romanam. Adhibentor igitur ſemper bini ad minimum Scriptores melioris ævi et notæ, (hoc eſt, unus ad minimum in utraque lingua,) quorum Interpretatio ad accuratam Grammatices normam exigatur.

Magiſtris Scholarum inſuper explorandum incumbit, qua quiſque polleat facultate animi ſui ſenſa lingua Latina explicandi: id quod explorare poterunt, porrecto aliquo libro, lingua vernacula con-

ſcripto, e quo RESPONDENS oblatum quemcunque locum lingua Latina reddat; aut alio quocunque demum modo, prout ipſis commodius viſum fuerit.

Cæterum quod ad LOGICEN et GEOMETRIAM attinet, Magiſtris Scholarum liberum eſto vel in utraque Scientia, vel in una tantum, Quæſtiones ſuas proponere.

Proviſo ſemper, quod, in omni hoc negotio, licebit aut Latino aut Anglicano idiomate uti, prout Magiſtris Scholarum magis expedire videbitur.

Unoquoque autem die, ubi viſum fuerit Magiſtris Scholarum nullum alium RESPONDENTEM iſto die citare, palam declarabit Magiſter Scholarum Senior diem RESPONSIONIBUS continuandis deſtinatum. Et poſt finitas RESPONSIONES uniuſcujuſque diei alii omnes Schola excedant præter ipſos Magistros Scholarum, qui de RESPONDENTIBUS inter ſe judicium ferent, ac quemcumque dignum invenerint ei Teſtimonium perhibebunt ſub his verbis;

A. B. [die menſis et anni] *Quæſtionibus Magiſtrorum Scholarum in Parviſo pro forma reſpondit.*

Ita teſtamur { *C. D.* / *E. F.* }

Quod ſi forte contingat aliquem hujuſmodi Teſtimonio indignum reperiri, licebit tamen illi in ſequenti aliquo Termino, modo intra novem menſes, nomen ſuum coram Juniore Procuratore iterum profiteri, et ſic deinceps.

§. 4. *De Officio ac Cura Vice-Cancellarii et Procuratorum circa* RESPONSIONES *in Parviſo.*

Quo Statutum hoc in futurum ſanćte et inviolabiliter obſervetur, Ordinatum eſt, quod in ſingulis Terminis ad RESPONSIONES in Parviſo deſtinatis Vice-Cancellarius ſaltem ſemel, Procuratores vero, ſinguli bis ad minimum, Exercitiis hiſce interſint, exploraturi utrum omnia rite et ſecundum Statuta peragantur.

Statutum eſt etiam, quod Scholaris unuſquiſque, cum inter RE-

SPONDENTES refertur a Procuratore Juniore, perſolvet quindecim Solidos; et quod hæ pecuniæ, finito anno, a Procuratore ad Vice-Cancellarium deferantur.

Volumus inſuper, quod Regiſtrum peculiare penes Magiſtros Scholarum in Schola Metaphyſices adſervetur, in quo eorum omnium qui Teſtimonium obtinuerint nomina unoquoque die inferantur; ita ut, ſi de iſta re quæſtio aliquando oriatur, ad Regiſtrum hoc perpetuo poſſit appellari.

Quoniam vero uſu venit, ut dies et horas negotiis Academicis a Statutis deſtinatas mutare interdum commodius reperiatur, fas ſit Venerabili Domui Congregationis, ex cauſa rationabili per Vice-Cancellarium approbata, diem aliquem aut horam hoc Statuto præſcriptam pro RESPONSIONIBUS habendis mutare. Proviſo tamen, quod Vice-Cancellarius ante triduum Academiam certiorem faciat, ſi quando hujuſmodi rem ad Venerabilem Domum Congregationis referendam cenſuerit.

§. 5. *De tempore intra quod creandi ſunt Sophiſtæ Generales. Formula creandi Generales.*

STATUTUM eſt, quod Scholares in facultate Artium, qui Quæſtionibus Magiſtrorum Scholarum in Parviſo reſponderunt, poſt duos demum annos in Univerſitate completos, et non antea, Sophiſtæ Generales creentur. *abrogated March 3. 1828.*

Formula vero creandi Sophiſtas Generales hujuſmodi eſto; quolibet die Jovis, modo ne feſto, in pleno Termino, hora decima matutina, Scholares prædicti, qui eo die Sophiſtæ Generales creari velint, in Scholam Philoſophiæ Naturalis conveniant, ubi unus e Magiſtris Scholarum, (diebus inter ſe comparatis,) Suggeſtum aſcendens, Seniori e creandis ad Suggeſtum adſtanti Caputium ſimplex, neque pellibus lanatis ſubſutum, neque fimbria pellita prætextum, collo circumdabit, hac formula verborum adjecta, *Creo te Sophiſtam Generalem.* Reliquos deinde, ordine Senioritatis ſuccedentes, eodem modo creabit. Proviſo ſemper, quod ſi contigerit omnes Magiſtros Scholarum ab Academia abeſſe, licebit alicui ex Procuratorum Deputatis Magiſtri Scholarum in hoc negotio partes ſuſtinere.

3 C

Cauto tamen ſemper, quod quilibet Scholaris ante hanc creationem Teſtimonium RESPONSIONIS ſuæ in Parviſo ſub Chirographo Magiſtrorum Scholarum exhibeat.

Statutum eſt inſuper, quod non licebit Congregationi ex poſt facto cum quoquam, quo minus modo prædicto Generalis fiat, diſpenſare.

§. 6. *De* LECTIONIBUS *Baccalaureorum Determinantium Quadrageſimalibus frequentandis.*

TENETUR quilibet Scholaris facultatis Artium bis ad minimum Baccalaureorum Determinantium LECTIONIBUS per integrum tempus intereſſe. Et quo unumquemque huic Statuto ſatisfeciſſe liquido appareat, dies, quibus hiſce LECTIONIBUS interfuerit, in Regiſtro peculiari notentur, Teſtimonio etiam ei perhibito ab uno aliquo Magiſtrorum Scholarum ſub hac forma:

A. B. LECTIONIBUS *Baccalaureorum Determinantium per integrum tempus interfuit*

1mo. [die menſis et anni]

2o.

Ita teſtor A. B.

Quod quidem Teſtimonium a Magiſtro Gratiam ipſius proponente ante Gratiæ petitionem, vel a Magiſtro præſentante (ſi Candidatus pro Gratia non ſupplicet) ante præſentationem, palam in Domo Congregationis recitetur.

Ordinatum eſt inſuper, quod Statutum hoc, de Exercitiis ad Gradum Baccalaurei in Artibus requiſitis, vim et vigorem ſuum non obtinebit ante primum diem Termini Trinitatis anno Milleſimo Octingenteſimo Nono.

Denique ad tollendam omnem dubitationem expreſſe pronunciamus, quod exercitia cujuſlibet nondum Graduati, qui nonum Terminum, a tempore Matriculationis ſuæ computandum, ante inchoationem Termini Trinitatis anno ſupra præſcripto compleverit, vir-

tute prioris alicujus Statuti præstita, effectum habeant exercitiorum præsentis Statuti auctoritate requisitorum.

SECTIO II.

DE TEMPORE ET EXERCITIIS REQUISITIS AD GRADUM MAGISTRI IN ARTIBUS.

Corpus Statutorum p. 29.

§. 1. *Quot anni, in audiendis publicis Lectoribus ponendi, requirantur ad Gradum Magistri in Artibus.*

A TEMPORE admissionis ad Gradum Baccalaurei, tenentur singuli in audiendis publicis Lecturis sibi destinatis duodecim Terminos ponere; nec ante completum illud tempus, Gratiam suam petere cuiquam fas esto.

[g] Quod si quis Exercitia ad Gradum Magistralem requisita præstiterit, et reliquum temporis spatium in bonarum literarum studio posuerit in alia quacunque Academia, licebit ei tempus id omne imputari, ac si in hac ipsa Academia fuisset insumptum: Constet id modo, ac testatum sit sub Sigillo Academiæ, in qua se studuisse profitetur, aut alioqui Testimonio fide digno.

§. 2. *De Determinatione Quadragesimali.*

STATUTUM est, quod quilibet Scholaris ad Gradum Baccalaurei præsentatus, nisi Gratia simpliciter eidem fuerit concessa, solenniter in sequenti Quadragesima Determinare teneatur; sub pœna, quod Gratia, prius eidem concessa, pro non concessa habeatur, nisi impedimentum aliquod contigerit per Vice-Cancellarium et Procuratores approbandum; quo in casu, ejus Determinationem in aliam Quadragesimam, sub pœna consimili tunc præstandam, differre liceat.

§. 3. *De Collectoribus Quadragesimalibus designandis.*

CUM multa antehac tumultuatio, circa electionem Collectorum

[g] L. 5. b.

Quadragefimalium, folita fit in Univerfitate contingere; juxta Statuta Regia, [h] a Sereniffimo Rege Carolo I. ad Univerfitatem tranfmiffa, Decretum eft, quod Procuratores pro tempore exiftentes, ex Baccalaureis Determinaturis, in Fefto Ovorum duos ad hoc officium defignabunt, finguli unum quem vifum fuerit, in Collegio quocunque vel Aula degentem.

Si vero Procurator quivis circa collationem Officii Collectoris pretii accepti five repetundarum convictus fuerit, idem eo ipfo ab Officio fubmovebitur, et Feuda quæcunque, five pecuniarum fummas a Baccalaureis ejufdem Anni per eum acceptas, in ufum Ciftæ Academicæ, præfentis ftatuti vigore, refundere tenebitur.

Statutum eft etiam, quod Collectores a Procuratoribus defignati in die defignationis ad Officium admittantur. Admiffi vero, ad Collegia et Aulas refpective fuas, fine ftrepitu, vel circumgeftatione, fe conferant; nec ullos omnino, in Collegiis, vel Aulis refpective fuis, vel alibi, compotationibus excipiant, fub pœna amotionis ftatim ab Officio per Dominum Vice-Cancellarium: ita tamen ut, fi quid tale evenerit, in locum Collectoris vel Collectorum, amoti vel amotorum, alius vel alii per Procuratorem vel Procuratores, qui refpective amotum vel amotos nominavit vel nominarunt, fubftituatur, vel fubftituantur.

§. 4. *De Officio Collectorum.*

STATUTUM eft, quod Collectores ea omnia facere et exequi teneantur, quæ ad Officium Collectorum fpectant; id eft, Baccalaureos [i] Determinantes in claffes diftribuere, et fingulis fuas Scholas et dies affignare; ut quolibet die Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris (nifi feftus dies inciderit,) ab initio Quadragefimæ ufque ad finem Termini, fuis propriis vicibus, et quoties oportet, legant.

[k] Collectorum autem, qui prius ad gradum Baccalaurei præfentatus et admiffus eft, Senioris locum occupet, nifi ad alterum, ratione promotionis, fecundum Statuta, et confuetudines Univerfitatis, jus fenioritatis pertinebit.

[h] R. 4. a. [i] R. 4. a. L. 283. b. [k] R. 4. a.

§. 5. *De Precibus et Concione Latina in die Cinerum, ſive Carnis-privii, habendis. Et de Precibus habendis unoquoque die Saturni, durantibus* LECTIONIBUS *Quadrageſimalibus, in Choro Templi B. Mariæ. Et de Junioris Procuratoris Oratione ad Determinatores habenda.*

STATUTUM eſt, quod in die Cinerum, ſive Carnis-privii, Preces et Concio Latina in Templo B. Mariæ Virginis habeantur, quibus intereſſe tenentur Baccalaurei Determinaturi, caputia (obverſo Rhenone, ſeu pelle agnina,) geſtantes, et pro more in ſcamnis Magiſtrorum ſedentes. Statutum eſt etiam, prout ab antiquo conſuetudo obtinuit, quod unoquoque die Saturni, a vigilia primæ Dominicæ in Quadrageſima incluſive, uſque ad vigiliam Dominicæ Palmarum incluſive, horam circiter octavam matutinam, ſinguli Baccalaurei Determinantes conveniant in Choro B. Mariæ Virginis, ad celebrandas Preces ſecundum Liturgiam Eccleſiæ Anglicanæ. A quibus ſiqui abſuerint, mulcta pro arbitrio Vice-Cancellarii, vel Procuratorum, ad uſum Univerſitatis applicanda puniantur.

Poſt finitas vero Preces in Vigilia Dominicæ Palmarum, Junior Procurator ad Determinatores Orationem habeat, in qua tamen non ſolum, quod antiqui moris erat, ex Baccalaureorum Determinantium Exercitiis, ſed etiam ex Scholarium RESPONSIONIBUS in Parviſo materiam ſibi ſumat.

§. 6. *De Claſſibus Determinantium ordinandis: et de tempore* LECTIONIBUS *Quadrageſimalibus præſtituto.*

STATUTUM eſt, quod diebus Jovis et Veneris diem Cinerum, ſive Carnis-privii, immediate ſequentibus, tempore pomeridiano, hora prima, licebit Collectoribus, ob cauſam rationabilem a Vice-Cancellario approbandam, aliquos ex Baccalaureis Determinaturis ad Legendum pro forma extra ordinem vel claſſem aſſignare.

Claſſium autem hæc ratio eſto. Qui in Schedulis Examinatorum Publicorum in primam vel ſecundam Claſſem relati fuerint, iis aſſignetur Schola Naturalis Philoſophiæ, in qua LECTIONES ſuas habeant tempore antemeridiano, hora decima.

Cæteri in Scholis Naturalis Philoſophiæ et Hiſtoriæ tempore pomeridiano, hora prima, LECTIONES ſuas habeant. Tempore autem antemeridiano non plures quam tres, pomeridiano non plures quam octo, in eadem Schola legant, exceptis diebus Jovis et Veneris diem Cinerum immediate ſequentibus. Proviſo ſemper, quod licebit Collectoribus, in diebus Jovis et Veneris diem Cinerum immediate ſequentibus, LECTIONIBUS pomeridianis tres Scholas aſſignare, et Determinantium in ſingulis Scholis, ſi opus fuerit, numerum ultra octonarium provehere.

Ordo legendi a primo die Lunæ ipſius Quadrageſimæ inchoetur, et uſque ad diem Veneris incluſive qui proxime præcedit Dominicam Palmarum continuetur.

Proviſo ſemper, quod nemo qui Gradum Baccalaurei in Artibus poſt diem Cinerum ſuſceperit ad determinandum in eadem Quadrageſima admittatur.

§. 7. *De forma Determinationis Quadrageſimalis.*

STATUTUM eſt, quod Baccalaurei Determinantes, ſinguli in Scholis et Diebus ſibi præſtitutis, binas LECTIONES, ſoluto Sermone et Lingua Latina ſcriptas, habere teneantur, in quarum utraque Quæſtio aliqua, vel in Literis Humanioribus, vel in Morali Philoſophia, vel in Phyſicis, tractetur. Quæſtio autem a Baccalaureo Determinante, triduo ſaltem ante diem LECTIONI ejus præſtitutum, ad unum aliquem ex Magiſtris Scholarum deferatur, ſub Chirographo ejus approbanda; quo nomine a ſingulis, utroque LECTIONIS ſuæ die, decem Solidos recipiet; quas omnes pecunias, finito anno, Magiſter Scholarum Senior Vice-Cancellario in manus tradere tenebitur.

Licebit autem Baccalaureo Determinanti loco alterius e LECTIONIBUS prædictis Verſus Latinos, modo ne pauciores ſint quam quinquaginta, recitare, carminis argumento, ab uno aliquo ex Magiſtris Scholarum, ut prius, approbato.

LECTIONES Baccalaureorum Determinantium antemeridianæ ſingulæ per quartam horæ partem ad minimum, pomeridianæ per ſextam horæ partem ad minimum, continuentur. Tenentur autem Baccalaurei, qui eandem Scholam et diem ſortiti ſunt, Magiſtro

Scholarum, ante LECTIONES inchoatas, ſinguli exemplar LECTIONIS ſuæ offerre: tenentur etiam in ea Schola permanere, donec Magiſter Scholarum, finitis omnibus LECTIONIBUS, veniam diſcedendi conceſſam eſſe pronunciaverit. Quod ſi viſum fuerit Magiſtro Scholarum, antequam veniam iſtam pronunciaverit, Baccalaureo alicui Determinanti exemplar LECTIONIS ſuæ iterum in manus palam tradere, LECTIO iſta Baccalaureo non cedet pro forma.

Denique Ordinatum eſt, quod Statutum hoc, de Exercitiis ad Gradum Magiſtri in Artibus requiſitis, vim et vigorem ſuum non obtinebit ante Feſtum Ovorum anno Milleſimo Octingenteſimo Nono.

TITULUS IX.

SECTIO II.

DE EXAMINANDIS GRADUUM CANDIDATIS.

Corpus Statutorum p. 71. Addenda pp. 117. 159.

§. 2. *De* EXAMINATIONIBUS *habendis, et de Candidatorum admiſſione.*

EXAMINATIONIBUS habendis aſſignentur in Termino Michaelis quatuor Septimanæ, a decimo die menſis Novembris, quatuor itidem in Termino Paſchatis, a die Jovis Dominicam ſecundam poſt Feſtum Paſchatis proxime ſequente, incluſive numerandæ. Quod ſi forte initium alicujus EXAMINATIONIS in diem feſtum inciderit, inchoatio ejuſdem in diem immediate ſequentem differatur.

Qui autem in alterutro horum Terminorum examen ſubituri ſunt, nomina ſua vel per ſe, vel per Tutores ſuos, coram Procuratore Seniore profiteantur, in Regiſtro peculiari penes Procuratorem Seniorem aſſervato, et in Terminos hoſce rite diſtributo, inſerenda; hac tamen lege, nequis ſerius quam triduo (ita ut tres dies integri ſuperſint) ante EXAMINATIONEM inchoandam, Procuratorem de hac re adeat.

Proviſo ſemper, quod nemini examen ſuum cedat pro forma, qui ſe examinandam ſiſtet ante inchoatum a tempore Matriculationis

fuæ quartum annum[l]; exceptis iis quibus indulget Academia, ut integro triennio in ftudiis Academicis completo ad Gradum promoveantur[m]. Hifce omnibus licebit poft inchoatum tertium annum, a tempore Matriculationis fuæ computandum, examen fubire.

Nemo autem ad examen fubeundum admittatur, nifi qui Quæftionibus Magiftrorum Scholarum in Parvifo pro forma refponderit; exceptis iis qui nonum Terminum, a tempore Matriculationis fuæ computandum, ante inchoationem Termini Trinitatis anno Millefimo Octingentefimo Nono compleverint.

Nemo etiam ad examen fubeundum admittatur, nifi qui intra duos annos examinis fui Terminum immediate præcedentes binis diebus ad minimum Examinationi Publicæ per integrum tempus interfuerit. Et quo unumquemque huic Statuto fatisfeciffe liquido appareat, Examinationis, cui interfuerit, dies notentur, Teftimonio ei perhibito ab uno Examinatorum Publicorum fub hac forma;

A. B. Examinationi Publicæ per integrum tempus interfuit.
1mo. (die mensis et anni) *Ita teftor. C. D.*
2do. *E. F.*

Quod quidem Teftimonium, atque infuper Teftimonium Responsionis fuæ in Parvifo fub Chirographo duorum e Magiftris Scholarum, quilibet Candidatus per fe vel per Tutorem fuum coram Seniore Procuratore teneatur exhibere, eo ipfo tempore quo et nomen fuum inter Candidatos profitetur; neque licebit Procuratori, Teftimoniis iftis non exhibitis, aliquem in Candidatorum numerum referre.

Procurator autem Senior, ubi tandem, modo fupra præfcripto, de iis omnibus, qui fefe Candidatos in Termino aliquo profiteri velint, certior factus fuerit, tenetur ftatim nomina eorum in Schedulam referre, ferie Alphabetica; deinde Schedulam iftam Chirographo fuo munitam et typis mandatam fub hoc titulo

[*Ordo Examinandorum Termino A. B.*]

ad Vice-Cancellarium, ad fingulos Collegiorum et Aularum Præ-

l Vide Tit. VI. Sect. VII. Corp. Stat. pp. 46, 47. Addend. pp. 168, 169.

m Vide Tit. VI. Sect. I. §. 1. Corp. Stat. p. 25. Addend. p. 174.

fectos, ad Procuratorem Juniorem, ad singulos Examinatores, et ad cujuslibet Collegii vel Aulæ Refectorium tam publicum quam privatum Magistrorum deferri, et ostiis etiam Bibliothecæ Bodleianæ, Scholæ Metaphysices, et Apodyterii Venerabilis Domus Convocationis affigi, curabit: quæ omnia ita agenda sunt, ut, si fieri potest, bini dies integri inter Schedulam hanc publici juris factam et EXAMINATIONEM inchoandam interjiciantur.

Et hæc Schedula Procuratoria, modo et forma præscriptis publicata, pro omni qualicunque licentia, monitione, et notificatione, tam ab ipsis Examinatoribus, quam a Candidatis, habenda et accipienda est.

TITULUS IX.

SECTIO III.

§. 4. *Formulæ speciales Gratiarum ad singulos Gradus pertinentium.* Corpus Stat. p. 79. Addenda p. 129.

Pro Baccalaureo in Artibus.

SUPPLICAT Venerabili Congregationi Doctorum et Magistrorum Regentium A. B. Scholaris Facultatis Artium e Collegio C. in quo, non in Domo aliqua privata, per integrum tempus ad Gradum Baccalaurei in Artibus per Statuta requisitum, ipsum cubile et victum continuo sumpsisse scio (vel, si tempus non in uno aliquo Collegio vel Aula compleverit, In quo partim, partim in Collegio vel Aula A.) [n] quatenus XVI Terminos in studio Dialecticæ et aliarum Artium juxta Statuta posuerit; publicos Artium Prælectores diligenter audiverit; Sophista Generalis creatus fuerit; Examen Publicum pro Gradu subierit; et reliqua compleverit omnia, quæ per Statuta Universitatis requiruntur; ut hæc sibi sufficiant, quo admittatur ad Lectionem cujuslibet libri Logices Aristotelis, et in-

[n] Tit. VI. Sect. 1. §. 1. 2. Corp. Stat. pp. 24, 25. Addend. pp. 174, 175.

ſuper earum Artium, quas et quatenus, per Statuta tenetur audiviſſe. * * * * * * *

Vide Corp. Stat. p. 79. Addend. p. 129.

Ibid.

Corpus Statutorum p. 80. Addend. p. 129.

Pro Gradu Inceptoris in Artibus.

Supplicat, &c. A. B. Baccalaureus Facultatis Artium ex Aula A. [o] quatenus XII Terminos in ſtudio Philoſophiæ et aliarum Artium juxta Statuta poſuerit; publicos Lectores diligenter audiverit; in Quadrageſima determinaverit; reliquaque compleverit omnia, quæ per Statuta requiruntur; ut hæc ſibi ſufficiant, quo admittatur ad Incipiendum in eadem Facultate. * * * * *

TITULUS IX.

Corpus Statutorum p. 87. Addend. p. 136.

SECTIO IV.

§. 2. *De Materia Diſpenſabili, in qua Congregationi diſpenſare permiſſum eſt.*

MATERIA in qua Venerabilis Domus Congregationis diſpenſare poteſt, et ſolet, hujuſmodi eſt.

1. Pro abſentia Terminorum duorum, ſi Gradum Baccalaurei in artibus ambiat quis; trium, ſi Gradum Magiſtralem.
2. Pro ingreſſu in Bibliothecam publicam.
3. Ut Termini in alia Academia in ſtudio poſiti pro poſitis in hac Academia habeantur.
4. Pro minus diligenti publicorum Lectorum auditione.
5. Pro Omiſſione Circuitus.
6. Quod Circuitus pridie ante Terminum inchoatum peractus ſufficiat.

[o] Tit. 6. Sect. II. §. 1. 2. Corp. Stat. pp. 29, 30. Addend. p. 181.

7. Pro Gratia per Magistrum alterius Domus proponenda, si nullus sit Magister in ipsa Domo unde Supplicans est.
8. Ut Gratia rata sit, licet intra tres Congregationes registrata non fuerit.
9. Ut Gratia superiori Anno concessa rata habeatur.
10. Ut Baccalaureus qui in Festo Ovorum ad determinandum præsentari debuerat, tamen post Festum istud elapsum præsentetur ad determinandum eadem Quadragesima.
11. Ut qui Gradum Baccalaurei elapso Festo Ovorum susceperit, præsentetur ad determinandum eadem Quadragesima, in causa ægritudinis, vel extremæ alicujus necessitatis; proviso semper quod causa allegata, per Præfectum Domus, vel, eo absente, per ejus Deputatum, in Schedula aliqua Chirographo suo munita Vice-Cancellario significetur, postea in Domo Congregationis recitanda, et suffragiis venerabilis Domus permittenda.
12. [p] Ut Baccalaureus, qui præterita Quadragesima determinare debuerat, determinet sequenti aliqua Quadragesima.
13. Ut Magister Cumulatus, pro Habitu coccineo, nigro et solito, post peracta præsentationis solennia, uti possit.
14. Ut Doctores Ocreas, et Magistri Crepidas et Socculos, quibus ex antiquo ritu uti tenentur, exuant.
15. Ut Cantabrigienses, vel alterius Academiæ Studiosi, eodem sint Gradu et statu apud nos, quo apud suos sunt.
16. Ut Terminus prorogetur.
17. Pro necessaria Regentia.
18. Quatenus Præsentandus (ad practicandum in Medicina vel Chirurgia) secundum Statuta Testimonium non affert, nec fidem facit, quod interfuerit uni saltem integræ Dissectioni Anatomicæ, unique integræ Lectioni de Sceleto, ut gratiose secum dispensetur pro hujusmodi istius Omissione [q].

Denique si quæ alia causa sit his consimilis; vel in qua, speciali aliquo Statuto, Venerabili Domui Congregationis Dispensandi potestas indulgeatur.

[p] Tit. VI. Sect. II. §. 3. Corp. Stat. p. 30. Vide etiam §. 2. Addend. p. 181.

[q] Stat. Tit. IV. Sect. 1. §. 15. Corp. Stat. p. 18. Addend. p. 93.

TITULUS IX.

SECTIO VI.

Corpus Statutorum p. 97.

§. 2. *Statuta, in quæ singulos Præsentatos Jurejurando adiget Senior Procurator.*

EXACTIS præstitisque coram Juniore Procuratore Juramentis, Præsentati ad Seniorem Procuratorem se conferent; et Seniore inter Præsentatos eidem appropinquante, reliquis adstantibus, et attente auscultantibus, idem Procurator Senior Statuta, ad Gradus illos, ad quos præsentantur, pertinentia, distincte recitabit.

Pro Baccalaureo in Artibus.

Quia [r] Casum appetere videtur, qui ad summi loci fastigia, postpositis Gradibus, per abrupta quærit ascensum; Ordinatum est, quod Scholares in Facultate Artium liberalium, antequam ad Gradum Baccalaureatus in iisdem aspiraverint, quatuor Annos integros in studio earundem Artium in Universitate posuisse, (non in domo privata cujusquam, sed in Collegio vel Aula, absque dolo malo, hospitantes seu victitantes,) publicosque Lectores, prout Statuta requirunt, diligenter audivisse, teneantur: scilicet per [s] primum annum Lectores Grammaticæ, et Rhetoricæ; per [t] secundum Dialecticæ, et Moralis Philosophiæ; per [u] tertium et quartum Dialecticæ, Moralis Philosophiæ, Geometriæ, et Linguæ Græcæ; exceptis Filiis Baronum in superiori Parliamenti Domo jus suffragii habentium, et Baronettorum ac Equitum Auratorum Filiis natu maximis, necnon Baronum Filiis ex Gente Scotica aut Hibernica [x], quibus indulget Academia, ut integro triennio in Studiis Academicis completo, præstitis exercitiis requisitis, ad Gradum promoveantur.

[r] A. 85. b. D. 56. b.
[s] Tit. IV. Sect. I. §. 2. 3. Corp. Stat. pp. 13, 14.
[t] Tit. IV. Sect. I. §. 4. 5. Corp. Stat. p. 14.
[u] Tit. IV. Sect. I. §. 4. 5. 6. 12. Corp. Stat. pp. 14, 15, 17.
[x] Tit. VI. Sect. I. §. 1. Corp. Stat. pp. 24, 25. et Addend. p. 174.

Statutum eſt etiam, quod Scholares in Facultate Artium QUÆSTIONIBUS Magiſtrorum Scholarum in Parviſo pro forma reſpondeant.

Denique Statutum eſt, quod unuſquiſque nondum Graduatus, antequam ad ſupplicandum pro Gratia admittatur, in Schola Metaphyſices PUBLICUM EXAMEN ſubeat.

Pro Inceptore in Facultate Artium.

Cum [y] in nulla Facultate ſeu Scientia quiſquam Magiſtrali cenſeatur honore digne potiri, niſi, per tempus competens, aliquandiu ſtudioſus et diligens Diſcipulus præexſtiterit in eadem; operæ pretium eſt, ut quiſque, apicem in eiſdem ſolenniter ſcanſurus, ante ſuam ad hoc Licentiationem, ſub apta temporis mora cunctas ſeptem Artes liberales, treſque Philoſophias, efficaciter addiſcendo, publica et doctrinalia ſigillatim Gymnaſia pertranſeat Philoſophorum. Itaque [z] Statutum eſt, ut, a tempore admiſſionis ad Gradum Baccalaurei, ſinguli in audiendis publicis Lecturis tres Annos integros, priuſquam ad Incipiendum in Artibus admittantur, inſumpſiſſe teneantur: Videlicet [a] Annum primum in audiendo Geometriam, Metaphyſicam, Hiſtoriam, Linguam Græcam et Hebraicam: ſecundum item et tertium in audiendo [b] Aſtronomiam, Naturalem Philoſophiam, itidem Metaphyſicam, Hiſtoriam, Linguas Græcam et Hebraicam.

Item [c] Statutum eſt, quod Baccalaureus Artium, poſt Gradum ſuſceptum, (antequam pro Magiſterio, ſive ſua in Artibus Licentiatione, ſupplicet) in Quadrageſima ſolenniter Determinet. * * * * *

§. 3. *Communis Formula ſingulos Præſentatos Juramento obſtringendi. Et de Juramento Primatus Regii, et Fidelitatis, a ſingulis exigendo.*

PERLECTIS Statutis ad Gradum requiſitis, Procurator Senior inter Præſentatos Seniori Evangelium exhibebit, cui (manu a Præſentato impoſita) ita dicet: 'Omnia hæc modo prælecta, atque inſuper Se-

[y] A. 89. b. B. 41. b.
[z] Tit. VI. Sect. II. §. 1. Corp. Stat. p. 29. Addend. p. 181.
[a] Tit. IV. Sect. I. §. 6. 10. 11. 12. 13. Corp. Stat. pp. 15. 16. 17.
[b] Tit. IV. Sect. I. §. 7. 9. 10. 11. 12. 13. Corp. Stat. pp. 15. 16. 17.
[c] Tit. VI. Sect. II. §. 2. Corp. Stat. p. 30. Addend. p. 181.

ctionem Septimam Tituli Sexti, intra triduum proxime elapsum a te diligenter lecta (vel alio legente audita) te observasse quoad praeterita, nisi aliter tecum dispensatum fuerit; [Vel, si in Comitiis Doctoribus responsurus, aut die Mercurii post Comitia Latine concionaturus sit, 'Nisi quatenus in Comitiis Doctoribus responsurus, aut die Mercurii post Comitia Latine concionaturus sis;] tu jurabis per Jesum Christum hoc sacrosancto Evangelio annunciatum.'

Et reliquis manus itidem libro imponentibus, 'Idem Juramentum quod praestitit A. B. in persona sua, &c.'

Deinde ex Praesentatis Senior [d] Juramentum primatus Regii clara voce (ut ab omnibus aliis audiatur) publice leget; et Evangelium a Procuratore exporrectum osculabitur; et post eum alii quotquot eodem die praesentantur: Et postremo, eodem Juramentum [e] Fidelitatis sive Allegiantiae praeeunte distincte alii omnes verbatim recitabunt: et in confirmationem Juramenti omnes ordine Librum deosculabuntur.

TITULUS XVII.

SECTIO V.

Corpus Statutorum p. 165.

§. 1. *De Nominatione et Officio Magistrorum Scholarum.*

MAGISTRI Scholarum tres sunto, quorum unus a Domino Vice-Cancellario, unus ab utroque Procuratore, in venerabili Domo Convocationis, primo die Termini Trinitatis, ex Magistris in Artibus qui ad regendum admissi fuerint quotannis nominetur; exceptis semper iis, qui Procuratorum Deputati in Termino Paschatis proxime praecedenti nominati fuerint. Proviso semper, quod nemo, qui Magistri Scholarum officio per biennium functus fuerit, in idem officium, nisi post annum elapsum, iterum nominetur. Cauto etiam, quod nemo Magistri Scholarum et Examinatoris Publici officio simul fungetur.

[d] B. 137. [e] B. 138. b.

Hi Magiſtri Scholarum ſtatim a nominatione ſua officium ſuum ineant, prius tamen in Domo Convocationis per Seniorem Procuratorem Juramento onerentur ſub hac forma;

Magiſter, tu jurabis quod ea omnia et ſingula quæ ad officium Magiſtri Scholarum ſpectant bene et fideliter, omnimoda partialitate ſepoſita, durante tuo Officio exequeris.

Horum igitur munus eſto in Scholarium RESPONSIONIBUS in Parviſo Quæſtiones proponere, ſecundum Statuti de hiſce RESPONSIONIBUS ſanciti vim et vigorem; item Quadrageſimalibus Baccalaureorum Determinantium LECTIONIBUS præeſſe, juxta Statuti de hac re ſanciti exigentiam: ita ut Baccalaureorum Determinantium LECTIONIBUS in ſingulis Scholis unus ſaltem ex Magiſtris Scholarum, RESPONSIONIBUS autem Scholarium in Parviſo bini ad minimum per integrum tempus interſint, et, quantum in ipſis eſt, ne quid vel in LECTIONIBUS, vel in RESPONSIONIBUS, contra bonos mores aut pacem Univerſitatis peccetur, provideant.

Magiſtri autem Scholarum, in abſentia Procuratorum, ſingulis diebus Exercitiis hiſce deſtinatis, intra Scholarum præcinctus Procuratoriam habeant poteſtatem.

§. 2. *De Magiſtris Scholarum et Procuratorum Deputatis remunerandis.*

QUO Scholarum Magiſtris et Procuratorum Deputatis debitæ accedant remunerationes, Statutum eſt quod, poſt annum finitum, Dominus Vice-Cancellarius, acceptis a [f]Procuratore Juniore et [g]Seniore Scholarum Magiſtro pecuniis quas ei in manus tradere tenentur, et aliis inſuper, quantum opus fuerit, e Ciſta Academica depromptis, (iis ſcilicet quæ per Decretum Convocationis anno 1802 ſancitum ab Academicis exiguntur,) id ſemper curabit, ut unicuique e tribus Scholarum Magiſtris annua Octoginta Librarum penſio, et unicuique e Procuratorum quatuor Deputatis annua Quinquaginta Librarum penſio, perſolvatur. Proviſo ſemper, quod in penſionibus

[f] Vide Tit. VI. Sect. I. §. 4. Addend. p. 179.

[g] Vide Tit. VI. Sect. II. §. 7. Addend. p. 184.

hifce folvendis pecuniarum earum ratio habeatur, quæ jam Magiftris Scholarum, et Procuratorum Deputatis, vel ex legatione Benefactorum, vel ex Decreto Convocationis, vel alio quocunque nomine debentur; ita ut, connumeratis omnibus, penfiones iftæ modum fupra præfcriptum non excedant.

Denique Statutum eft, quod primo die Termini Trinitatis, anno Millefimo Octingentefimo nono, prima hæc trium Magiftrorum Scholarum per Vice-Cancellarium et Procuratores fiat Nominatio. Cæterum duorum Magiftrorum Scholarum defignatio jam facta rata permaneat, ita ut pro Magiftris Scholarum auctoritate præfentis Statuti defignatis accipiantur.

De Statutis his rogandis confenferunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpenfa, convenerunt in terminos die decimo quarto menfis Junii; publicata funt in Domo Congregationis die decimo octavo menfis Junii, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicata et confirmata vicefimo fecundo die Junii, Anno Domini 1808.

FORMA STATUTORUM

DISPOSITIONEM PECUNIARUM, ET PROVENTUUM,

A BENEFACTIONE SPECTATISSIMI VIRI

CAROLI VINER ARMIGERI

ORIUNDORUM, CONCERNENTIUM.

CAP. III.

Appendix Statutorum pp. 51, 53, 54.

De Officio Prælectoris.

STATUTUM eſt, quod dictus Prælector, intra annum ab Electione ſua, in pleno Termino, præmiſſa decem dierum publica monitione, in Schola Naturalis Philoſophiæ ſolennem Lecturam ſermone vernaculo conceptam legat. Statutum eſt inſuper, quod quotannis (incipiendo a fine Termini S. S. Trinitatis) Prælectionum Seriem de Jure Anglicano, in Schola huic uſui deſtinata, (aut in alio quovis loco cum approbatione Domini Vice-Cancellarii,) per ſe, vel idoneum Deputatum, vernaculo ſermone diligenter legere teneatur. Qui quidem Deputatus, ſi Prælectorem per breve aliquod tempus ægritudine laborare, aliave de cauſa extra Academiam morari, contigerit, a Vice-Cancellario et Procuratoribus approbetur; ſin vero cauſa aliqua diutina Prælector impediatur, quo minus Officium ſuum in hac parte præſtare poterit, tam cauſa deputandi, quam Deputatus ipſe, per Domum Convocationis quotannis approbetur. Dicta Prælectionum Series conſtet viginti quatuor ad minimum Prælectionibus, quæ viginti quatuor diſcretis diebus in pleno Termino ſemper legantur,

atque ita commodis intervallis diſtinguantur, ut non plures quam quatuor Prælectiones ſingulis Septimanis habeantur. Porro omnibus omnium ordinum Academicis licebit hiſce Prælectionibus gratis intereſſe; Baccalaureis autem in facultate Artium, et Scholaribus, ſive in facultate Juris, ſive Artium, non niſi ex literis commendatitiis ſub Chirographo Tutoris, vel Præfecti Domus ſuæ. Præmittatur etiam publica monitio quatuordecim ad minimum dierum, antequam Prælectionum Series inchoetur. Quod ſi, poſt publicam iſtam monitionem, vel unus aliquis Scholaris hujuſce Fundationis, vel tres alii Academici, quicunque demum fuerint, tanquam Auditores nomina ſua profiteantur, dictus Prælector hanc Prælectionum Seriem legere omnino tenebitur. Proviſo ſemper, quod tota Prælectionum Series in uno aliquo Termino legatur. Proviſo etiam, quod Termini Paſchatis et S. S. Trinitatis, quod ad has Prælectiones attinet, pro uno Termino habeantur.

Mulcta vero Prælectoris dictam Prælectionum Seriem intra annum, modo prædicto, non legentis, ſit totum iſtius anni Stipendium: quæ quidem Mulcta ad Pecuniarum Cumulum in uſus hujuſce Fundationis reſervatum illico transferatur.

Cauto ſemper, quod onus probandi ipſi Prælectori incumbat; neque fas ſit Vice-Cancellario ullam Stipendii partem perſolvere, niſi dictus Prælector prius probaverit ſe Officio ſuo ſatisfeciſſe.

CAP. VI.

De Electione et Conditionibus Sociorum.

INSUPER Statutum eſt, quod quilibet Socius per Domum Convocationis modo et forma per Statuta Univerſitatis requiſitis eligatur, et quod tempore Electionis ſuæ ſit cœlebs, et vel Magiſter Artium, vel Baccalaureus in Jure Civili, in Univerſitate Oxonienſi conſtitutus, et alicujus Collegii, vel Aulæ, intra eandem Scholaris, ſeu Studens. In omni vero Electione præferantur iſti, qui ſint, vel qui aliquando fuerint, Scholares hujus Fundationis, modo ſint habiles et

idonei, et judicio Convocationis approbati. Quilibet præterea Socius, qui tempore Electionis fuæ non fuerit Advocatus in Jure Anglicano, intra unum poft Electionem annum Advocatus fiat.

CAP. VII.

De Electione et Conditionibus Scholarium.

INSUPER Statutum eft, quod quilibet Scholaris per Domum Convocationis modo et forma per Statuta Univerfitatis requifitis eligatur; et quod tempore Electionis fuæ fit cœlebs, et alicujus Collegii, vel Aulæ, intra hanc Univerfitatem Scholaris, feu Studens, qui menfes calendares ad minimum viginti quatuor a tempore Matriculationis fuæ compleverit. Quilibet præterea Scholaris Gradum Baccalaurei in Jure Civili quam cito commode poterit (five prius incipiendo in Artibus, five aliter, prout ipfi vifum fuerit) capeffat. Antequam vero Gradum Magiftri in Artibus, vel Baccalaurei in Jure Civili, fufceperit, intra annos fecundum et octavum a Matriculatione fua teneatur Prælectorem in Jure Anglicano per duas Prælectionum Series diligenter audire; quam auditionem fub Chirographo fuo teftabitur dictus Prælector; neque licebit cuiquam Gratiam alicujus Scholaris pro Gradu Artium Magiftri, vel Baccalaurei in Jure Civili, proponere, nifi prius Teftimonium iftud in venerabili Domo Congregationis palam recitetur. Quilibet infuper Scholaris intra unum annum, poftquam Gradum Baccalaurei in Jure Civili fufceperit, fiat (fi non prius fuerit) Advocatus in Jure Anglicano. In Academia demum quotannis (incipiendo a fine Termini S. S. Trinitatis) per octodecim feptimanas, tempore Terminorum Academicorum numerandas, perfonaliter commoretur, donec quatuor annos a tempore Matriculationis fuæ in Academia compleverit; ac deinde per fex feptimanas annuatim, eodem modo numerandas, donec Gradum Magiftri in Artibus, vel Baccalaurei in Jure Civili, capeffiverit. Et nifi talis Commoratio fub Chirographo Præfecti Domus fuæ quotannis Vice-Cancellario certior fiat, Scholaris fic ut præfertur non commorans toto ejus anni ftipendio mul-

ctetur, et Mulcta hujusmodi in prædictum Pecuniarum Cumulum transferatur.

De Statutis his rogandis consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in terminos die decimo tertio mensis Februarii, publicata sunt in Domo Congregationis die decimo quarto mensis Februarii, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicata et confirmata decimo octavo die Februarii, Anno Domini 1809.

TITULUS IX.

SECTIO II.

Corpus Statutorum p. 71. Addenda pp. 163, 164.

DE EXAMINANDIS GRADUUM CANDIDATIS.

§. 3. * * * * * CLASSIUM vero Series duplex esto, quarum altera ad LITERAS HUMANIORES, altera ad MATHEMATICAS et PHYSICAS DISCIPLINAS pertinere censenda est.

Et qui cæteris Candidatis in alterutra Serie ita antecellere visi fuerint, ut insigniore aliqua laude digni censeantur, in PRIMAM ISTIUS SERIEI CLASSEM referendi sunt; in SECUNDAM qui, etsi non egregios, laudabiles tamen progressus fecisse visi fuerint. Hanc autem classem in utraque Serie, in duas partes, pro arbitrio Examinatorum, lineola interjecta distingui volumus. Cæteri qui Examinatoribus satisfecerunt, in TERTIAM referantur, quibus satis esto Testimonium perhibuisse. Duas autem priores classes in Schedulam quandam referri volumus, cujus forma hæc esto:

CANDIDATORUM TERMINI A. D.

	IN LITERIS HUMANIORIBUS.	IN DISCIPLINIS MATHEMATICIS ET PHYSICIS.
CLASSIS I.	*A. B. e Coll.* *C. D. e Coll.* &c. &c.	*A. B. e Coll.* *C. D. e Coll.* &c. &c.

Classis II.	*A. B. e Coll.*	*A. B. e Coll.*
	C. D. e Coll.	*C. D. e Coll.*
	E. F. e Coll.	*E. F. e Coll.*
	G. H. e Coll. &c. &c.	*G. H. e Coll.* &c. &c.
	———	———
	A. B. e Coll.	*A. B. e Coll.*
	C. D. e Coll.	*C. D. e Coll.*
	E. F. e Coll.	*E. F. e Coll.*
	G. H. e Coll. &c. &c.	*G. H. e Coll.* &c. &c.

Nomina autem, tum in prima Claſſe, tum in utraque parte Secundæ Claſſis reſpective, ſecundum ordinem Alphabeticum diſponantur.

De Statuto hoc rogando conſenſerunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpenſa, convenerunt in terminos die viceſimo ſeptimo menſis Februarii, publicatum eſt in Domo Congregationis die primo menſis Martii juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum quarto die menſis Martii, Anno Domini 1809.

STATUTUM NOVUM BIBLIOTHECÆ PUBLICÆ BODLEIANÆ.

Append. Statutorum pp. 5—18. Addenda pp. 98. 104.

§. 1. CUM Bibliotheca Bodleiana incrementis jam continuis in longum aucta (quæ etiam ex ipſius Academiæ munificentia indies illuſtriora ſunt) in eam accreverit amplitudinem, ut Officiarii tanto oneri ferendo vix ſufficiant, nedum ſplendori ejus et dignitati reſpondeant:

Viſum eſt Academiæ, ex relatione Curatorum, ea quæ ad Officiariorum et Miniſtrorum numerum, ordinem, et ſtipendia attinent, denuo recognoſcere, et ſingulorum munera definire, necnon alia non-

nulla accuratius præſcribere, ita ut tota adminiſtratio auctiori ſtatu tam nobilis Bibliothecæ non indigna ſit.

§. 2. *De Numero, Ordine, et Muneribus Officiariorum et Miniſtrorum.*

BIBLIOTHECARIUS, ſive Protobibliothecarius, uti prius, totius interioris adminiſtrationis curam habeat, et omni ex parte Bibliothecæ dignitati et utilitati ſemper invigilet.

Bibliothecario in partem laboris ſui adjungantur Hypobibliothecarii duo, gradu Artium Magiſtri vel Baccalaurei in Jure Civili ad minimum inſigniti, et tempore admiſſionis ſuæ, uti Bibliothecarius ipſe, nexu conjugali ſoluti. Horum alter Codices MSS. alioſque libros, qui ob inſignem raritatem vel pretium Archivis ſive clathris peculiaribus reponuntur, propriæ tutelæ commiſſos habeat: alter librorum cæterorum cuſtodiæ invigilet. Ambo autem, quantum fieri poteſt, cum Bibliothecario in Bibliotheca conſtanter adſint, atque ex ejus mandato libris perquirendis, ac digerendis, et Catalogis conficiendis dent operam, tum etiam cætera omnia fideliter exequantur, quæ Bibliothecæ uſus et commoda poſtulare videantur. Ideo enim Officiariis hiſce propriæ provinciæ aſſignantur, non ſolum quo tam pretioſæ ſupellectilis incolumitati rectius conſulatur, ſed in tanta librorum mole quo melius cognoſcantur omnia, et quo facilior ad ea, quorum ſtudioſi egeant, paretur aditus.

Sint præterea Adjutores, ſive Miniſtri, duo (vel tres, ſi quando opus fuerit, ex ſententia majoris partis omnium Curatorum,) vel Artium Baccalaurei vel nondum graduati, qui Bibliothecario et Hypobibliothecariis præſto adſint, eorum mandata exequantur, libris perquirendis et reponendis dent operam, et aliis Bibliothecæ uſibus, prout res tulerit, ex Superiorum præſcripto diligenter inſerviant.

Statutum eſt inſuper, ut, ſiquando Bibliothecarius præ infirmiori valetudine, aut ſenectute ingraveſcente, aſſiduæ in Bibliotheca moræ impar ſit, Vice-Cancellarius, cum majoris partis omnium Curatorum conſenſu, Vicarium nominet; virum ſcilicet aliquem qui fide dignus ſit, et gradu Artium Magiſtri vel Baccalaurei in Jure Civili ad mini-

mum inſignitus. Vicarius eodem juramento et iiſdem legibus obligatus, quibus ipſe Bibliothecarius, recipiet annuatim (et eadem ratione pro qualibet anni parte) ſummam centum librarum ex ſtipendio Bibliothecarii deducendam, necnon alteram ſummam centum librarum ex pecuniis Bodleianis.

Quod ſi unus ex Hypobibliothecariis in munus Vicarii nominetur, novus Hypobibliothecarius modo infra præfinito quam primum ſubſtituatur.

Proviſo ſemper, quod non ſolum tota hæc quæſtio de Vicario nominando, ſed et Vicarii ipſius nomen, Venerabilis Domus Convocationis ſuffragiis, decem dierum publica monitione præmiſſa, permittetur.

Cæterum quod ad quotidianam attinet Bibliothecæ curam, tenendum eſt imprimis ut Officiarii et Miniſtri omnes, quantum fieri poteſt, in ea conſtanter adſint. Nulla autem unquam de cauſa Officiarii omnes ſimul abſint, ſed vel Bibliothecarius, vel unus ex Hypobibliothecariis, et unus ſaltem ex Miniſtris, ſemper adeſſe teneantur.

Sed ut aliqua ſaltem abſentiæ venia Officiariis hiſce concedatur, liceat unicuique eorum extra Academiæ fines interdum verſari, modo per ſingulos anni ſemiſſes triginta dierum ſpatium (vel continuum vel interpolatum) tempus abſentiæ non exſuperet. Quod ſi merito in plures dies proroganda ſit licentia quam præſenti hoc ſtatuto definitum eſt, communibus in Venerabili Domo Convocationis ſuffragiis (dierum trium ad minimum publica monitione præmiſſa) arbitrium permiſſum eſto. Hoc autem ſic intelligendum eſt, ne cuivis Hypobibliothecariorum Academia abeſſe liceat, dum Bibliothecario foris eſſe contingat; nec Bibliothecarius, cum præſens ſit, amborum Hypobibliothecariorum auxilio ſimul careat, niſi ex gravi aliqua et perurgenti cauſa, majori parti Curatorum in Univerſitate præſentium approbanda.

Ex Miniſtris nemo abſit, niſi ſpeciali venia Bibliothecarii prius impetrata; idque ſub pœna amotionis.

Abſentis Bibliothecarii munere fungatur Hypobibliothecarius qui Archivorum cuſtodiam ſibi traditam habet.

Abſolvatur autem Bibliothecarius conditionibus quibus nunc tenetur neque matrimonium contrahere, neque Beneficium curatum niſi prope adjunctum in ſe recipere. Et in poſterum tam Bibliothecario quam Hypobibliothecariis expreſſe permiſſum eſto, non modo ut Beneficia curata poſſideant, ſed etiam ut poſt electionem, vel admiſſionem, matrimonium contrahant.

§. 3. *De Stipendiis Officiariorum et Miniſtrorum, et de pecuniis in uſum Bibliothecæ exigendis et erogandis.*

QUO autem juſta omnibus fiat remuneratio, voluit et decrevit Academia ut annuatim percipiant; ſcil.

Bibliothecarius, (præter feoda ei ex decreto Convocationis conceſſa,) integram ſummam librarum 400.

Hypobibliothecarius uterque, 150.

Miniſter unuſquiſque, 50.

Janitor, 20.

a Vice-Cancellario per ſingulos anni ſemiſſes æqualibus portionibus dinumerandam.

In hos autem uſus aſſumantur,

1. Reditus et proventus prædiorum, tenementorum, ſive poſſeſſionum, quibus ex ipſius Bodleii munificentia fruitur Bibliotheca.
2. Pecuniæ quæ ex munificentia Crewiana Bibliothecario et Bibliothecæ deſtinabantur.
3. Stipendia Bibliothecarii, Hypobibliothecarii, et Janitoris, tam antiqua, quam quæ Bibliothecario ſuiſque Vicariis Stat. A. D. 1769. aſſignabantur. Addenda p. 99.
4. Annui proventus e pecuniis M[ri] Godwyn.
5. Quod ſupereſt annuatim e pecuniis quæ juxta decretum Convocationis A. D. 1802. exiguntur, poſt ſumptus in alios uſus priore aliquo decreto vel ſtatuto erogandos.
6. Pecuniæ quæ per Statutum A. D. 1780. in uſum Bibliothecæ Bodleianæ exiguntur. Addenda p. 105.
7. Denique præſenti hoc Statuto voluit et decrevit Academia, alteram nummorum ſummam, ei quam per Stat. A. D. 1780. in præ- Addenda p. 105.

fens folvere tenentur parem, ab iifdem omnibus, et eodem modo, in Bibliothecæ ufus folvendam effe.

Quicquid ex omnibus hifce pecuniis fuperfuerit reponatur ad alios Bibliothecæ fumptus fuppeditandos: fcilicet,

1. Ad libros quofcumque, five MSS. five impreffos, prout occafio tulerit, coemendos.
2. Ad ea perficienda quæ in Statutis Bodleianis memorantur; ac fpeciatim, ad lapfa inclinataque refarcienda, prout ufus poftulet, interioris ftructuræ, non folum antiquæ Bibliothecæ, fed et Scholarum hactenus annexarum, vel in pofterum per decretum Ven. Domus Convocationis annectendarum, ac etiam Pergulæ Anglice vocat. *the Picture Gallery*, quatenus illa in Bibliothecæ ufus cedat, et tecti tam exterioris quam interioris antiquæ Bibliothecæ.
3. Ad reparandos vel de novo compingendos pluteos et abacos, et ad cætera omnia peragenda quæ ad juftam librorum collocationem diftributionemque requirantur.
4. Ad inftituendum novum Bibliothecæ Catalogum typis imprimendum.
5. Denique, quoniam fieri non poteft ut omnibus fpeciatim provideatur, ad alios quofcumque Bibliothecæ fumptus erogandos.

Pecuniarum omnium, five ex Bodleii reditibus et proventibus, five aliunde, receptarum, ratio quotannis intra menfem Novembris a Vice-Cancellario coram Curatoribus reddetur, et in Domo Convocationis renuntiabitur. Quæ etiam ratio annuo Catalogo librorum in ufum Bibliothecæ emptorum juxta Stat. A. D. 1780. fubjicietur, et ante finem Termini S. Michaelis ad fingulos Collegiorum et Aularum Præfectos, necnon ad cujuflibet Collegii five Aulæ Bibliothecam deferetur. Addenda p. 105.

Quo autem proventus Bibliothecæ auctiores fiant, ftatutum eft, quod fi quando, pecuniarum receptarum et folutarum rationibus fubductis, fumma qualifcunque ultra mille libras fuperfuerit, ifta fumma publicis quibufvis vadimoniis, Anglice vocat. *Government Securities*, continuo elocabitur.

§. 4. *De Electione, Nominatione, et Amotione Officiariorum et Ministrorum.*

STATUTUM eſt, quod in poſterum nemo ad officium Bibliothecarii eligatur, niſi qui gradu Artium Magiſtri vel Baccalaurei in Jure Civili ad minimum ſit inſignitus. Cæterum antequam cuiquam Electorum ſuffragandi jus permittatur, Sacramento in hanc formam concepto omnes obligentur: "Ego A. B. polliceor ſanćteque recipio (pro fide illa et obſequio, quæ Omnipotenti Deo præſtare ſemper debeam) quod in hac electione idonei dignique Bibliothecarii hujus Univerſitatis celebranda, conſilium mihi eſt (ſepoſita omni mercedis ſpe, poſthabitiſque pactionibus, petitionibus, ſupplicationibus directis vel indirectis, ſive Perſonæ, ſive Perſonarum, cujuſcunque conditionis demum fuerint) præ cæteris omnibus, quos vel ſciam vel conjiciam hoc munus ambituros, homini gradu *Artium Magiſtri* vel *Baccalaurei in Jure Civili* ad minimum inſignito ſuffragari, quem, remota omni depravati animi corruptela, per ſummam judicii conſcientiæque meæ integritatem, aptiſſimum et præſtantiſſimum cenſebo, cenſeoque, ad amplificandum hujus Univerſitatis decus et dignitatem, et commune omnium bonum in publica Bibliotheca ſtudentium."

Cum vero qualicunque de cauſa locum vacare contigerit, intra decem dies proxime ſecuturos, ſex dierum ad minimum publica monitione præmiſſa, ſolennis Convocatio habenda eſt, in qua novus Bibliothecarius ſubrogabitur. Hoc autem decem dierum ſpatium ſemper obtinebit, niſi in tempore Magnæ Vacationis, in qua intra ſeptimanas tres eodem modo celebrabitur electio.

In electione autem Protobibliothecarii ratio ſemper habeatur Stat. Tit. IV. Sect. ii. §. 5. ita ut non ſubrogetur continuo ſeu immediate ſucceſſor ex eadem domo, unde præcedens Protobibliothecarius electus fuerat. Qui vero ex una domo in aliam tranſierunt, cenſendi ſunt ad eam domum pertinere in quam primo admiſſi fuerunt: exceptis iis, qui in Præfectos, Socios, vel Scholares, quocunque titulo notatos, alterius cujuſvis domus admiſſi fuerint, qui, poſt iſtiuſmodi

Corpus Statutorum p. 21.

admiſſionem, ad eam domum in quam noviſſime admiſſi fuerint cenſendi ſint perpetuo pertinere.

Hypobibliothecarii nominentur per Bibliothecarium, cum majoris partis omnium Curatorum conſenſu; quæ quidem nominatio ſuffragiis Ven. Domus Convocationis permittetur, præmiſſa ſemper a Vice-Cancellario ſex dierum publica monitione. Iidem ab officio removeantur, ſi quid tale meruerint, ex majoris partis omnium Curatorum ſententia. Miniſtri nominentur per Bibliothecarium, cum majoris partis Curatorum in Univerſitate præſentium approbatione, et eadem auctoritate ab officio removeantur.

Omnes autem, quamprimum nominati fuerint, eodem modo quo Bibliothecarius, (Stat. Bod. 1610. §. 2.) mutatis mutandis, in Ven. Domo Convocationis (vel coram Vice-Cancellario, ſi in tempore Vacationis fiat nominatio,) ſub jurisjurandi religione fidelitatem ſpondeant. Append. Statutorum p. 7.

§. 5. *De Cuſtodia Numiſmatum.*

NUMISMATUM cuſtodiam ſolus habeat Protobibliothecarius; et quo melius tam pretioſæ ſupellectilis integritati conſulatur, nemo unquam, niſi ipſo præſente, Muſeolum ubi conſervatur intrandi copiam habeat. Porro Statutum eſt, ut Bibliothecarius uno eodemque tempore pluribus quam duobus numiſmata nunquam oſtendat, niſi adſtante per integrum tempus Curatorum aliquo, vel uno ex Hypobibliothecariis; quo in caſu permiſſum eſt ut quatuor (non autem plures) ſimul ad viſendum accedant.

Bibliothecarius, ſi ex Academia exceſſurus ſit, Muſeoli hujuſce claves Vice-Cancellario in manus tradat. Fas ſit autem Vice-Cancellario, propter ſpecialem aliquam cauſam, quæ moram nequaquam patitur, Hypobibliothecariorum alterutri claves tradere. Sciat autem Hypobibliothecarius iſte, ſe fide data teneri, ut quam primum fieri poteſt claves Vice-Cancellario reſtituat; ſciat etiam, ſibi omnino nefas eſſe Muſeolum iſtud, dum claves apud ſe retineat, ulla unquam de cauſa ingredi, niſi aliquo ex Curatorum numero comitante, et per integrum tempus adſtante.

Statutum eſt inſuper, ut Numiſmata quotannis, paucis diebus

ante annuam Bibliothecæ Viſitationem, præſente Bibliothecario, perluſtrentur, duobus ex Curatorum numero a reliquis ad id munus obeundum nominatis.

§. 6. *De tempore aperiendi et claudendi Bibliothecam.*

APERIATUR Bibliotheca a feſto Annunciationis ad feſtum Divi Michaelis ab hora nona matutina ad quartam poſtmeridianam.

A feſto Divi Michaelis ad feſtum Annunciationis ab hora decima matutina ad tertiam poſtmeridianam.

Exceptis diebus omnibus Dominicis, et diebus quibuſcunque vel jejunii vel feſtivitatis publica auctoritate injunctis vel injungendis:

Vigiliis ante Nativitatem Domini, et deinceps uſque ad feſtum Circumciſionis incluſive:

Feſto Epiphaniæ:

Die Paſſionis Domini, Vigiliis Paſchatis, ac Feriis Paſcha immediate ſequentibus:

Die Aſcenſionis, et Feriis Pentecoſten immediate ſequentibus:

Diebus Encæniorum, Veſperiarum, Comitiorum, et Commemorationum publicarum:

Septem diebus a primo Septembris numerandis, quo melius Bibliotheca a ſordibus purgetur.

Octo diebus viſitationem Bibliothecæ immediate præcedentibus.

Feſtis vero quibuſcunque (de quibus ſupra non aliter ordinatum fuerit) ſtatim poſt conciones publice coram Univerſitate habendas Bibliothecam accedentibus pateat aditus.

§. 7. *De Curatoribus Bibliothecæ, et de Bibliotheca ab iis ſæpius perluſtranda.*

CURATORIBUS, iiſque ſolis, jus concedatur ſine aliquo ex Bibliothecæ Officiariis comitante in iſtas partes Bibliothecæ intrandi quæ clauſtris obſerantur; excepto ſemper Muſeolo ubi cuſtodiuntur numiſmata, de quo ſupra ſpeciatim ſtatutum eſt. Hoc autem ita intelligendum eſt, ne quis, vel abſentibus Bibliothecæ Officiariis, prohibea-

tur ab uſu clauſtrorum iſtorum, ac præcipue Scholarum Bibliothecæ annexarum, modo libri quorum uſum requirit (juxta ordinationes Stat. Bod. 1610. §. 6.) "in manus ei numerato tradantur," et ab eo "ante diſceſſum reddantur," cæteri interea clathris obſerati adſerventur. Curatoribus autem ipſis poteſtas hæc ideo conceditur, ut in ſtatum et conditionem Bibliothecæ aſſidue inquirant, et explorent utrum omnia recte conſerventur, et juſto ordine diſponantur. Et ſi quid invenerint in quo contra ſtatuta et regulas legitime ſancitas peccatum fuerit, vel quod in melius mutari poterit, illico Vice-Cancellarium adeant; qui eorum rogatu Curatores cæteros ſubmoneat et convocet, ita ut conjunctis conſiliis quod remedium quærendum ſit, vel quid ſit faciendum, demonſtrent, juxta Statutorum vim, et auctoritatem illorum fidei commiſſam. (Stat. Bodl. 1610. §. 13.) Proviſo tamen, quod, in omni Curatorum ad Ven. Domum Convocationis relatione, ratio ſemper habeatur Stat. Tit. X. Sect. ii. §. 2. et Tit. XIII.

Append. Stat. p. 12.

Append. Stat. p. 18.

Corpus Stat. p. 131.

Curatoribus etiam liceat alterum diem perluſtrandæ Bibliothecæ, præcipue Archivis, adſignare: qui quidem dies 8vum Novembris pauxillo ſpatio antecedet, ita ut ſolenni iſto die, juxta Fundatoris voluntatem, de omnibus et ſingulis fiat relatio.

Denique ea omnia in Statutis antiquitus ſancitis, quorum in prædictis alia ratio habetur, vi præſentis Statuti abrogentur. Cætera rata permaneant.

De Statuto hoc rogando conſenſerunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpenſa, convenerunt in terminos die decimo quinto menſis Novembris; publicatum eſt in Domo Congregationis die viceſimo nono menſis Novembris, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum ſecundo die Decembris, Anno Domini 1813.

TITULUS XVII.

SECTIO IV.

Corpus Statutorum pp. 162, 163.

DE PROCURATORIBUS UNIVERSITATIS.

§. 2. *De novorum Procuratorum ad Officia sua Admissione.*

STATUTUM est, quod tempore et loco, juxta Statuta CAROLINA præstitutis, superioris Anni Procuratoribus in Domo Convocationis Sellas suas capessentibus, exsurgens Senior Procurator gesta illius Anni, quæcunque occurrerint memoratu digna, brevi oratione percensebit; deinde uterque Officiorum suorum Insignia (scilicet Statutorum Libros, et Clavium fasciculos) coram tota Convocatione deponet.

Mox novi Procuratores, (prius a Collegiis suis per Præfectos, reliquis comitantibus, et præeunte Bedellorum altero, Habitu Gradui et Officio competente, solenniter ad Ecclesiam B. Mariæ deducti) Domino Vice-Cancellario per Collegiorum suorum Præfectos, eorumve Deputatos, ad Officia sua hac Forma, et præcise sub his terminis, præsententur.

"Insignissime [h] Domine Vice-Cancellarie, præsento tibi hunc egregium Virum A. B. in Artibus Magistrum, e Collegio N. secundum Ordinationes Serenissimi Regis, CAROLI, in alterum Procuratorem istius Universitatis Electum, ut ad Munus Procuratorium istius Universitatis, in Annum sequentem, obeundum admittatur."

Tunc vero Dominus Vice-Cancellarius (Juramentis prius, de Primatu Regio agnoscendo, necnon Allegiantia, per ipsos præstitis) utrumque eorum hoc Juramento corporali onerabit.

1. "Magister, tu dabis fidem ad observandum omnia Statuta, Privilegia, Libertates et Consuetudines istius Universitatis.

2. "Item tu jurabis, quod ea omnia et singula quæ ad officium (Senioris vel Junioris) Procuratoris istius Universitatis spectant, bene,

[h] R. 21. a.

et fideliter, et indifferenter, quatenus te et Officium tuum concernunt, omnimoda partialitate fepofita, durante tuo Officio, exequeris; et executionem eorundem per Deputatos tuos, quantum in te eft, procurabis."

Deinde propriis, unicuique ipforum, Officiorum fuorum Infignibus traditis, fcilicet Statutorum Libris et Clavibus, eofdem ad Officia fua præcife fub hac Forma admittet.

"Egregie Magifter, Ego Auctoritate mea, et totius Univerfitatis, admitto Te ad Officium Procuratoris iftius Univerfitatis in Annum fequentem; necnon ad reliqua omnia præftanda et peragenda, quæ ad Munus vel Officium Procuratoris fpectant." Mox acceptis Officiorum Infignibus Procuratorum Sellas capeffent. Deinde quatuor Magiftros (qui tres annos ad minimum a fufcepto Magifterii gradu compleverint) quos fibi Deputatos adfcifcere placuerit, finguli binos, nominabunt. Qui fi præfentes fuerint, illico, exigente Vice-Cancellario, eodem quo ipfi Procuratores Juramento aftringentur; alioqui, in proxima Congregatione. Quorum muneris erit, inter alia, Concionum tempore Plateas, Vicos, Popinas et Oenopolia perluftrare, quo tempore præcipue Juniores fecure et licenter Plateas obambulant, ocreati et galeros induti.

Dimiffa autem Convocatione, Procuratores, una cum omnibus Magiftris, Caputiis obverfis, Vice-Cancellarium Domum fuam deducent; deinde omnes Magiftri utrumque Procuratorem, primo Seniorem, dein Juniorem, Bedellis præeuntibus, ad Collegia fua deducent.

De Statuto hoc rogando confenferunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpenfa, convenerunt in terminos die primo menfis Maii: relatum eft in Domo Congregationis die decimo tertio menfis Maii juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo octavo ejufdem menfis Maii, Anno Domini 1815.

Corpus Statutorum pp. 132. 133. et Addend. pp. 100—102.

TITULUS XIV.

STATUTUM NOVUM DE USU HABITUS ACADEMICI.

CUM propter remiſſiorem habitus Academici uſum multa ac gravia incommoda huic noſtræ Univerſitati proculdubio accreſcant; Statutum eſt, quod Juniores omnium ordinum, quoties in publicum in Univerſitate prodeunt, juſto habitu Academico induti incedant.

Si quis vero infra Gradum Magiſtri in Artibus, aut Baccalaurei in Jure Civili, in hac parte deliquerit, pro prima, ſecunda, ac tertia vice, penſo aliquo literario per Vice-Cancellarium, vel Procuratorum alterum, vel quemvis ex eorum Deputatis, puniatur.

Denique, ſi quis poſt hujuſmodi pœnam ter impoſitam iterum in conſimili delicto deprehenſus fuerit, ſuſpendatur inſuper a Gradu quem ambit (ſi Vice-Cancellario et Procuratoribus viſum fuerit) per unum terminum toties quoties, et Libro Nigro, ſive Regiſtro Procuratorum, nomen ejus inſeratur.

De Statuto hoc rogando conſenſerunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpenſa, convenerunt in terminos die decimo octavo menſis Novembris: relatum eſt in Domo Congregationis die viceſimo ſecundo menſis Novembris, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die viceſimo ſexto menſis Novembris, Anno Domini 1816.

Abrogatio Statuti Tit. VIII. " De Diſputationibus " ordinariis."

Corpus Statutorum pp. 63—67.

CUM Diſputationes ordinariæ hiſce Temporibus minime ſint accommodatæ, neque aut in Doctrinæ incrementum aut in Academiæ honorem cedant; placuit Convocationi ut Statutum Titulum VIIIum præ ſe ferens, quo hæ Diſputationes ordinantur, abrogetur.

De Abrogatione hac roganda consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in terminos die decimo mensis Maii: relata est in Domo Congregationis die decimo tertio ejusdem mensis Maii, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam, tandem in Convocatione publicata et confirmata die decimo septimo mensis Maii, Anno Domini 1819.

TITULUS XVI.

DE CONCIONIBUS.

§. 2. *De Concionibus habendis ante meridiem diebus Dominicis extra Terminum, necnon Dominicis Quadragesimalibus et diebus Festis ante meridiem, ac Dominicis post meridiem per totum Annum.* Corpus Statutorum p. 148. Addenda p. 146.

STATUTUM est, quod extra Terminum, in quolibet die Dominico ante meridiem (præterquam in Dominica Paschatis quando in singulis Collegiis conciones ante sacram Synaxin sunt habendæ) necnon in Dominicis Quadragesimalibus ante meridiem, (excepto tempore magnæ vacationis,) et in quolibet die Dominico post meridiem per totum annum, (excepto tempore magnæ vacationis;) et in quolibet die festo per totum annum, (exceptis iis qui in tempore magnæ Vacationis occurrunt;) in Ecclesia Beatæ Mariæ Virginis, nisi quatenus in his Statutis aliter provisum fuerit, Concio vernaculo sermone habeatur.

* * * * * * *

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in terminos die tricesimo primo mensis Maii: relata est in Domo Congregationis die octavo mensis Junii, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam, tandem in Convocatione publicata et confirmata die decimo quarto ejusdem mensis Junii, Anno Domini 1819.

Corpus Statutorum p. 183.

Supplementum ad Statutum Tit. XIX. "De Feodis "ad Universitatem Officiarios, et Servientes "pertinentibus."

COLLECTIS, denique, Bedellorum opera, omnibus Feodis ad Universitatem spectantibus, in Cista quidem Academica reponantur ea quæ hactenus Bedellorum propria sunt habita, et, eorum vice, posthac annuatim percipiant Bedelli Superiores integram quisque Summam Ducentarum et Quinquaginta Librarum, et Bedelli Inferiores integram quisque Summam Centum Librarum, a Vice-Cancellario post finitum quemque Terminum æqualibus portionibus dinumerandam. Proviso tamen, quod hæc ratio Bedellorum remunerandorum, non nisi post vacationem officii per præsentes Bedellos, prout respective contigerit, effectum habeat.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in terminos die decimo septimo mensis Februarii; relatum est in Domo Congregationis vicesimo die mensis ejusdem, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo quinto Februarii, Anno Domini 1823.

TITULUS IX.

SECTIO II.

DE EXAMINANDIS GRADUUM CANDIDATIS.

Corpus Statutorum p. 71. Addenda pp. 115, 157, 185, 198.

§. 1. *De Examinatoribus designandis, et juramento onerandis, per Seniorem Procuratorem.*

QUO innotescat certius Congregationi Regentium eruditio et in bonis literis progressus eorum qui primum sibi Gradum, sive in Artibus, sive in Jure Civili, petunt; Statutum est, quod unusquisque nondum Graduatus, antequam ad supplicandum pro Gratia admittatur, examen subeat.

Compluribus autem de causis, præsertim in hac juvenum Academicorum frequentia, unde plus æquo et curæ et laboris Examinatoribus imponi vidimus, placuit Academiæ Statutum de ista re A. D. 1809 conditum abrogare, et præsens Statutum in ejus locum subrogare.

In posterum NOVEM sunto Examinatores Publici in duas Scholas distribuendi; SEX videlicet in Scholam Literarum Humaniorum quorum munus erit Candidatos omnes qui primum sibi Gradum sive in Artibus, sive in Jure Civili petunt, in Literis Humanioribus examinare; TRES itidem in Scholam Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum, qui Candidatos tantummodo in Disciplinis Mathematicis et Physicis examinabunt. Hi vero Examinatores Publici sint ex eorum numero qui aliquando in Artibus, vel in Jure Civili, inceperint, per Vice-Cancellarium et utrumque Procuratorem, ex ipsorum consensu, nominandi, et deinceps a Venerabili Domo Convocationis pariter ac Congregationis approbandi; ita ut prima nominatio

penes Vice-Cancellarium sit, secunda penes Procuratorem Seniorem, tertia penes Procuratorem Juniorem; et hic ordo nominationum in perpetuum servetur. Et ut omnia in hoc negotio cautius fiant et integrius, ista nominatio primum quidem in Congregatione Domui significetur; deinde in proxima Congregatione Examinatorum Nomina sigillatim suffragiis Regentium permittantur; et tandem post tres dies in frequenti Convocatione, eodem modo, a Domo approbanda demum, seu improbanda, proponantur. Cauto semper, quod hæc Examinatorum designatio ita fiat, ut duo Examinatores ex eodem Collegio, vel Aula, nunquam in eadem Schola simul existant.

Ex hisce Examinatoribus, peracta unaquaque EXAMINATIONE, officio suo cedant duo in Schola Literarum Humaniorum; unus in Schola Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum, ii nempe qui priores ad officium suum nominati fuerint; ita ut e numero novenario cuique Examinatori post tres EXAMINATIONES officii sui sit terminus. Subrogentur autem in eorum locum tot alii quot ad numerum novenarium explendum sufficiant, a Vice-Cancellario et Procuratoribus, modo et ordine supra definitis, nominandi, et sub forma etiam supra definita a Venerabili Domo Convocationis pariter et Congregationis approbandi.

Proviso semper, quod nemo, qui Examinatoris officio per tres EXAMINATIONES functus fuerit, eodem officio in eadem Schola, nisi post unam EXAMINATIONEM elapsam, iterum fungatur.

In proximo tamen et secundo post statutum hocce conditum anno, donec eo res processerit ut Examinatores suo quisque ordine vicissim cedant, junioris erit loco cedere, nisi aliter Examinatores inter se statuant.

Examinatores singuli intra Scholarum præcinctus, singulis diebus EXAMINATIONIS, Procuratoribus absentibus, Procuratoria auctoritate muniantur, atque insuper durante officio suo (sicut Magistri Scholarum) sint Regentes ad placitum; et in Domo Congregationis, antequam munus suum ineant, Examinatores quorum

munus erit in Literis Humanioribus examinare, per Seniorem Procuratorem juramento onerentur, in hæc verba;

Domine Doctor, vel *Magister, tu jurabis, quod munus et officium Examinatoris Publici sedulo et fideliter pro virili exequêris, forma et modo per Statuta requisitis.* Resp. *Juro.*

Item tu jurabis, quod, sepositis omni odio et amicitia, timore et spe, neque indigno cuivis testimonium perhibebis, neque digno denegabis, et quod in Schedula Candidatorum ordinanda classem unicuique secundum merita sua assignabis, et neque indignum aliquem admittes, neque dignum repudiabis. Resp. *Juro.*

Item tu jurabis, quod nullo modo revelabis suffragium quod vel ipse tuleris, vel alius quivis Examinator tulerit, in judicio de Candidatorum meritis pronunciando. Resp. *Juro.*

Mathematici etiam Examinatores in hæc verba jurent:

Domine Doctor, vel *Magister, tu jurabis, quod munus et officium Examinatoris Publici sedulo et fideliter pro virili exequêris, forma et modo per Statuta requisitis.* Resp. *Juro.*

Item tu jurabis, quod, sepositis omni odio et amicitia, timore et spe, in Schedula Candidatorum ordinanda classem unicuique secundum merita sua assignabis, et neque indignum aliquem admittes, neque dignum repudiabis. Resp. *Juro.*

Item tu jurabis, quod nullo modo revelabis suffragium quod vel ipse tuleris, vel alius quivis Examinator tulerit, in judicio de Candidatorum meritis pronunciando. Resp. *Juro.*

§. 2. *De* EXAMINATIONIBUS *habendis, et de Candidatorum admissione.*

EXAMINATIONIBUS habendis assignentur Terminus Michaelis et Terminus Paschatis, a decimo scilicet die mensis Novembris, et a die Jovis Dominicam secundam post Festum Paschatis proxime sequente, respective inchoandis. Quod si forte initium alicujus EXAMINATIONIS in diem festum inciderit, inchoatio ejusdem in diem immediate sequentem differatur.

Qui autem in alterutro horum Terminorum examen subituri

sunt, nomina sua vel per se, vel per Tutores suos, coram Procuratore Seniore profiteantur, in Registro peculiari penes Procuratorem Seniorem asservato, et in Terminos hosce rite distributo, inserenda; hac tamen lege, nequis serius quam triduo (ita ut tres dies integri supersint) ante EXAMINATIONEM inchoandam Procuratorem de hac re adeat.

Proviso semper, quod nemini examen suum cedat pro forma, qui se examinandum sistet ante inchoatum a tempore Matriculationis suæ quartum annum[1]; exceptis iis quibus indulget Academia, ut integro triennio in studiis Academicis completo ad Gradum promoveantur[2]. Hisce omnibus licebit post inchoatum tertium annum, a tempore Matriculationis suæ computandum, examen subire.

Nemo autem ad examen subeundum admittatur, nisi qui Quæstionibus Magistrorum Scholarum in Parviso pro forma responderit.

Nemo etiam ad examen subeundum admittatur, nisi qui intra duos annos examinis sui Terminum immediate præcedentes binis diebus ad minimum EXAMINATIONI Publicæ per integrum tempus interfuerit. Intersit autem uno saltem die EXAMINATIONI in Literis Humanioribus, altero die, si maluerit, EXAMINATIONI in Disciplinis Mathematicis et Physicis. Et quo unumquemque huic Statuto satisfecisse liquido appareat, EXAMINATIONIS, cui interfuerit, dies notentur, Testimonio ei perhibito ab uno Examinatorum Publicorum sub hac forma:

A. B. Examinationi Publicæ per integrum tempus interfuit.
1mo. (die mensis et anni) *Ita testor C. D. Examinator in Literis Humanioribus.*
2do. [vel] *E. F. Examinator in Disciplinis Math. et Phys.*

Quod quidem Testimonium, atque insuper Testimonium RE-

[1] Vide Tit. VI. Sect. VII. [2] Vide Tit. VI. Sect. I. §. 1.

SPONSIONIS suæ in Parviso sub Chirographo duorum e Magistris Scholarum, quilibet Candidatus per se vel per Tutorem suum coram Seniore Procuratore teneatur exhibere, eo ipso tempore quo et nomen suum inter Candidatos profitetur; neque licebit Procuratori, Testimoniis istis non exhibitis, aliquem in Candidatorum numerum referre.

Procurator autem Senior, ubi tandem, modo supra præscripto, de iis omnibus, qui sese Candidatos in Termino aliquo profiteri velint, certior factus fuerit, tenetur statim nomina eorum in Schedulam referre, serie Alphabetica; deinde Schedulam istam Chirographo suo munitam et typis mandatam sub hoc titulo [*Ordo Examinandorum Termino A. D.*] ad Vice-Cancellarium, ad singulos Collegiorum et Aularum Præfectos, ad Procuratorem Juniorem, ad singulos Examinatores, et ad cujuslibet Collegii vel Aulæ Refectorium tam publicum quam privatum Magistrorum deferri, et ostiis etiam Bibliothecæ Bodleianæ, Scholæ Metaphysices, et Apodyterii Venerabilis Domus Convocationis affigi, curabit: quæ omnia ita agenda sunt, ut, si fieri poterit, bini dies integri inter Schedulam hanc publici juris factam et EXAMINATIONEM inchoandam interjiciantur.

Et hæc Schedula Procuratoria, modo et forma præscriptis publicata, pro omni qualicunque licentia, monitione, et notificatione, tam ab ipsis Examinatoribus, quam a Candidatis, habenda et accipienda est.

§. 3. *De Forma et Modo* EXAMINATIONIS.

LOCUS EXAMINATIONIBUS habendis assignetur Schola Metaphysices et Schola Musices. Liceat tamen Vice-Cancellario et Procuratoribus cum consensu Ven. Domus Congregationis locum aliquem alium intra septa scholarum assignare, si quis commodior reperiri poterit, modo de hac re Academiam triduo ante certiorem fecerint. Terminis igitur Michaelis et Paschatis diebus supra præscriptis hora decima matutina in Scholam Metaphysices se conferant Examinatores, quorum munus erit in Literis Huma-

nioribus examinare; et deinde continuetur EXAMINATIO (donec de omnibus Candidatis provisum fuerit) a die in diem, nisi ob causam aliquam rationabilem Examinatoribus aliter visum fuerit; quo in casu monentur Examinatores ut de die quem continuandæ EXAMINATIONI destinaverint Academiam certiorem faciant Schedula monitoria ad Collegiorum et Aularum Præfectos deferenda, ad portam insuper Refectorii vel Promptuarii cujusque Collegii et Aulæ, et ad portam Scholæ Metaphysices per Æditum Universitatis ad minimum ante meridiem diei præcedentis affigenda. Formula vero Schedulæ hæc esto;

Examinatio publica die habenda est.

A. B.
C. D.
E. F.
G. H.

Hora autem decima matutina in Examinatione uniuscujusque diei incipienda semper servetur. Excepto quod in die aliquo festo Examinatio non incipiatur nisi post concionem publice coram Universitate habitam.

Candidati vero juxta ordinem Schedulæ Procuratoriæ ab Examinatoribus nominatim ad examen suum subeundum citentur. Qui citatus non responderit, nisi ex causa rationabili per Vice-Cancellarium approbanda, omni loco in EXAMINATIONE istius Termini privetur; neque ad aliam aliquam EXAMINATIONEM tanquam Candidatus admittatur, nisi iterum coram Procuratore Seniore nomen suum professus fuerit; et citetur proximus Candidatus, sub eadem lege, et sic deinceps. Quod si Vice-Cancellarius causam aliquam absentiæ ratam habuerit, extremus tamen locus in Schedula isti Candidato assignetur. Proviso semper, quod non plures quam Sex Candidati eodem die ad examen subeundum admittentur.

Uniuscujusque diei Examinationi in LITERIS HUMANIORI-

BUS, non pauciores quam quatuor Examinatores, absentiæ vicibus juxta Senioritatem, nisi aliter ipsis visum fuerit, inter se constitutis, adesse atque operam impigram impendere volumus.

Candidati cujuslibet examen semel inceptum ab iisdem quatuor Examinatoribus nunquam non peragatur. Si vero post Candidatum viva voce examinatum supersit aliquod ab eodem scriptis præstandum, liceat Examinatoribus, etiam extra locum Examinationis, si velint, scripta inspicere et perpendere. Liceat insuper Candidatos eodem die ad examen subeundum citatos, eo ordine qui commodior videatur, examinare.

Instituatur examen in RUDIMENTIS RELIGIONIS, in LITERIS HUMANIORIBUS, et in MATHEMATICARUM SCIENTIARUM et PHYSICES ELEMENTIS: et in Examine cujusque Candidati is ordo servetur.

Præ cæteris igitur omnibus primum sibi locum vindicant RELIGIONIS RUDIMENTA. Meminerint Examinatores, et hanc sibi sanctam habeant juramenti sui interpretationem, defectum in hac re nullis aliis quibuscunque Candidatorum meritis compensari posse, ita ut qui in gravissima hac materie Examinatoribus non satisfecerit nullum omnino Testimonium obtineat.

Adhibentor semper S. S. Evangelia Græca, e quibus locus aliquis Candidato interpretandus proponatur, et Quæstiones ex ista interpretatione oriundæ excutiantur.

Adhibentor etiam Doctrinæ Articuli in Synodo Londini anno 1562 editi; in quibus, juxta Academiæ Statuta, a Tutoribus instituendi sunt omnes qui illorum tutelæ committuntur[1]. De ipsis Dogmatibus breves sunto et dilucidæ Quæstiones; deinde ad locos S. S. Scripturæ provocetur, ex quibus Dogmati isti de quo agitur fides præcipue adstruenda sit.

Porro et Evidentiæ quas vocant, sive argumenta quibus innititur Religionis tam Naturalis quam Revelatæ veritas, ab hac EXAMINATIONE nequaquam alienæ censendæ sunt.

[1] Vide Tit. III. §. 2.

Per Literas vero Humaniores intelligimus, non tantum Linguas Græcam et Romanam, sed et Rhetoricam quoque et Moralem Philosophiam, quatenus a Scriptoribus veteribus derivandæ sint. Dialecticam itidem hisce Literis adnumeramus.

Adhibentor igitur tres ad minimum Scriptores Græci et Romani, melioris ævi et notæ. Proviso semper, quod, si adhibitus fuerit Aristoteles tanquam Dialecticæ Magister, nequaquam eo nomine inter tres istos Scriptores numerandus est.

Examinatoribus insuper explorandum incumbit, qua quisque polleat facultate animi sui sensa lingua Latina explicandi. Id quod explorare poterunt, porrecto aliquo libro, lingua vernacula conscripto, e quo oblatum quemcunque locum lingua Latina reddere Candidatus quisque tenetur; aut alio quocunque demum modo, quo sibi commodius satisfacturos Examinatores probabile sit.

Cæterum quod ad Literas Humaniores et Mathematicarum Scientiarum et Physices Elementa attinet, Examinatoribus liberum esto quemlibet Candidatum vel in hisce universis, vel in aliqua parte horum, (prout ipsis satius visum fuerit,) examinare; modo ut Dialecticæ ratio habeatur, et ut tres isti Scriptores Græci et Romani semper adhibeantur. Nihil enim triste aut asperum molimur. Lenitati ubique consultum volumus, modo ne ea sit, quæ Juniorum socordiæ patrocinari videatur. Proviso semper, quod non licebit cuivis Examinatori Candidatum aliquem ex eadem Domo ex qua sit ipse examinare.

Candidati autem uniuscujusque examen, quantum fieri poterit, uno decursu absolvatur, ita ut ante illud absolutum alius Candidatus non citetur. Si vero post examen Candidati viva voce peractum supersit aliquod scriptis ab eodem Candidato præstandum, licebit Examinatoribus examen istud eatenus pro absoluto habere, ut Candidatum proximum continuo citent.

Proviso semper, quod, in omni hoc Examinationis negotio, licebit aut Latino aut Anglicano idiomate uti, prout Examinatoribus magis expedire videbitur.

Unoquoque autem die, ubi visum fuerit Examinatoribus nullum alium Candidatum isto die citare, palam declarabit Examinator Senior diem EXAMINATIONI continuandæ destinatum. Et post finitam Examinationem uniuscujusque diei alii omnes Schola excedant præter ipsos Examinatores, qui de Candidatis inter se judicium ferent, ac quemcunque dignum invenerint ei Testimonium perhibebunt singuli sub hac forma;

A. B. [die mensis et anni] *examinatus, prout Statuta requirunt, satisfecit nobis Examinatoribus.*

Ita testamur { *C. D.*, *E. F.*, *G. H.*, *I. K.* } *Examinatores in Literis Humanioribus.*

Quod si forte contingat aliquem hujusmodi Testimonio indignum reperiri, licebit tamen illi in sequente alicujus Termini EXAMINATIONE Candidatum se iterum profiteri.

Quoties autem aliquis in Disciplinis quoque Mathematicis et Physicis se sistat examinandum, eodem die post peractum ejus in LITERIS HUMANIORIBUS examen, Examinator istius diei Senior, de ea re singulos Examinatores Mathematicos, per Æditum Universitatis, certiores facere tenebitur sub hac forma;

A. B. in Literis Humanioribus examine suo peracto, in Disciplinis Mathematicis et Physicis examinandus est.
Ita testor C. D. In Literis Humanioribus Examinator sen'.

Post hanc vero monitionem, tres Examinatores Mathematici, die Martis proxime sequenti, in locum Examinationi Mathematicæ assignatum se conferant, ibique hujusmodi Candidatos serie Alphabetica citent, de die in diem pro re nata examinent, et de illorum meritis inter se judicium ferant. Proviso quod nemo in Literis Humanioribus examinatus, eodem die vel postridie, nisi ipse id petat, huic examini subjiciatur.

Hos tres Examinatores Mathematicos uniuscujusque Candidati examini omnino operam impigram impendere volumus; si vero post examen viva voce peractum, supersit aliquod scriptis a quolibet Candidato præstandum, duo tantummodo ex his Examinatoribus (absentiæ vicibus juxta Senioritatem, nisi aliter ipsis visum fuerit, inter se constitutis) in Schola semper adesse teneantur.

Liceat porro his Examinatoribus etiam extra locum Examinationis, si velint, scripta inspicere et perpendere.

Liceat insuper Candidatos eodem die ad examen subeundum citatos, eo ordine qui commodior videatur, examinare.

Quod si quis e tribus Examinatoribus Mathematicis propter infirmiorem valetudinem aut aliam causam perurgentem, a Vice-Cancellario et Procuratoribus absentiæ veniam sibi impetraverit, alius ex nominatione Vice-Cancellarii et Procuratorum a Ven. Domo Convocationis approbandus pro hac vice in illius locum substituatur. Nemini tamen istiusmodi venia ultra unam EXAMINATIONEM prorogetur. Cauto etiam quod Candidati cujuslibet examen semel inceptum ab iisdem tribus Examinatoribus nunquam non peragatur.

Peracta demum uniuscujusque Termini EXAMINATIONE, Examinatores eo ipso die, si fieri potest, sin minus postridie, in Scholam Metaphysices se conferant, et Candidatorum omnium nomina in Classes distribuant, et in Schedulam quandam, forma infra præscripta, redigant.

Classium vero Series duplex esto, quarum altera ad LITERAS HUMANIORES, altera ad MATHEMATICAS et PHYSICAS DISCIPLINAS pertinere censenda est.

Et qui cæteris Candidatis in alterutra Serie ita antecellere visi fuerint, ut insigniore aliqua laude digni censeantur, in PRIMAM ISTIUS SERIEI CLASSEM referendi sunt; proximi his in SECUNDAM, aut in TERTIAM referantur, prout de cujusque meritis judicium tulerint Examinatores. In QUARTAM vero Classem referendi sunt cæteri omnes qui Examinatoribus satisfecerint.

Forma autem Schedulæ hæc esto;

NOMINA CANDIDATORUM

TERMINO A. D.

QUI HONORE DIGNI SUNT HABITI,

IN UNAQUAQUE CLASSE SECUNDUM ORDINEM ALPHABETICUM DISPOSITA.

	IN LITERIS HUMANIORIBUS.	IN DISCIPLINIS MATHEMATICIS ET PHYSICIS.
CLASSIS I.	*A. B. e Coll.* *C. D. e Coll.* &c. &c.	*A. B. e Coll.* *C. D. e Coll.* &c. &c.
CLASSIS II.	*A. B. e Coll.* *C. D. e Coll.* *E. F. e Coll.* &c. &c.	*A. B. e Coll.* *C. D. e Coll.* *E. F. e Coll.* &c. &c.
CLASSIS III.	*A. B. e Coll.* *C. D. e Coll.* *E. F. e Coll.* &c. &c.	*A. B. e Coll.* *C. D. e Coll.* *E. F. e Coll.* &c. &c.

A. B. *C. D.* *E. F.* *G. H.* *I. K.* *L. M.*	Examinatores in Literis Humanioribus.	*N. O.* *P. Q.* *R. S.*	Examinatores in Disciplinis Mathematicis et Physicis.

SUMMA QUARTÆ CLASSIS,

SIVE CÆTERORUM OMNIUM QUI EXAMINATORIBUS SATISFECERUNT.

XXXXX.

Nomina autem in tribus superioribus Classibus respective, secundum ordinem Alphabeticum disponantur. Cauto semper, quod si Candidatus aliquis Examinatoribus IN LITERIS HUMANIORIBUS non satisfecerit, nullum omnino Testimonium aut locum in Schedula ista obtineat. Volumus etiam quod neque in

Testimoniis perhibendis, neque in hac Schedula ordinanda, Examinator de Candidato quovis suffragium vel judicium suum ferat, nisi cujus examini omni ex parte operam impigram impenderit.

Sin autem in Schedula hac ordinanda Examinatores pari utrinque suffragiorum numero in diversas sententias abierint, ea demum sententia rata esto, pro qua steterit Examinator Senior in alterutra Schola, modo ne sit ex eadem domo unde Candidatus ipse de quo agitur: in quo casu auctoritas simpliciter Senioris ad proxime Seniorem transferenda est. Quæ quidem Senioritas hoc modo æstimanda est; scilicet, Doctorum, juxta Ordinationes Tit. XI. §. 2. Baccalaureorum vero in quavis facultate, pariter ac Magistrorum, juxta prioritatem præsentationis suæ ad Gradum Magistri in Artibus.

Denique hanc Schedulam, propriis omnium Examinatorum nominibus signatam, et typis mandatam, ad Dominum Cancellarium et Vice-Cancellarium, ad singulos Collegiorum et Aularum Præfectos, ad utrumque Procuratorem, necnon ad cujuslibet Collegii et Aulæ Refectorium, Examinator Senior curabit deferri.

§. 4. *De Officio ac Cura Vice-Cancellarii et Procuratorum circa* EXAMINATIONES; *et de Examinatoribus remunerandis.*

Quo Statutum hoc de examinandis Candidatis in futurum sancte et inviolabiliter observetur, Ordinatum est, quod unicuique EXAMINATIONI Vice-Cancellarius saltem bis, Procuratores vero, singuli quater ad minimum, intersint, exploraturi utrum omnia rite et secundum Statuta peragantur.

Si quis vero Examinator vel fatis concesserit, vel se officio suo abdicaverit, vel (quod absit) in gravissimo hoc munere obeundo ita se gesserit ut, ex Vice-Cancellarii, vel amborum Procuratorum, sententia, ab officio suo amoveatur, tanquam qui neque Matris Academiæ dignitati, neque juramenti sui obligationi, satisfecerit; alius in ejus locum, qui vices ejus suppleat in partem

trium Examinationum nondum elapsam, forma et modo supra præfinitis, continuo subrogetur.

Et quo Examinatoribus accedant non modo Gratiæ, quas illis usque aget habebitque Academia maximas, sed et remunerationes quædam pecuniariæ, Statutum est, quod Candidatus unusquisque, cum inter examinandos refertur a Procuratore, persolvat xxi Solidos; et quod hæ pecuniæ (exceptis tribus Solidis, in Famuli Procuratoris usum, et uno Solido in usum Æditui Universitatis, viritim pro numero examinandorum reservandis,) a Procuratore ad Vice-Cancellarium deferantur; qui aliis insuper, quantum opus fuerit, e Cista Academica Pecuniis depromptis, (iis scilicet, quæ per Decretum Convocationis anno 1802 sancitum ab Academicis exiguntur,) id semper curabit, ut unicuique Examinatori in Schola Literarum Humaniorum annua Octoginta Librarum Pensio, unicuique autem Examinatori in Schola Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum annua Quadraginta Librarum Pensio, persolvatur.

Cæterum Examinatorum designatio jam facta rata permaneat, ita ut Examinatores, auctoritate Statuti A. D. 1809 designati pro Examinatoribus in Schola Literarum Humaniorum accipiendi sint, nisi aliter ipsis visum fuerit; atque, eo nomine, juramento supra præscripto per Seniorem Procuratorem onerentur.

Præsenti Termino Examinatores alii nominentur; perpetuis vero futuris temporibus hæc Examinatorum Publicorum nominatio Termino Hilarii in Congregatione post Diem Cinerum proxime habenda, et in prima Congregatione Termino Trinitatis, annuatim Domui significetur; et deinceps peragantur etiam reliqua quæ ad illorum designationem spectant, prout superius ordinatum est. Et Examinatores sic designati Termino designationem suam proxime sequente munus suum inibunt.

Volumus insuper, quod Registrum peculiare penes Examinatores in Schola Metaphysices adservetur, in quo eorum omnium qui Testimonium obtinuerint nomina unoquoque Examinationis die inserantur; ita ut, si in Congregatione Regentium de ista re

"modo prælecta, atque insuper sectionem septimam Tituli "Sexti, intra triduum proxime elapsum a te diligenter lecta (vel "alio legente audita) te observasse quoad præterita, nisi aliter "tecum dispensatum fuerit:" [Vel, si in Comitiis Doctoribus responsurus, aut die Mercurii post Comitia Latine concionaturus sit, "Nisi quatenus in Comitiis Doctoribus responsurus, aut die "Mercurii post Comitia Latine concionaturus sis;] tu jurabis "per Jesum Christum hoc sacrosancto Evangelio annuncia-"tum."

Et reliquis manus itidem libro imponentibus, "Idem juramen-"tum quod præstitit A. B. in persona sua," &c.

SECTIO VII.

§. 1. *De Creatione et Licentiatione præsentati per Vice-Cancellarium peragenda.*

Corpus Statutorum p. 106. Addenda p. 108. Item, tu jurabis, quod incipies realiter intra annum, nisi aliter tecum dispensatum fuerit. Resp. Incipiam.

Item, tu jurabis, quod non incipies alibi quam hic. Resp. Non incipiam.

SECTIO I.

§. 5. *Formula admittendi Magistros ad regendum.*

Corpus Stat. p. 70. Item, tu jurabis, quod non revelabis secreta istius Domus; neque Domus Convocationis. Resp. Juro.

* * * * * *

—et quod leges et cantabis in solennibus processionibus, secundum assignationem et dispositionem Procuratorum; vel, si recusaveris, solves 5*s*. in usum Universitatis per Procuratores exigendos.

De clausulis his abrogandis consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et re mature perpensa, convenerunt in terminos die quinto mensis Februarii; publicatæ sunt in Domo Congregationis die decimo mensis Februarii, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicatæ et confirmatæ die decimo quarto mensis Februarii, Anno Domini 1827.

TITULUS XVI.

DE CONCIONIBUS.

§. 3. *De Concionibus Quadragesimalibus et in Dominica Paschatis post meridiem.*

STATUTUM est, quod solennis Concio quæ in quolibet die Dominico durante Quadragesima, necnon in Dominica Paschatis, post meridiem, ad D. Petri in Oriente lingua vernacula haberi solet, in Ecclesia B. Mariæ Virginis in posterum habeatur; ad quas quidem Conciones habendas, viros idoneos nominandi et designandi potestas penes Vice-Cancellarium sit; ita tamen ut eorum ratio imprimis habeatur, qui, per Statuta Collegiorum suorum, aliquam ex istis Concionibus in propriis personis habere astringuntur.

Corp. Stat. p. 148. Addenda p. 147.

Et quod nomina hujusmodi Concionatorum, quos privata Collegiorum suorum Statuta ad has Conciones astringunt, Academiæ Registro inserantur, prout antiquitus obtinuit.

Insuper placuit Universitati clausulas illas abrogare quæ ad Conciones apud D. Petri in Oriente habendas quocunque modo pertineant.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die tertio mensis Decembris; relatum est in Domo Congregationis die sexto mensis Decembris, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo mensis Decembris, Anno Domini 1827.

TITULUS VI.

SECTIO I.

§. 5. *De tempore intra quod creandi sunt Sophistæ Generales. Formula creandi Generales.*

[Placuit Universitati paragraphum abrogare Tit. VI. Sect. I. §. 5. cui titulus, *De tempore intra quod creandi sunt Sophistæ Generales. Formula creandi Generales.* et in ejus locum paragraphum hunc subrogare.] Addenda p. 179.

§. 5. *De tempore intra quod habendi sunt Sophistæ Generales.*

Statutum est, quod Scholares in facultate Artium, qui Quæstionibus Magistrorum Scholarum in Parviso responderunt, post duos demum annos in Universitate completos, et non antea, Sophistæ Generales, absque eos creandi formula, habeantur.

TITULUS IX.

SECTIO III.

§. 4. *Formulæ speciales Gratiarum ad singulos Gradus pertinentium.*

Pro Baccalaureo in Artibus.

Supplicat venerabili Congregationi Doctorum et Magistrorum Regentium A. B. Scholaris Facultatis Artium e Collegio C. in quo, non in domo aliqua privata, per integrum tempus ad Gradum Baccalaurei in Artibus per Statuta requisitum, ipsum cubile et victum continue sumpsisse scio; (vel, si tempus non in uno aliquo Collegio vel Aula compleverit, in quo partim, partim in Collegio vel Aula A.) quatenus sedecim Terminos in studio Dialecticæ et aliarum Artium juxta Statuta posuerit; publicos Ar- Corp. Stat. p. 79. Addenda p. 129. 187.

tium Prælectores diligenter audiverit; Sophista Generalis habitus fuerit; Examen Publicum pro Gradu subierit; et reliqua compleverit omnia, quæ per Statuta Universitatis requiruntur, (nisi quatenus secum dispensatum fuerit;) ut hæc sibi sufficiant, quo admittatur ad lectionem cujuslibet libri Logices Aristotelis, et insuper earum Artium, quas et quatenus, per Statuta tenetur audivisse.

De Statutis his rogandis consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die decimo quinto mensis Februarii; relatum est in Domo Congregationis die vicesimo octavo mensis Februarii, juxta statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die tertio mensis Martii Anno Domini 1828.

TITULUS IX.

SECTIO III.

De Gratiis petendis.

[Placuit Universitati Tit. IX. Sect. III. abrogare, et in ejus locum hanc Sectionem subrogare.]

§. 1. *Conditiones prævice ad petitionem gratiæ ex parte supplicis.* Corp. Stat. p. 76. Addenda p. 126.

Statutum est primo, ne cujusquam gratia in venerabili Domo Congregationis proponatur, nisi qui, eo ipso tempore, in matricula Universitatis nomen inscriptum habeat; et, a tempore matriculationis suæ, annos, ad primum quem ambit Gradum, requisitos compleverit; quique alicujus Collegii vel Aulæ alumnus censeatur.

Deinde requiritur, ut quilibet candidatus, sive pro Gradu aliquo supplicans, non solum sit probis moribus, et omnia ad Gradum requisita recte compleverit; verum etiam (si Gradum in Artibus capessat, vel in Jurisprudentia, secundum Statuta quorundam Collegiorum, antequam in Artibus inceperit) ut secundum Statuta debitum examen subierit, et ab examinatoribus testimonium reportaverit, a Magistro gratiam ipsius proponente, ante gratiæ petitionem, vel a Magistro præsentante, (si candidatus pro gratia non supplicet,) ante præsentationem, palam in Domo Congregationis recitandum.

Quodque inter supplicandum, suis duntaxat viribus et meritis nitatur; nec prece, nec pretio, nec muneribus aut promissis, pacto aut conditione, gratiam aut favorem cujusquam captet; nec Magnatum literis, ut quicquam sibi pro forma requisitum condonetur aut indulgeatur, satagat, cujusmodi ambitus si convictus fuerit, eo ipso inhabilis ad omnem ulteriorem Gradum Scholasticum habeatur.

§. 2. *Conditiones proponendi gratias.*

Statutum est, quod nemo Magistrorum gratiam vel dispensationem quamcunque cujusquam pro Gradu supplicantis proponat, nisi fuerit ejusdem Collegii vel Aulæ, cujus is est qui supplicat; præterquam Procuratorum alter, vel alius, cui Vice-Cancellarius licentiam proponendi concesserit.

Cum vero Collegium unumquodque et Aulam moribus suorum invigilare oporteat, ac præ aliis cavere, ne qui indigni sunt Gradus ambire præsumant; Statutum est, quod nemo, quacunque de causa, Gratiam cujusquam in Domo Congregationis proponat, nisi prius Candidatum suum Gratiam pro Gradu quem ambit a Collegio suo, vel Aula sua, obtinuisse testatus fuerit sub hac forma:

Ego A. B. Decanus, vel Censor, Collegii, vel Aulæ, C. D. (vel Decani, aut Censoris, vicem-gerens) testor E. F. Gratiam a Collegio suo, vel Aula sua, pro Gradu G. H. concessam fuisse, fide mea data huic Universitati.

Statutum est insuper, quod nemo Gratiam cujusquam qui Examen subire debuerit unquam proponat, nisi prius Testimonium Examinatorum de Candidato suo palam in Domo Congregationis recitaverit. Neque gratiam quamlibet cuiquam licebit proponere, nisi prius Decanus, vel Censor, Collegii sui, vel Aulæ, (*vel Decani, aut Censoris, vicem-gerens,*) Schedulam Chirographo suo munitam Vice-Cancellario exhibuerit, in qua certiorem eum fecerit de reditibus annuis Candidati sui.

Ad hanc autem comparandam tenetur Candidatus quisque, Decano vel Censori suo, (*vel Decani aut Censoris vicem-gerenti,*) interroganti, utrum habeat beneficium vel beneficia Ecclesiastica ad valorem quadraginta librarum, aut alios reditus Ecclesiasticos, vel Civiles, sive in terris, sive in pecuniis, ad valorem trecentarum librarum, per annum, (exceptis proventibus Academicis,) fide sua data huic Universitati, respondere, "Habeo," vel "Non habeo." Quod si respondeat se non habere, interrogabitur ite-

rum, "an habeat reditus Ecclesiasticos ad valorem quinque so-"lidorum, aut Civiles ad valorem quinque librarum, per an-"num?" cui respondebit, ut prius; et si fateatur se habere, solvet pro vino tantum. Hæ autem summæ quoad beneficia Ecclesiastica, non attenduntur penes verum et proprium rei æstimatæ valorem, sed penes primitias et censum Regium, inde in fisco Regis Henrici Octavi taxatas.

Formula vero Schedularum Vice-Cancellario exhibendarum esto.

Ego, A. B. Decanus, vel Censor, Collegii, vel Aulæ, C. D. (vel Decani, aut Censoris, vicem-gerens,)

Testor *E. F.*
G. H.
I. K.

fide sua data huic Universitati declarasse, se non habere reditus Ecclesiasticos ad valorem quinque solidorum, aut Civiles ad valorem quinque librarum, per annum, exceptis proventibus Academicis.

A. B. Decanus, vel Censor, Coll. vel Aulæ C. D.

Testorque *L. M.*
N. O

fide sua data huic Universitati declarasse, se non habere beneficium vel beneficia Ecclesiastica ad valorem quadraginta librarum, aut alios reditus Ecclesiasticos, vel Civiles, sive in terris, sive in pecuniis, ad valorem trecentarum librarum, per annum; exceptis proventibus Academicis.

A. B. Decanus, vel Censor, Coll. vel Aul. C. D.

Quod si sacris ordinibus initiatus non commorans fuerit, qui Gradum in aliqua e superioribus Facultatibus ambit, nemo gratiam hujusmodi, sub pœna perjurii, proponere præsumat, nisi prius literas testimoniales ab Episcopo Diœceseos, ubi degit candidatus, signatas, de conformitate ipsius tum quoad doctrinam, tum quoad disciplinam in Ecclesia Anglicana receptam, palam in Domo Congregationis recitaverit. Ac postmodo e schedula quadam, formam sive tenorem gratiæ continente, supplicantis

nomen, necnon Collegii sive Aulæ, unde fuerit, exprimet. Et si non graduatus fuerit, cujus gratia proponitur, quod per integrum tempus ad talem Gradum per Statuta requisitum, in eo Collegio vel Aula, (vel alio quopiam,) non in domo privata cujusquam victitaverit, et hospitatus fuerit.

Item, quod plures gratiæ simul, seu confuse, eodem tempore non proponantur: sed uniuscujusque personæ supplicantis nomen et prænomen distincte ac divisim recitentur.

Item, quod eadem gratia sæpius in eadem Congregatione non proponatur.

Item quod gratia sit vera, hoc est, vera intentione, et non animo deludendi, prolata vel petita. Et quod, proximis quibusque et immediate sequentibus Congregationibus, supplicationem sub eadem forma continuet, donec gratia concessa vel denegata penitus fuerit. Et postremo, quod in singulis Congregationibus quota vice, prima, secunda, tertia, quartave supplicetur, publice recenseat.

§. 3. *Formula generalis petendi gratias.*

CONSUETUDO etiam est, quod Magister, pro alicujus gratia vel dispensatione supplicans, in medium prodeat: et facta debita coram Cancellario et Procuratoribus reverentia, petitionem suam e schedula recitet; inque eodem loco stans permaneat, quoad, quid de petitione sua factum fuerit, intelligat: recitata autem sive proposita supplicatione, Procuratores, a sellis exsurgentes, primo Cancellarii votum conjunctim perscrutentur, quo secreto in eorum aures, vel per aliquod signum externum, deposito, mox a se invicem divisi, ad alios Doctores (si qui adfuerint) utrinque Cancellario assidentes, se conferant, eorum itidem suffragia excepturi. Et deinceps aliorum Magistrorum, ad utramque domus partem considentium, vota singulatim et accurate exquirent. Quibus peractis, Procuratores ad loca sua revertantur, ubi stantes, de scrutinio hujusmodi inter se diligenter conferant; et pro numero sive ratione suffragiorum, in verbo *pla-*

cet, vel *non placet*, per eosdem exceptorum, eandem gratiam sive dispensationem, Procuratorum alter concessam (si concessa fuerit) pronunciet, vel (non concessam) ante quartam vicem, silentio tantum indicet; quarta autem vice, si non concessa fuerit, palam pronuncietur negata. Magister autem supplicans ad locum suum, unde prius prodierat, se recipiat.

§. 4. *Formulæ speciales Gratiarum ad singulos Gradus pertinentium.*

Pro Baccalaureo in Artibus.

SUPPLICAT Venerabili Congregationi Doctorum et Magistrorum Regentium A. B. Scholaris Facultatis Artium e Collegio C. in quo (*vel, si tempus non in uno aliquo Collegio vel Aula compleverit*, in quo partim, partim in Collegio vel Aula A.) non in domo aliqua privata, per integrum tempus ad Gradum Baccalaurei in Artibus per Statuta requisitum, ipsum cubile et victum continue sumpsisse scio, quatenus 16 Terminos in studio Dialecticæ et aliarum Artium juxta Statuta posuerit; publicos Artium Prælectores diligenter audiverit; Sophista Generalis habitus fuerit; Examen Publicum pro Gradu subierit; et reliqua compleverit omnia, quæ per Statuta Universitatis requiruntur; ut hæc sibi sufficiant, quo admittatur ad lectionem cujuslibet libri Logices Aristotelis, et insuper earum Artium, quas et quatenus, per Statuta tenetur audivisse.

Si plures fuerint, tunc supplicant sub eadem forma, (primo, vel secundo, &c. B. C. &c.) His verbis ab unoquoque Magistro post Seniorem pro alicujus gratia supplicante adhibitis: "Quem "omnia quæ per Statuta requiruntur complevisse scio."

Cauto semper, quod si quis pro eodem gradu sub diversa forma supplicet (sive fuerit privilegiatus sive alia quacunque de causa) hujus gratia (si fieri possit) ante aliorum supplicantium gratias recitetur.

Si sit filius Baronis, in superiori Parliamenti Domo suffragii

jus habentis; (sive etiam Baron. fil. e gente Scotica vel Hibernica) aut Baronetti, vel Equitis Aurati filius natu maximus, &c. supplicat &c. A. B. filius &c. Scholaris Facultatis Artium &c. e Coll. C. &c. quatenus duodecim terminos in studio, &c. *ut supra.*

Si quis super aliquo dispensabili per Domum Congregationis dispensationem obtinuerit, supplicat &c. *ut supra.* Et reliqua compleverit omnia, quæ per Statuta Universitatis requiruntur, nisi quatenus cum eo dispensatum fuerit, &c.

Pro Gradu Inceptoris in Artibus.

Supplicat, &c. A. B. Baccalaureus Facultatis Artium ex Aula A. quatenus 12 Terminos in studio Philosophiæ et aliarum Artium juxta Statuta posuerit; publicos Lectores diligenter audiverit; in Quadragesima determinaverit; reliquaque compleverit omnia, quæ per Statuta requiruntur; ut hæc sibi sufficiant, quo admittatur ad incipiendum in eadem Facultate.

Pro Gradu Baccalaurei in Musica.

Supplicat, &c. A. B. Scholaris in Musica, e Collegio L. quatenus 7 annos in studio vel praxi Musices posuerit, et unum Canticum 5 partium in Schola Musices ediderit; et reliqua præstiterit, quæ per Statuta requiruntur (nisi quatenus cum eo dispensatum fuerit) ut hæc sibi sufficiant, quo admittatur ad lectionem cujuslibet libri Boethii.

Pro Gradu Inceptoris in Musica.

Supplicat, &c. A. B. Baccalaureus Musicæ, quatenus a tempore suscepti Gradus Baccalaureatus sui, 5 annos in studio vel praxi Musices posuerit; unum Canticum 6 vel 8 partium in Schola Musices ediderit; et cætera præstiterit omnia, quæ per Statuta requiruntur, (nisi quatenus cum eo dispensatum fuerit) ut hæc sibi sufficiant, quo admittatur ad incipiendum in eadem Facultate.

Pro Gradu Baccalaurei in Medicina.

Supplicat, &c. A. B. Magister Facultatis Artium, e Coll. M. &c. quatenus annum integrum a suscepto Magisterii Gradu in studio Medicinæ posuerit; publicum Prælectorem diligenter audiverit; in Schola Medicinæ pro forma responderit, et opposuerit; et reliqua omnia præstiterit, quæ per Statuta requiruntur, (nisi quatenus secum dispensatum fuerit) ut hæc sibi sufficiant, quo admittatur ad lectionem cujuslibet libri Aphorismorum Hippocratis.

Pro Gradu Inceptoris in Medicina.

Supplicat, &c. A. B. Medicinæ Baccalaureus, e Collegio N. quatenus post susceptum Gradum Baccalaurei in Medicina, tres annos in studio Medicinæ posuerit; publicum Prælectorem diligenter audiverit; Prælectiones in Schola Medicinæ pro forma habuerit; et reliqua omnia præstiterit, quæ per Statuta requiruntur, (nisi quatenus &c.) ut hæc sibi sufficiant ad incipiendum in eadem Facultate.

Pro Gradu Baccalaurei Juris Civilis.

Supplicat, &c. A. B. Magister Facultatis Artium, e Collegio O. quatenus tres annos a tempore admissionis suæ ad regendum, in studio Juris Civilis posuerit; publicum Professorem diligenter audiverit; in Schola Jurisprudentiæ pro forma semel responderit, et bis opposuerit; et reliqua præstiterit omnia, quæ per Statuta requiruntur; ut hæc sibi sufficiant, quo admittatur ad lectionem cujuslibet libri Institutionum Imperialium.

Si non inceperit in Artibus, nec per Statuta Collegii sui Juris studio deputatus fuerit.

Supplicat, &c. A. B. Scholaris in Facultate Juris ex Aula A. in qua, non in domo aliqua privata, per integrum tempus ad Gradum Baccalaurei in Jure Civili, per Statuta requisitum, ipsum cubile et victum continue sumpsisse scio; [*vel, si tempus*

non in uno aliquo Collegio vel Aula compleverit, in qua partim, partim in Collegio vel Aula A.] quatenus, post biennium positum in studio Dialecticæ, Moralis Philosophiæ, et Politicæ, aliarumque humaniorum Literarum, et in audiendis lecturis sibi per Statuta Universitatis destinatis, quinque annos in studio Juris Civilis posuerit; &c. *ut supra.*

Si non inceperit in Artibus, et per Statuta Collegii sui, statim a primo ad Academiam adventu, Juris studio deputatus fuerit.

Supplicat, &c. A. B. Scholaris in Facultate Juris e Collegio M. quatenus lecturas sibi per Statuta Universitatis destinatas diligenter audiverit; quinque annos in studio Juris Civilis posuerit; publicum Professorem &c. *ut supra.*

Pro Gradu Inceptoris in Jure Civili.

Supplicat, &c. B. C. Baccalaureus in Jure Civili e Collegio M. quatenus, a suscepto Baccalaureatus Gradu, quatuor annos in studio Juris Civilis posuerit; publicum Prælectorem diligenter audiverit; lectiones pro forma in Schola Jurisprudentiæ habuerit; reliquaque præstiterit omnia, quæ per Statuta requiruntur; ut hæc sibi sufficiant, quo admittatur ad incipiendum in eadem Facultate.

Si non inceperit in Artibus, priusquam Baccalaureus in Jure foret.

Supplicat, &c. B. C. Baccalaureus in Jure Civili e Collegio N. quatenus &c. quinque annos in studio Juris Civilis, &c.

Pro Gradu Baccalaurei in S. Theologia.

Supplicat, &c. A. B. Magister Facultatis Artium e Collegio T. quatenus septem annos a tempore admissionis suæ ad regendum in studio S. Theologiæ posuerit; publicum Professorem diligenter audiverit; in Schola Theologica pro forma semel responderit, et bis opposuerit; concionem Latinam pro forma ha-

buerit; et reliqua præstiterit omnia, quæ per Statuta requiruntur; ut hæc sibi sufficiant, quo admittatur ad lectionem alicujus Epistolarum Divi Pauli.

Pro Gradu Inceptoris in S. Theologia.

Supplicat, &c. A. B. Sacræ Theologiæ Baccalaureus e Collegio E. quatenus, a suscepto Baccalaureatus Gradu in S. Theologia, quatuor annos integros in eadem Facultate posuerit; publicum Prælectorem diligenter audiverit; in Schola Theologica pro forma sex solennes lectiones, vel tres ad minimum cursorias, habuerit; et reliqua præstiterit omnia, quæ per Statuta requiruntur; ut hæc sibi sufficiant, quo admittatur ad incipiendum in eadem Facultate.

Si in aliqua Facultate quis Gradum Baccalaurei et Doctoris cumulare cupit.

Supplicat, &c. A. B. quatenus—annos in studio—posuerit; pro Gradibus cumulandis, secum per venerabilem Domum Convocationis dispensatum fuerit; gratiam ad lectiones pro forma habendas in hac venerabili Domo adeptus sit; pro forma in Schola—legerit; cæteraque omnia compleverit, quæ per Statuta requiruntur; ut hæc sibi sufficiant, quo—&c.

§. 5. *De gratiis simpliciter concedendis vel negandis.*

QUONIAM factiosi homines nonnunquam, spreta jurisjurandi religione, conjurant inter se adversus supplicantes, quos vitæ ac eruditionis merita commendant; nec iis gratias concedere volunt, nisi indignis etiam eadem gratia fiat; statutum est, quod quilibet Regens, gratiam concessurus vel negaturus, absque comparatione vel relatione gratiæ ad gratiam, et absque aliqua conditione interposita, simpliciter et absolute, eandem vel concedat, vel deneget: quod si quis secus fecerit, illius votum vel suffragium pro nullo habeatur.

Si quis autem pro gratia concedenda munus aliquod exegisse,

vel recepisse, (mediate vel immediate) convictus fuerit, a Domo Congregationis perpetuo sit exclusus: et duplum illius, quod sic receperit vel exegerit, ad usum Universitatis solvere teneatur.

§. 6. *De suffragiis, in concedendis vel negandis gratiis, non revelandis.*

STATUTUM est, quod Magister quilibet in gratia concedenda vel deneganda, suffragium suum Procuratoris auri insusurrabit, ita ut alius nemo exaudiat; quodque nec verbo, nutu, vel signo, quo illius propositum aliis innotescat, indicium faciat; nec cuiquam antea vel postea denunciet, sub pœna, si secus fecerit, exclusionis perpetuæ a Domo Congregationis.

Quodque Procuratores, neminem, qui gratiam concesserit vel denegaverit, quoquo modo revelare, virtute juramenti teneantur.

§. 7. *De causa gratiæ ter negatæ ostendenda, statim post tertiam Congregationem finitam.*

CUM vetera statuta singulis Magistris Regentibus eam concedant libertatem, ut quivis, si modo velit, pro arbitrio suo, ter cujusquam gratiam, suspendendo, denegare possit; ordinatum est, quod, quotiescunque gratia aliqua tertio petita, vel ab uno, vel a pluribus denegabitur, denegationis causa Vice-Cancellario et Procuratoribus eodem die ostendetur; et probationes coram eisdem summarie proferentur; quæ causa, et probatio ejusdem, celato nomine objicientis, in proxima Congregatione publicabitur; et, si Vice-Cancellario, Procuratoribus, et majori parti Regentium justa videbitur, tum gratia denegata censebitur; et qui supplicavit, per annum integrum ad denuo supplicandum inhabilis reddetur.

Quod si causa allegata minus justa aut probabilis videatur, gratia quarto proposita pro concessa habeatur, nisi Vice-Cancellario, aut Procuratoribus, aut majori parti Regentium videbitur, aliam ob causam, deneganda.

§. 8. *Formula pronunciandi Gratias concessas.*

STATUTUM est, quod, cum alicujus gratia concessa fuerit, schedula, ex qua petebatur, in manus alterius Procuratoris (cui gratiam concessam pronunciare incumbet) ab eo qui petiit tradita, Procurator loco suo stans, gratiam concessam sub hac forma pronunciet: *Hæc gratia concessa est simpliciter, et sic pronunciamus concessam.*

Quod si sit pro Baccalaureo in Artibus, *Pronunciamus concessam, modo determinaverit proxima Quadragesima:* nisi ex speciali aliqua ratione, gratiam concessam simpliciter, Procuratori pronunciare videbitur.

Si sit gratia Inceptoris in qualibet Facultate, *Pronunciamus concessam, modo steterit in proximis Comitiis.*

Si fuerit gratia Inceptoris in Musica, *Pronunciamus concessam, modo steterit in proximis Comitiis, et unum canticum* 6 *vel* 8 *partium, in iisdem Comitiis exhibuerit.*

Si sit gratia licentiandi ad praxin Chirurgiæ, *Pronunciamus concessam, modo quatuor saltem pauperes gratis et intuitu charitatis curet, cum ad hoc ab iis fuerit requisitus.*

SECTIO VI.

De Juramentis Præsentandorum.

§. 1. *Statuta, in quæ singulos Præsentatos Jurejurando adiget Junior Procurator. Et admonitio de habitu Gradui competente.* Corpus Stat. p. 95. Addenda pp. 143. 235.

POST absolutam præsentationem, Procurator Junior a seniore inter præsentatos ad genua sua accidente, reliquis circumstantibus audientibusque, juramentum exiget in hæc verba:

" (Domine, Doctor, Magister, vel Domine,) *tu dabis fidem* ad
" observandum Statuta, Privilegia, Consuetudines, et Libertates
" istius Universitatis. *Resp.* Do.

" *Jurabis etiam*, quod pacem istius Universitatis per te non " perturbabis, nec per alium vel alios qualitercunque perturbari " procurabis; nec perturbatorem vel perturbatores aliquem vel " aliquos, in perturbatione pacis ope vel consilio juvabis; nec " impedies per te, vel per alium, vel alios, quo minus de pacis " perturbatore vel perturbatoribus fiat justitia." *Resp.* Juro.

Item specialiter tu *jurabis* quod inter nullas communitates, vel personas istius Universitatis, impedies pacem, concordiam, et amorem. Et si aliqua dissensio inter aliquas communitates vel personas exorta fuerit, illam nullo modo fovebis, vel accendes; nec conventiculis interesse debes, nec eis tacite vel expresse consentire, sed ea potius, modis quibus poteris, impedire.

Forma juramenti admittendorum ad publicam Bibliothecam.

Tu etiam *promittes*, sancteque coram Deo Optimo Maximo recipies, quod, quoties in publicam Academiæ Bibliothecam venire te contigerit, animum ad studia per modestiam et silentium accommodabis; libros, cæterumque cultum sic tractabis, ut superesse quam diutissime possint. Item, quod neque tu in persona tua aliquem vel aliquos libros surripies, permutabis, rades, deformabis, lacerabis, scindes, annotabis, interscribes, sponte corrumpes, obliterabis, contaminabis, aut alio quocunque modo detruncabis, abuteris, deteres, aut imminues; nec alii cuiquam auctor eris horum quidvis perpetrandi; sed, quantum in te est, delinquentem vel delinquentes impedies, ipsorumque maleficia Vice-Cancellario, ejusve Deputato, intra triduum postquam tibi innotuerint, denunciabis: *Ita te Deus adjuvet tactis sacrosanctis Christi Evangeliis.*

Lectis singulis jurisjurandi articulis, Procurator seniorem inter præsentatos juramento hoc modo onerabit:

" Hæc omnia prædicta te fideliter observaturum *promittes*, sic- " ut Deus te adjuvet, per Jesum Christum hoc sacrosancto Evan- " gelio annunciatum."

Deinde librum deosculandum exhibebit; quæsitoque senioris

nomine, si plures præsententur, quinque vel sex eorum manus simul libro imponentibus, iisdem dicet:

" *Idem juramentum,* quod præstitit A. B. in persona sua, vos " præstabitis in personis vestris, et quilibet vestrum in persona " sua, sicut Deus vos adjuvet, &c."

Admonitio pro habitu Gradui competente.

Præstito demum a singulis juramento, Procurator singulis etiam sic denunciabit: *Item* (*tu teneris*) vel (*vos tenemini*) *quod sis habiturus* "vel *sitis habituri*, intra quindenam, habitum de proprio, " Gradui competentem; et ipsum vel similem servabis, quamdiu " in Universitate contigerit te morari; ad effectum, ut non solum " in eo actus Scholasticos possis exercere; verum etiam Univer- " sitatem Matrem nostram, in processionibus, et aliis Universi- " tatis negotiis, (cum vocatus et præmonitus fueris) cum eodem " valeas honorare; idque sub pœnis in Statutis Universitatis li- " mitatis."

[Placuit Universitati abrogare Paragraphos §. 2 et §. 3, Sect. VI. Tit. IX. et in eorum locum hunc paragraphum subrogare.] Corpus Stat. p. 97. Addenda pp. 190. 235.

§. 2. *De juramentis Primatus Regii, et Fidelitatis, a singulis præsentatis exigendis.*

EXACTIS præstitisque coram Juniore Procuratore Juramentis, ad Seniorem Procuratorem se conferent Præsentati; quorum Senior Juramentum Primatus regii clara voce (ut ab omnibus aliis audiatur) publice leget; et Evangelium a Procuratore exporrectum osculabitur; et post eum, alii quotquot eodem die præsententur: et postremo, eodem Juramentum Fidelitatis sive Allegiantiæ præeunte, distincte alii omnes verbatim recitabunt: et in confirmationem Juramenti, omnes ordine librum deosculabuntur.

[Placuit quoque Universitati Sectionem VII. Tit. IX. abrogare, et in ejus locum hanc Sectionem subrogare.]

SECTIO VII.

Corpus Stat. p. 105. Addenda pp. 106. 236.

De creatione et licentiatione præsentati per Vice-Cancellarium peragenda.

Præstitis ab omnibus præsentatis coram Seniore Procuratore juramentis, tum, si præsententur ad Gradum Baccalaurei in Artibus, omnibus ad præsentatorem redeuntibus, et juxta ipsum coram Vice-Cancellario consistentibus, Vice-Cancellarius dicet, "Domine, (*vel Domini si plures fuerint*,) ego admitto te (*vel vos*) "ad lectionem cujuslibet libri Logices Aristotelis; et insuper "earum Artium, quas et quatenus per Statuta audivisse teneris "(*vel tenemini*); insuper autoritate mea et totius Universitatis, "do tibi (*vel vobis*) potestatem intrandi Scholas, legendi, dispu- "tandi, et reliqua omnia faciendi, quæ ad Gradum Baccalaurei "in Artibus spectant."

Si fuerit Baccalaureus Juris Civilis; "Domine vel Magister "(*vel Domini aut Magistri, si plures fuerint*) ego admitto te (*vel* "*vos*) ad lectionem Institutionum Imperialium."

Si Medicinæ Baccalaureus fuerit; "Magister (*vel Magistri, si* "*plures fuerint*) ego admitto te (*vel vos*) ad lectionem Aphoris- "morum Hippocratis."

Si denique S. Theologiæ Baccalaureus fuerit; "Magister (*vel* "*Magistri, si plures fuerint*) ego admitto te (*vel vos*) ad lectionem "Epistolarum B. Pauli."

Si vero præsententur ad incipiendum in aliqua Facultate, iisdem in genua ad pedes Domini Vice-Cancellarii provolutis, et manus libro admoventibus, Vice-Cancellarius dicet: "Domine "Doctor, Magister, vel Domine, (*vel Domini Doctores, si plures* "*fuerint, vel Magistri vel Domini*,) tu dabis, (*vel vos dabitis*,)

" fidem ad observandum Statuta, Privilegia, Consuetudines, et " Libertates hujus Universitatis." *Resp.* Do.

Deinde, Vice-Cancellarius, librum capitibus ipsorum imponens, dicet: "Ad honorem Domini nostri Jesu Christi, et ad " profectum Sacro-sanctæ Matris Ecclesiæ et studii, ego autori-" tate mea et totius Universitatis do tibi (*vel vobis*) licentiam inci-" piendi in Facultate Artium (vel Facultate Juris, Medicinæ, " Theologiæ) legendi, disputandi, et cætera omnia faciendi, quæ " ad statum Doctoris seu Magistri in eadem Facultate pertinent, " cum ea compleveris (*vel compleveritis*) quæ ad talem pertinent " solennitatem; in nomine Domini, Patris, Filii, et Spiritus " Sancti;" hæc postrema dum pronunciat, debita cum reverentia, caput aperiendo.

Quibus sic peractis, et facta per candidatos reverentia Domino Vice-Cancellario, Procuratoribus et Magistris Regentibus (Bedello et præsentatore præeuntibus) eodem ordine Domo egredientur, quo ingressi sunt; et extra cancellos Domus habitum, competentem Gradui ad quem admissi sunt, induentes, illico (Bedello et præsentatore præeuntibus) in Domum redibunt: et præstita Domino Vice-Cancellario, Procuratoribus, et Magistris Regentibus reverentia debita, seniore reliquis præcedente (aliter atque accesserunt) discedent.

De Statutis his rogandis consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die vicesimo octavo mensis Aprilis; relata sunt in Domo Congregationis die secundo mensis Maii, juxta statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicata et confirmata sunt die sexto mensis Maii Anno Domini 1828.

TITULUS IX.

SECTIO VIII.

DE INCORPORATIONE.

§. 1. *De incorporandis Studiosis, ab aliis Academiis huc adventantibus.*

CUM Universitas Oxoniensis a Cantabrigiensi et ab Academiis exteris, per totum pene Terrarum Orbem, adventantes, (modo alienigenæ sint, nec intra regnum Angliæ sedem figere meditentur) eodem affectu recipere amplectique consuescat, quo suos in Academia Cantabrigiensi exterisque Gymnasiis recipi perspexerit; id quo facilius fieri possit, Domui Congregationis eos, qui incorporari gestiunt, incorporandi potestatem permittit. Per alienigenas vero hic non intelligimus natos intra regnum Scotiæ aut Hiberniæ: quibus incorporari permittitur, si tempore in Academia sua requisito, et præstitis prius Exercitiis, Gradus susceperint. Corpus Stat. p. 108

Proviso semper ut nemini sive Graduato, sive nondum Graduato, huc migranti, tempus apud aliam Academiam gradibus capessendis præstitutum computare liceat, nisi qui, intra 21 dies in pleno Termino post matriculationem suam, literis Certificatoriis publice recitatis Domum Congregationis certiorem fecerit, se per Terminos illos quorum computum haberi velit, juxta hujus Universitatis vel Cantabrigiensis statuta et consuetudines intra Academiæ suæ limites bona fide commoratum esse.

Solet vero is, qui incorporari cupit, per aliquem e Magistris (recitatis prius publice in Domo Congregationis Literis Certificatoriis et Testimonio sub sigillo Universitatis in qua Gradum suscepit, non aliter;) Gratiam suam sub hujusmodi formula proponere. " Supplicat A. N. Baccalaureus vel Magister Facultatis " Artium in Academia (A. B. C.) creatus, ut bona vestra cum

" venia admittatur ad eundem Gradum, Statum, et Dignitatem " apud Oxonienses, quibus ornatus est apud suos (A. B. C.)"

Qua quidem Gratia sic petita, et eodem modo, quo alias fieri consuevit, pronunciata; Præsentatio Incorporandi ad hunc modum sequitur:

" Insignissime &c. Præsento vobis hunc Magistrum Facultatis " Artium in Academia (A. B. C.) creatum, ut sit eodem Gradu, " Statu, et Dignitate apud nos Oxonienses, quibus ornatus est " apud suos (A. B. C.)" Et post Præsentationem, Juramentum istiusmodi ab altero Procuratorum ei deferetur:

" Magister tu dabis fidem, ad observandum Statuta, Privilegia, " Consuetudines, et Libertates istius Universitatis, quatenus Sta-" tutis, et Privilegiis, Consuetudinibus, et Libertatibus Universi-" tatis (A. B. C.) non repugnant."

Denique a Vice-Cancellario sic admittetur: " Magister, ego " admitto te ad eundem Statum, Gradum, et Dignitatem hic " apud nos Oxonienses, quibus ornatus es apud tuos (A. B. C.)"

Eadem quoque Gratiæ, Præsentationis, Juramenti et Admissionis, formula, mutatis mutandis, adhibenda est, cum aliquis nondum Graduatus Terminorum apud aliam Academiam rationem sibi apud nos Oxonienses imputandam velit.

Cautum tamen est, quod nullus in S. Theologia, Medicina, vel Jure Civili Doctor incorporetur, nisi de expresso consensu Vice-Cancellarii, Professoris, et trium insuper Doctorum in eadem Facultate, et Procuratorum; vel majoris partis eorundem.

De statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die undecimo mensis Maii: relatum est in Domo Congregationis die decimo quarto mensis Maii juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo octavo ejusdem mensis Maii, Anno Domini, 1829.

Supplementum ad Statutum Tit. XIX. "De Feodis "ad Universitatem, Officiarios, et Servientes "pertinentibus."

COLLECTIS, denique, vel Procuratorum vel Bedellorum opera, omnibus Feodis ad Universitatem spectantibus, in Cista quidem Academica reponantur ea, quæ hactenus Bedellorum, et Clerici sive Æditui Universitatis propria sunt habita, et, eorum vice, posthac annuatim percipiant Bedelli Superiores integram quisque summam Ducentarum et Quinquaginta Librarum, et Bedelli Inferiores integram quisque summam Centum Librarum, Clericus autem sive Æedituus Universitatis integram Centum et Viginti Librarum summam, a Vice-Cancellario post finitum quemque Terminum æqualibus portionibus dinumerandam.—Proviso tamen, quod hæc ratio Bedellorum remunerandorum, non nisi post vacationem officii per Bedellos anno 1823 existentes prout respective contigerit, effectum habeat. Corpus Stat. p. 183. Addenda p. 212.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die secundo mensis Novembris: relatum est in Domo Congregationis die quarto mensis Novembris; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die septimo ejusdem mensis Novembris, Anno Domini, 1829.

TITULUS IX.

SECTIO II.

DE EXAMINANDIS GRADUUM CANDIDATIS PER MAGISTROS NECESSARIO REGENTES.

§. 1. *De Examinatoribus designandis, et juramento onerandis, per Seniorem Procuratorem.* Corpus Statutorum p. 71. Addenda pp. 115. 157. 185. 198. 213. 227.

QUO innotescat certius Congregationi Regentium eruditio et in bonis literis progressus eorum qui primum sibi Gradum, sive in Artibus, sive in Jure Civili, petunt; Statutum est, quod unusquisque nondum Graduatus, antequam ad supplicandum pro Gratia admittatur, examen subeat.

Compluribus autem de causis, præsertim in hac juvenum Academicorum frequentia, unde plus æquo et curæ et laboris, cum gravi temporis dispendio, Examinatoribus imponi vidimus, placuit Academiæ Statuta de ista re A. D. 1825 et A. D. 1826 condita abrogare, et præsens Statutum in eorum locum subrogare.

In posterum septem sunto Examinatores Publici, quorum omnium et singulorum munus erit Candidatos qui primum sibi Gradum sive in Artibus, sive in Jure Civili petunt, in Literis Humanioribus examinare. Qui tamen Examinatores, ut de uberiore Candidatorum quorundam tum in Literis Humanioribus, tum in Disciplinis Mathematicis et Physicis profectu exactior fiat perscrutatio, in duas tandem Scholas distribuendi sunt; quatuor scilicet in Scholam Literarum Humaniorum, tres itidem in Scholam Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum. Hi vero Examinatores Publici sint ex eorum numero qui vel aliquando in Artibus inceperint, vel Baccalaureatu saltem in Jure Civili insigniti fuerint, per Vice-Cancellarium et utrumque Procuratorem, ex ipsorum consensu, nominandi, et deinceps a

Venerabili Domo Convocationis pariter ac Congregationis approbandi; ita ut prima nominatio penes Vice-Cancellarium sit, secunda penes Procuratorem Seniorem, tertia penes Procuratorem Juniorem; et hic ordo nominationum in perpetuum servetur. Et ut omnia in hoc negotio cautius fiant et integrius, ista nominatio primum quidem in Congregatione Domui significetur; deinde in proxima Congregatione Examinatorum Nomina sigillatim suffragiis Regentium permittantur; et tandem post tres dies in frequenti Convocatione, eodem modo, a Domo approbanda demum, seu improbanda, proponantur. Cauto semper, quod hæc Examinatorum designatio ita fiat, ut duo Examinatores ex eodem Collegio, vel Aula, nunquam in eadem Schola simul existant.

Ex hisce Examinatoribus officio suo cedant quotannis duo in Schola Literarum Humaniorum; in Schola autem Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum alternatim vel unus vel duo, prout res exegerit, ii nempe qui priores ad officium suum nominati fuerint; ita ut e numero septenario cuique Examinatori post exactum biennium officii sui sit terminus. Subrogentur autem in eorum locum tot alii quot ad numerum septenarium explendum sufficiant, a Vice-Cancellario et Procuratoribus, modo et ordine supra definitis, nominandi, et sub forma etiam supra definita a Venerabili Domo Convocationis pariter et Congregationis approbandi.

Proviso semper, quod nemo, qui Examinatoris officio per bennium integrum functus fuerit, eodem officio in eadem Schola, nisi post annum elapsum, iterum fungatur.

In proximo tamen post statutum hocce conditum anno, donec eo res processerit ut Examinatores suo quisque ordine vicissim cedant, junioris erit loco cedere, nisi aliter Examinatores inter se statuant.

Examinatores singuli, si modo in Artibus vel in Jure Civili inceperint, intra Scholarum præcinctus, singulis diebus Examinationis, Procuratoribus absentibus, Procuratoria auctoritate muniantur, atque insuper durante officio suo (sicut Magistri Scho-

larum) sint Regentes ad placitum. Omnes autem et singuli in Domo Congregationis, antequam munus suum ineant, per Seniorem Procuratorem juramento onerentur, in hæc verba;

Domine Doctor, vel *Magister*, vel *Domine, tu jurabis, quod munus et officium Examinatoris Publici sedulo et fideliter pro virili exequêris, forma et modo per Statuta requisitis.* Resp. *Juro.*

Item tu jurabis, quod, sepositis omni odio et amicitia, timore et spe, neque indigno cuivis testimonium perhibebis, neque digno denegabis, et quod in Schedula Candidatorum ordinanda classem unicuique secundum merita sua assignabis, et neque indignum aliquem admittes, neque dignum repudiabis. Resp. *Juro.*

Item tu jurabis, quod nullo modo revelabis suffragium quod vel ipse tuleris, vel alius quivis Examinator tulerit, in judicio de Candidatorum meritis pronunciando. Resp. *Juro.*

§. 2. *De* EXAMINATIONIBUS *habendis, et de Candidatorum admissione.*

EXAMINATIONIBUS habendis assignentur Terminus Michaelis et Terminus Paschatis, a secundo scilicet die mensis Novembris, et a die Veneris Dominicam secundam post Festum Paschatis proxime sequente, respective inchoandis. Quod si forte initium alicujus EXAMINATIONIS in diem festum inciderit, inchoatio ejusdem in diem immediate sequentem differatur.

Qui autem in alterutro horum Terminorum examen subituri sunt, nomina sua vel per se, vel per Tutores suos, coram Procuratore Seniore profiteantur, in Registro peculiari penes Procuratorem Seniorem asservato, et in Terminos hosce rite distributo, inserenda: quo etiam tempore, tenebitur unusquisque Candidatus Schedulam chirographo suo munitam rerum et librorum in quibus sese examinandum profitetur, Procuratoris in manus tradere; hac tamen lege, nequis serius quam sexto die ante EXAMINATIONEM inchoandam Procuratorem de his rebus adeat.

Proviso semper, quod nemini examen suum cedat pro forma, qui se examinandum sistet ante inchoatum a tempore Matricu-

lationis suæ quartum annum [1]; exceptis iis quibus indulget Academia, ut integro triennio in studiis Academicis completo ad Gradum promoveantur [2]. Hisce omnibus licebit post inchoatum tertium annum, a tempore Matriculationis suæ computandum, examen subire.

Nemo autem ad examen subeundum admittatur, nisi qui Quæstionibus Magistrorum Scholarum in Parviso pro forma responderit.

Nemo etiam ad examen subeundum admittatur, nisi qui uno die ad minimum EXAMINATIONI Publicæ per integrum tempus interfuerit: proviso tamen, quod Candidati honorem aliquem in Disciplinis Mathematicis et Physicis ambituri, Examinationi in Schola Mathematices interfuerint necesse sit. Et quo unumquemque huic Statuto satisfecisse liquido appareat, Examinationis cui interfuerit dies in registro quodam peculiari notetur; et Testimonium ei perhibeatur ab uno Examinatorum sub hac forma:

A. B. Examinationi Publicæ in Literis Humanioribus per integrum tempus interfuit.

(die mensis et anni) *Ita testor C. D. Examinator Publicus.*

Vel,

E. F. Examinationi Publicæ in Disciplinis Mathematicis et Physicis per integrum tempus interfuit.

(die mensis et anni) *Ita testor G. H. Examinator in Disciplinis Math. et Phys.*

Quod quidem Testimonium, atque insuper Testimonium RESPONSIONIS suæ in Parviso sub Chirographo duorum e Magistris Scholarum, quilibet Candidatus per se vel per Tutorem suum coram Seniore Procuratore teneatur exhibere, eo ipso tempore quo et nomen suum inter Candidatos profitetur; neque licebit

[1] Vide Tit. VI. Sect. VII. [2] Vide Tit. VI. Sect. I. §. 1.

Procuratori, Testimoniis istis non exhibitis, aliquem in Candidatorum numerum referre.

Procurator autem Senior, ubi tandem, modo supra præscripto, de iis omnibus, qui sese Candidatos in Termino aliquo profiteri velint, certior factus fuerit, tenetur statim nomina eorum in Schedulam referre, serie Alphabetica; deinde Schedulam istam Chirographo suo munitam et typis mandatam sub hoc titulo [*Nomina Examinandorum Termino A. D.*] ad Vice-Cancellarium, ad singulos Collegiorum et Aularum Præfectos, ad Procuratorem Juniorem, ad singulos Examinatores, et ad cujuslibet Collegii vel Aulæ Refectorium tam publicum quam privatum Magistrorum deferri, et ostiis etiam Bibliothecæ Bodleianæ, Scholæ Metaphysices, et Apodyterii Venerabilis Domus Convocationis affigi, curabit: quæ omnia ita agenda sunt, ut quatuor dies integri inter Schedulam hanc publici juris factam et EXAMINATIONEM inchoandam interjiciantur.

Et hæc Schedula Procuratoria, modo et forma præscriptis publicata, pro licentia, monitione, et notificatione generali, tam ab ipsis Examinatoribus, quam a Candidatis, habenda et accipienda est.

Insuper ad Examinatorem in Literis Humanioribus Seniorem Schedulas rerum et librorum, in quibus unusquisque Candidatus sese examinandum profitetur, Procurator Senior eodem tempore deferri curabit.

§. 3. *De Materie, Loco, Forma et Modo* EXAMINATIONIS. Addenda p. 227.

Instituatur EXAMINATIO in RUDIMENTIS RELIGIONIS, in LITERIS HUMANIORIBUS, et in MATHEMATICARUM SCIENTIARUM et PHYSICES ELEMENTIS.

Præ cæteris omnibus primum sibi locum vindicant RELIGIONIS RUDIMENTA. Meminerint Examinatores, et hanc sibi sanctam habeant juramenti sui interpretationem, defectum in hac re nullis aliis quibuscunque Candidatorum meritis compensari posse, ita ut qui in gravissima hac materie Examinatoribus non satisfecerit, nullum omnino Testimonium obtineat.

Adhibentor semper S. S. Evangelia Græca, e quibus locus aliquis Candidato interpretandus proponatur, et Quæstiones ex ista interpretatione oriundæ, necnon ex Historia tam Veteris quam Novi Testamenti, excutiantur.

Adhibentor etiam Doctrinæ Articuli in Synodo Londini anno 1562 editi; in quibus, juxta Academiæ Statuta, a Tutoribus instituendi sunt omnes qui illorum tutelæ committuntur[1]. De ipsis Dogmatibus breves sunto et dilucidæ Quæstiones; deinde ad locos S. S. Scripturæ provocetur, ex quibus Dogmati isti de quo agitur fides præcipue adstruenda sit.

Porro et Evidentiæ quas vocant, sive argumenta quibus innititur Religionis tam Naturalis quam Revelatæ veritas, ab hac Examinatione nequaquam alienæ censendæ sunt.

Per Literas vero Humaniores intelligimus, non tantum Linguas Græcam et Latinam, sed et Historias Græcam et Romanam, eas videlicet quæ antiquæ habentur, Rhetoricam quoque et Poeticam, Moralem insuper et Politicam Scientias, quatenus a Scriptoribus veteribus derivandæ sint, quas tamen aliquando, prout expedire videbitur, ex neotericorum scriptis illustrari permittimus. Dialecticam itidem hisce Literis adnumeramus; atque in eadem profectum laudabilem ad Classem primam, secundam, aut tertiam in Literis Humanioribus consequendam aliquid momenti habere volumus.

Adhibentor igitur tres ad minimum Scriptores Græci et Romani, melioris ævi et notæ.

Examinatoribus insuper explorandum incumbit, qua quisque polleat facultate animi sui sensa lingua Latina explicandi. Id quod explorare poterunt, porrecto aliquo libro, lingua vernacula conscripto, e quo oblatum quemcunque locum lingua Latina reddere Candidatus quisque tenetur; aut alio quocunque demum modo, quo sibi commodius satisfacturos Examinatores probabile sit.

Cæterum quod ad Literas Humaniores et Mathematicarum Scientiarum et Physices Elementa attinet, Examina-

[1] Vide Tit. III. §. 2.

toribus liberum esto quemlibet Candidatum vel in hisce universis, vel in aliqua parte horum, (prout ipsis satius visum fuerit,) examinare; modo ut tres isti Scriptores Græci et Romani semper adhibeantur. Proviso insuper, quoad Candidatos omnes Classem primam, secundam, aut tertiam, vel in Literis Humanioribus vel in Disciplinis Mathematicis et Physicis ambientes, ut Dialecticæ ratio nunquam non habeatur. Quod ad cæteros attinet, Examinatoribus liberum esto Candidatum quemlibet vel in Dialectica, vel in quatuor ad minimum Euclidis Geometriæ libris, examinare.

Nihil vero triste aut asperum molimur. Lenitati ubique consultum volumus, modo ne ea sit, quæ Juniorum socordiæ patrocinari videatur. Nemo igitur non dignus testimonio habeatur qui in materie Examinationis modo præscripta satisfecerit Examinatoribus. Meminerint tamen Examinatores quod nemini cujuslibet rei causa, vel perhibeant vel denegent testimonium, nisi in quantum profectus sui tum in Religionis Rudimentis, tum in Literis Humanioribus documenta inter ipsum Examen præstiterit. Proviso semper quod non licebit cuivis Examinatori Candidatum aliquem ex eadem Domo ex qua sit ipse examinare.

Examinationibus habendis assignentur Schola Metaphysices et Schola Musices. Liceat tamen Vice-Cancellario et Procuratoribus cum consensu Ven. Domus Congregationis locum aliquem alium vel plures, si opus fuerit, assignare, modo de hac re Academiam triduo ante certiorem fecerint.

Postquam igitur Examinator in Literis Humanioribus Senior Schedulas istas rerum et librorum in quibus Candidatus unusquisque sese examinandum profitetur, a Procuratore Seniore acceperit, protinus reliquos Examinatores sibi adsciscat, quo facilius istarum Schedularum ratione habita, Candidati omnes in duplicem seriem referantur. In primam scilicet referantur ii, qui nullum, in alteram, qui aliquem locum in tribus Classibus superioribus in Schola Literarum Humaniorum ambire videantur. Quam quidem seriem duplicem, manu scriptam, Examinatorum

omnium chirographo munitam, et in Scholis adservandam inspiciendi Candidatis, si quando opus fuerit, facultas detur.

Terminis autem Michaelis et Paschatis, diebus supra præscriptis, hora decima matutina in Scholas publicas se conferant septem illi Examinatores, atque ibi, prout inter ipsos convenerit, tres in Schola Metaphysices, tres itidem in Schola Musices, de die in diem Examinationi continuam operam impendant. Qui superest Examinator, pro re nata, Candidatis, dum ab iis aliquid sit in scriptis præstandum, invigilet. Dein sex illi Examinatores, quorum tres in utraque Schola uniuscujusque diei Examinationi adesse volumus, Candidatos in primam seriem antehac relatos statim ad examen subeundum citent. Eo veruntamen et numero et ordine citatos examinent, quo, cum majore operæ compendio, se officio suo satisfacturos fore arbitrentur.

Inter examinandum vero si quis Candidatus ita sese commendet ut honore aliquo in Literis Humanioribus dignus esse videatur, idem, a tribus istis Examinatoribus in utravis Schola, vel statim in quartam Classem postea typis mandandam referatur; vel, si id velint Examinatores et consentiat ipse, cum cæteris in alteram seriem relatis ad amplius et honorificentius examen subeundum admittatur: sub eâ tamen lege, ut quæstionum jam antea ab illo enucleatarum ratio habeatur, et tandem, peracto illius examine, si laude insigniore parum dignus reperiatur, in quarta Classe locum omnino sibi vindicet.

Peracta demum eorum Examinatione qui in primam seriem fuerint relati, deinceps ad reliquos examinandos procedatur. Horum Examinationi quatuor illos in Literis Humanioribus Examinatores adesse atque operam impigram impendere volumus; nisi quis propter infirmiorem valetudinem, aut aliam causam perurgentem, a Vice-Cancellario et Procuratoribus absentiæ veniam sibi impetraverit.

Ad examen subeundum ordine priores citentur ii, qui sese in Schola Mathematices examinandos sistere velint; postea reliqui, eo verumtamen et numero et ordine, quo cum facilius tum ac-

curatius Examinatores cujusque ingenium et eruditionem se exploraturos et perspecturos judicent. Iisdem enim quæstionibus excutiendis, iisdem locis e Scriptoribus antiquis et nostratibus Græce, Latine, Anglice, pro rei ratione, reddendis, vel alio quocunque demum modo, Examinatoribus licebit complures simul pertentare. Et ut hæc Examinationis pars cautius et integrius peragatur, quæstiones istæ, et res, quæcunque in scriptis disserendæ Candidatis proponantur, omnium et singulorum Examinatorum si commode fieri poterit, judicio subjiciantur et approbentur. Quinetiam si propter loci angustias, vel quamcunque ob causam expedire videatur, Candidati ad scribendum in aliam Scholam seorsim transferantur, vel, si res aliter effici nequeat, cæteri Examinationis labores intermittantur. Candidatis vero inter scribendum unus saltem e septem Examinatoribus semper intersit et invigilet.

In omni Examinatione, quilibet Candidatus pridie ante ejus examen habendum chartis monitoriis Examinatoris chirographo munitis per Ædituum Universitatis citetur. Si vero quis ad examen subeundum nominatim citatus non responderit, nisi ex causa rationabili per Vice-Cancellarium approbanda, omni loco in Examinatione istius Termini privetur; neque ad aliam aliquam Examinationem tanquam Candidatus admittatur, nisi iterum coram Procuratore Seniore nomen suum professus fuerit; et citetur proximus Candidatus, sub eadem lege, et sic deinceps. Quod si Vice-Cancellarius causam aliquam absentiæ ratam habuerit, alius locus in Schedula pro arbitrio Examinatorum isti Candidato assignetur.

Candidati uniuscujusque examen a Religionis Rudimentis inchoatum, viva voce omnino, si fieri poterit, quatenus ad gravissimam hanc materiam attinet, peragendum est. Porro ita continuandum volumus examen, ut in iis etiam quæ supersint saluberrimus ille viva voce examinandi modus nunquam non obtineat.

Unoquoque autem die ubi visum fuerit Examinatoribus nullum alium Candidatum isto die examinare, palam declaret Exa-

minator Senior diem Examinationi continuandæ destinatum. Et post finitam uniuscujusque diei Examinationem alii omnes Schola excedant præter ipsos Examinatores, qui de Candidatis inter se judicium ferant, ac quemcunque dignum invenerint, ei Testimonium perhibeant sub hac forma:

A. B. [die mensis et anni] *examinatus prout Statuta requirunt, satisfecit nobis Examinatoribus.*

Ita testamur { C. D. / E. F. / G. H. } *Examinatores.*

vel

Ita testamur { I. K. / C. D. / L. M. / E. F. } *Examinatores in Literis Humanioribus.*

Quod si forte contingat aliquem hujusmodi Testimonio indignum reperiri, licebit tamen illi in sequente alicujus Termini Examinatione Candidatum se iterum profiteri.

Interea vero, statim post confectam in Literis Humanioribus Examinationem eorum qui in Disciplinis Mathematicis et Physicis honorem ambiant, Candidatorum omnium quorumcunque nomina, qui in Schola Mathematices honorem aliquem ambientes in Literis Humanioribus satisfecerint Examinatoribus, in novam Schedulam referantur. Quam quidem Schedulam Examinator in Literis Humanioribus Senior suo chirographo munitam ad Mathematicos Examinatores eodem die deferri curabit sub hoc titulo: *Nomina Examinandorum in Disciplinis Mathematicis et Physicis.*

Examinatores autem Mathematici, post Schedulam istam ad se delatam, diem publicæ Examinationi in istis disciplinis intra viginti et duos dies habendæ constituant. De eo autem Academiam certiorem faciant Schedula monitoria ad Collegiorum et Aularum Præfectos deferenda, et ad portam insuper Refectorii

vel Promptuarii cujusque Collegii et Aulæ affigenda, sub hac forma :

Examinatio Publica in Disciplinis Mathematicis et Physicis die habenda est.

A. B.
C. D. } *Examinatores in Disciplinis Mathematicis et Physicis.*
E. F.

Die autem constituto in locum Examinationi Mathematicæ assignatum se conferant Examinatores, ibique hujusmodi Candidatos modo præfinito pridie citatos pro re nata examinent, et post finitam uniuscujusque diei Examinationem de illorum meritis privatim inter se judicium ferant.

Tres Examinatores Mathematicos uniuscujusque Candidati examini omnino operam impigram impendere volumus; Statuimus etiam, quod in his quoque disciplinis Examinatio non in scriptis solummodo, sed, quantum commode fieri poterit, viva voce agatur. Si vero post examen viva voce peractum, supersit aliquod scriptis a quolibet Candidato præstandum, unus ex his Examinatoribus (absentiæ vicibus juxta Senioritatem, nisi aliter ipsis visum fuerit, inter se constitutis) in Schola semper adesse teneatur.

Quod si quis e tribus Examinatoribus Mathematicis propter infirmiorem valetudinem aut aliam causam perurgentem, a Vice-Cancellario et Procuratoribus absentiæ veniam sibi impetraverit, alius ex nominatione Vice-Cancellarii et Procuratorum a Ven. Domo Convocationis approbandus pro hac vice in illius locum substituatur. Nemini tamen istiusmodi venia ultra unam Examinationem prorogetur.

Liceat vero Examinatoribus tum in Literis Humanioribus, tum in Disciplinis Mathematicis et Physicis, in omni hoc Examinationis negotio aut Latino aut Anglicano idiomate uti; et quæcunque Candidati in Scriptis præstiterint ea etiam extra locum Examinationis, inspicere et perpendere.

Continuetur autem Examinatio in unaquaque Schola (donec de omnibus Candidatis provisum fuerit) de die in diem, nisi ob causam aliquam rationabilem Examinatoribus aliter visum fuerit; quo in casu monentur Examinatores ut de die quem continuandæ EXAMINATIONI destinaverint Academiam certiorem faciant Schedula monitoria ad Collegiorum et Aularum Præfectos deferenda, ad portam insuper Refectorii vel Promptuarii cujusque Collegii et Aulæ, et ad portam Scholæ Metaphysices per Ædit000uum Universitatis ad minimum ante meridiem diei præcedentis affigenda. Formula vero Schedulæ hæc esto;

Examinatio publica die habenda est.
A. B.
C. D.
E. F.

Hora autem decima matutina in Examinatione uniuscujusque diei incipienda semper servetur. Excepto quod in die aliquo festo Examinatio non incipiatur nisi post concionem publice coram Universitate habitam.

Peracta demum in utravis Schola EXAMINATIONE, Examinatores in ista Schola eo ipso die, si fieri potest, sin minus postridie, Candidatorum omnium nomina in Classes distribuant, et in Schedulam quandam, forma infra præscripta, redigant.

Classium vero Series duplex esto, quarum altera ad LITERAS HUMANIORES, altera ad MATHEMATICAS et PHYSICAS DISCIPLINAS pertinere censenda est.

Et qui vel in his vel in illis eo usque profecisse visi fuerint, ut insigniore aliqua laude digni censeantur, in PRIMAM ISTIUS SERIEI CLASSEM referendi sunt; proximi his in SECUNDAM, in TERTIAM, aut in QUARTAM referantur, prout de cujusque meritis judicium tulerint Examinatores. In Quintam vero Classem referendi sunt cæteri omnes qui Examinatoribus satisfecerint.

Forma autem Schedulæ hæc esto;

NOMINA CANDIDATORUM

TERMINO A.D.

QUI HONORE DIGNI SUNT HABITI,

IN UNAQUAQUE CLASSE SECUNDUM ORDINEM ALPHABETICUM DISPOSITA.

	IN LITERIS HUMANIORIBUS.	IN DISCIPLINIS MATHEMATICIS ET PHYSICIS.
CLASSIS I.	*A. B. e Coll.* *C. D. e Coll.* &c. &c.	*A. B. e Coll.* *C. D. e Coll.* &c. &c.
CLASSIS II.	*A. B. e Coll.* *C. D. e Coll.* *E. F. e Coll.* &c. &c.	*A. B. e Coll.* *C. D. e Coll.* *E. F. e Coll.* &c. &c.
CLASSIS III.	*A. B. e Coll.* *C. D. e Coll.* *E. F. e Coll.* &c. &c.	*A. B. e Coll.* *C. D. e Coll.* *E. F. e Coll.* &c. &c.
CLASSIS IV.	*A. B. e Coll.* *C. D. e Coll.* *E. F. e Coll.* &c. &c.	*A. B. e Coll.* *C. D. e Coll.* *E. F. e Coll.* &c. &c.

A. B. *C. D.* *E. F.* *G. H.*	Examinatores in Literis Humanioribus.	*I. K.* *L. M.* *N. O.*	Examinatores in Disciplinis Mathematicis et Physicis.

SUMMA QUINTÆ CLASSIS,

SIVE CÆTERORUM OMNIUM QUI EXAMINATORIBUS SATISFECERUNT.

XXXXX.

Nomina autem in quatuor superioribus Classibus respective, secundum ordinem Alphabeticum disponantur. Cauto semper, quod si Candidatus aliquis IN LITERIS HUMANIORIBUS non satisfecerit Examinatoribus, nullum omnino Testimonium aut locum in Schedula ista obtineat. Volumus etiam quod neque in Testimoniis perhibendis, neque in hac Schedula ordinanda, Examinator de Candidato quovis suffragium vel judicium suum ferat, nisi cujus examini operam impigram impenderit.

Sin autem in Schedula hac ordinanda Examinatores pari utrinque suffragiorum numero in diversas sententias abierint, ea demum sententia rata esto, pro qua steterit Examinator Senior in alterutra Schola, modo ne sit ex eadem domo unde Candidatus ipse de quo agitur: in quo casu auctoritas simpliciter Senioris ad proxime Seniorem transferenda est. Quæ quidem Senioritas hoc modo æstimanda est; scilicet, Doctorum, juxta Ordinationes Tit. XI. §. 2. Baccalaureorum vero in quavis facultate, pariter ac Magistrorum, juxta prioritatem præsentationis suæ sive ad Gradum Magistri in Artibus, sive ad Baccalaureatum in Jure Civili.

Denique hanc Schedulam, propriis omnium Examinatorum nominibus signatam, et typis mandatam, ad Dominum Cancellarium et Vice-Cancellarium, ad singulos Collegiorum et Aularum Præfectos, ad utrumque Procuratorem, necnon ad cujuslibet Collegii et Aulæ Refectorium, tam publicum quam privatum Magistrorum, Examinator Senior in Schola Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum curabit deferri.

Attamen ne moræ aliquid Candidatorum justæ expectationi interponatur, volumus ut, priusquam hujus Schedulæ duplex et numeris omnibus absoluta series in lucem prodeat, eorum nomina vulgentur, qui in Literis Humanioribus Examinatoribus sese commendaverint. Idcirco, cujusque Termini peracta in Literis Humanioribus Examinatione, Examinator in ea Schola Senior, Schedulam eorum nomina complectentem qui honore aliquo digni in Classes juxta formam supra præscriptam relati fuerint, Examinatorum chirographis munitam, ad portam Scholæ Metaphysices, et ad portam Apodyterii Domus Convocationis affigi curabit.

§. 4. *De Officio ac Cura Vice-Cancellarii et Procuratorum circa* EXAMINATIONES; *et de Examinatoribus remunerandis.*

Quo Statutum hoc de examinandis Candidatis in futurum sancte et inviolabiliter observetur, Ordinatum est, quod unicuique EXAMINATIONI Vice-Cancellarius saltem bis, Procuratores

vero, singuli quater ad minimum, intersint, exploraturi utrum omnia rite et secundum Statuta peragantur.

Si quis vero Examinator vel fatis concesserit, vel se officio suo abdicaverit, vel (quod absit) in gravissimo hoc munere obeundo ita se gesserit ut, ex Vice-Cancellarii, vel amborum Procuratorum, sententia, ab officio suo amoveatur, tanquam qui neque Matris Academiæ dignitati, neque juramenti sui obligationi, satisfecerit; alius in ejus locum, qui vices ejus suppleat in partem biennii nondum elapsam, forma et modo supra præfinitis, continuo subrogetur.

Et quo Examinatoribus accedant non modo Gratiæ, quas illis usque aget habebitque Academia maximas, sed et remunerationes quædam pecuniariæ, Statutum est, quod Candidatus unusquisque, cum inter examinandos refertur a Procuratore, persolvat xxi Solidos; et quod hæ pecuniæ (exceptis tribus Solidis, in Famuli Procuratoris usum, viritim pro numero examinandorum reservandis,) a Procuratore ad Vice-Cancellarium deferantur; qui aliis insuper, quantum opus fuerit, e Cista Academica Pecuniis deprompitis, (iis scilicet, quæ per Decretum Convocationis anno 1802 sancitum ab Academicis exiguntur,) id semper curabit, ut unicuique Examinatori annua centum Librarum Pensio, persolvatur.

Ordinatum est insuper quod statutum hocce (excepto quod ad Examinatorum nominationem spectat) vim et vigorem suum obtinebit Termino Paschatis A. D. 1831.

Termino autem Hilarii proxime sequenti Examinatores, forma et modo supra præfinitis, nominentur; proviso quod Vice-Cancellario et Procuratoribus Examinatorem quemlibet auctoritate Statuti A. D. 1825. designatum nominare fas sit. Perpetuis vero futuris temporibus hæc Examinatorum Publicorum nominatio Termino Hilarii in Congregatione post Diem Cinerum proxime habenda, et in prima Congregatione Termino Trinitatis, annuatim Domui significetur; et deinceps peragantur etiam reliqua quæ ad illorum designationem spectant, prout superius ordina-

tum est. Et Examinatores sic designati Termino designationem suam proxime sequente munus suum inibunt.

Volumus insuper, quod Registrum peculiare penes Examinatores in Schola Metaphysices adservetur, in quo eorum omnium qui Testimonium obtinuerint nomina unoquoque Examinationis die inserantur; ita ut, si in Congregatione Regentium de ista re quæstio aliquando oriatur, ad Registrum hoc perpetuo possit appellari.

Quoniam vero usu venit, ut dies et horas negotiis Academicis a Statutis destinatas mutare interdum commodius reperiatur, fas sit Venerabili Domui Congregationis, ex causa rationabili per Vice-Cancellarium approbata, diem aliquem aut horam hoc Statuto præscriptam pro Examinationibus habendis mutare. Proviso tamen, quod Vice-Cancellarius ante triduum Academiam certiorem faciat, si quando hujusmodi rem ad Venerabilem Domum Congregationis referendam censuerit.

Denique, ad tollendam omnem dubitationem, expresse pronunciamus, quod examen nondum Graduati, virtute prioris alicujus Statuti habitum, effectum habeat Examinis pro primo Gradu præsentis Statuti auctoritate imperati. Quod vero ad Testimonia attinet quæ Candidati coram Procuratore Seniore exhibere tenentur priusquam nomina in Schedula Examinandorum inserantur, valeant ea quæ Auctoritate Statuti A. D. 1825 perhibita fuerint.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die decimo quinto mensis Novembris; relatum est in Domo Congregationis die duodevigesimo mensis Novembris, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vigesimo tertio mensis Novembris Anno Domini 1830.

TITULUS VI.

SECTIO I.

DE TEMPORE ET EXERCITIIS REQUISITIS AD GRADUM BACCALAUREI IN ARTIBUS.

§. 1. *Quot anni, in audiendis publicis Lectoribus ponendi, requirantur ad Gradum Baccalaurei in Artibus.*

STATUTUM est, quod Scholares in facultate Artium, antequam Gradum Baccalaureatus suscipiant, quatuor annos integros, sive sedecim Terminos, numerandos a die Matriculationis, in Studio Artium, et in publicis Lectoribus, prout Statuta requirunt, diligenter audiendis, in Academia (hoc est, minime in domo privata cujuspiam hospitantes seu victitantes, sed in Collegio vel Aula quapiam absque dolo malo degentes), ponere teneantur; exceptis Baronibus in superiori domo Parliamenti suffragii jus habentibus, aut, quando per ætatem congruerit, habituris, necnon Baronibus ex gente Scotica aut Hibernica, et horum omnium filiis; exceptis etiam filiis Baronissarum ea nobilitate jure proprio gaudentium, et filiis natu maximis filiorum natu maximorum Baronum, vel Baronissarum; exceptis etiam Baronettis, et illorum filiis natu maximis, et filiis natu maximis Equitum Auratorum, quibus indulget Academia, (modo ne Collegii alicujus Socii, aut Scholares, sive Alumni, fuerint, ea etiam conditione, ut sub hujusmodi titulo in Matriculam Universitatis relati fuerint,) post integrum triennium in Studiis Academicis completum (vel etiam Baronibus, et Baronum, vel Baronissarum filiis, et filiis natu maximis filiorum natu maximorum Baronum, vel Baronissarum intra brevius temporis curriculum, si Cancellario videbitur) ut, præsti-

Corp. Stat. p. 24. Append. p. 60. Addend. p. 174.

tis Exercitiis ad eum Gradum requisitis, Gradum Baccalaurei in Artibus ambire possint.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die vicesimo nono mensis Novembris; relatum est in Domo Congregationis die secundo mensis Decembris, tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die septimo ejusdem mensis Decembris, Anno Domini 1830.

TITULUS VI.

SECTIO VI.

[Placuit Universitati paragraphum abrogare Tit. VI. Sect. VI. §. 2. cui titulus, *Exercitia pro Gradu Baccalaurei in Theologia præstanda:* et in ejus locum paragraphum hunc subrogare:] Corpus Stat. p. 44.

§. 2. *Exercitia pro Gradu Baccalaurei in Theologia præstanda.*

Statutum est, quod is, qui ad Gradum Baccalaurei in S. Theologia promoveri cupit, priusquam Gratiam proponat, bis in disputationibus Theologicis pro Forma Opponentis principalis, (id est, primo vel secundo loco disputantis) munere perfunctus fuerit, et semel per duas horas in Schola Theologica pro Forma responderit.

Quodque ante hujusmodi Disputationes, Quæstiones, una cum nominibus Opponentium et Respondentis, per septem dies integros significentur, programmate affixo valvis utriusque exterioris Portæ Scholarum, ac insuper muris Collegii Omnium Animarum, et Oriel, qua Australis et Occidentalis parietes Plateam versus in angulos coeunt.

Insuper statutum est, quod nemo ad Gradum Baccalaurei in Sacra Theologia admittatur, nisi qui Sacris Ordinibus prius fuerit initiatus: qua de re Literas Testimoniales ab Episcopo, qui manus ei imposuerit, pro more concessas, vel saltem Certificatorium Registrarii Diœceseos chirographo munitum, Vice-Cancellario, coram Congregatione Magistrorum regentium, exhibere teneatur.

TITULUS

TITULUS IX.

SECTIO III.

§. 4. *Formulæ speciales Gratiarum ad singulos Gradus pertinentium.*

Pro Gradu Baccalaurei in S. Theologia.

Corpus Stat. p. 83. Addenda pp. 132. 248.

Supplicat, &c. A. B. Magister Facultatis Artium e Coll. T. quatenus septem annos a tempore admissionis suæ ad Regendum, in studio S. Theologiæ posuerit; publicum Professorem diligenter audiverit; in Schola Theologica pro Forma semel Responderit et bis Opposuerit; et reliqua præstiterit omnia, quæ per Statuta requiruntur; ut hæc sibi sufficiant, quo admittatur ad Lectionem alicujus Epistolarum Divi Pauli.

TITULUS XVI.

DE CONCIONIBUS.

Corpus Stat. p. 149. Addenda pp. 147. 171.

§. 4. *De Concionibus quibusdam extraordinariis ad Ecclesiam B. Mariæ.*

Statutum est, quod (præter illas Conciones quæ in diebus Dominicis et Festis a Collegiorum Præfectis, Doctoribus et Baccalaureis S. Theologiæ, et Magistris Artium, et Baccalaureis Juris, ut præfertur, seriatim præstandæ sunt,) aliæ quoque extra ordinem, certis et statis temporibus, in Ecclesia Beatæ Virginis Mariæ habeantur: nimirum in Festo Inaugurationis Regiæ; et quinto Novembris pro communi liberatione totius Reipublicæ a Proditione Sulphurea; trigesimo Januarii, die martyrii Caroli primi Regis; et vigesimo nono Maii, die gratiarum actionis pro Rege ac Regia familia restauratis. Quas Conciones, aliquis ad id muneris a Vice-Cancellario assignatus habebit.

Porro Concionibus hisce extraordinariis annumerandæ sunt Prælectiones octo Theologicæ, quas, supremo Testamento suo, vir Rev. Johannes Bampton, A. M. in Ecclesia B. Mariæ, intra initium ultimi mensis Termini Hilarii atque finem tertiæ septimanæ Termini Trinitatis, quolibet anno, haberi mandavit. Statuit autem et declarat Academia, quod hæ Prælectiones, sive Conciones, diebus Dominicis intra Terminum ante meridiem, intra tempus præstitutum, semper habeantur.

Necnon in Dominica Quinquagesimæ, et ultima mensis Junii Dominica, ante meridiem; ac in Dominica Pentecostes, tam ante, quam post meridiem; Conciones lingua vernacula habendæ sunt per aliquos ad id muneris a Vice-Cancellario specialiter deputatos. Item in die Dominico Comitiorum, cum ante, tum post meridiem, et in die Mercurii proxime post Comitia; et in utroque Conventu Comitatus, qui Assisæ vocantur; ad quas aliqui per Vice-Cancellarium specialiter sunt designandi. Et in initio cujusque Termini, ac in Die Cineris in Capite Jejunii, coram Baccalaureis Determinaturis, Caputia, (obverso Rhenone, seu pelle agnina,) gestantibus, et pro more in Scamnis Magistrorum sedentibus, Concio Latina habeatur, quam seriatim obire tenentur S. Theologiæ Professores, et alii in Theologia Graduati, sacris Ordinibus initiati; aut vice illorum alii per Vice-Cancellarium approbandi.

De Statutis his rogandis consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die vicesimo nono mensis Aprilis; relata sunt in Domo Congregationis die secundo mensis Maii, juxta statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicata et confirmata die sexto ejusdem mensis Maii Anno Domini 1833.

TITULUS VI.

SECTIO VI.

DE TEMPORE ET EXERCITIIS REQUISITIS AD GRADUS IN THEOLOGIA CAPESSENDOS.

§. 2. *Exercitia pro Gradu Baccalaurei in Theologia præstanda.* Corpus Stat. p. 44. Addenda p. 279.

Statutum est, quod is, qui ad Gradum Baccalaurei in S. Theologia promoveri cupit, priusquam Gratiam proponat, bis in disputationibus Theologicis pro Forma Opponentis principalis, (id est, primo vel secundo loco disputantis) munere perfunctus fuerit, et semel per duas horas in Schola Theologica pro Forma responderit.

Quodque ante hujusmodi Disputationes, Quæstiones, una cum nominibus Opponentium et Respondentis, per septem dies integros significentur, programmate affixo valvis utriusque exterioris Portæ Scholarum, ac insuper muris Collegii Omnium Animarum, et Oriel, qua Australis et Occidentalis parietes Plateam versus in angulos coeunt.

Insuper statutum est, quod nemo ad Gradum Baccalaurei in Sacra Theologia admittatur, nisi qui in sacrum Presbyterorum ordinem prius fuerit admissus: qua de re Literas Testimoniales ab Episcopo, qui manus ei imposuerit, pro more concessas, vel saltem Certificatorium Registrarii Diœceseos chirographo munitum, Vice-Cancellario, coram Congregatione Magistrorum regentium, exhibere teneatur.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die vicesimo Septimo mensis Maii; relatum est in Domo Congregationis die sexto mensis Junii, juxta statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo ejusdem mensis Junii, Anno Domini 1833.

TITULUS VI.

Corpus Stat. p. 42.

SECTIO V.

DE TEMPORE ET EXERCITIIS REQUISITIS AD GRADUS IN MEDICINA CAPESSENDOS.

Quoniam exercitia pro Gradibus in Facultate Medicinæ præstanda hisce temporibus minime conveniunt, placuit Academiæ abrogare Statuta (scil. Tit. VI. Sect. v. Gratiarum formulas Tit. IX. Sect. III. §. 4. Juramenti formam Tit. IX. Sect. VI. §. 2 et Tit. IX. Sect. IX. §. 4. §. 5. §. 6.) et in eorum locum nova hæc Statuta subrogare.

§. 1. *Quot anni, in studio Medicinæ ponendi, requirantur ad Gradum Baccalaurei in Medicina.*

Statutum est, quod unusquisque antequam Baccalaureatum in Medicina consequatur, examen publicum subeat inter eos Candidatos qui primum gradum in Artibus vel in Jure Civili petunt, et post examen illud, Medicinæ studio per triennium integrum (scil. 12 Terminos) operam dedisse teneatur.

Magistris vero in Artibus, vel Baccalaureis in Jure Civili, licebit, (si modo examen subierint infra §. 3 sancitum,) Baccalaureatum in Medicina capessere; cauto tamen nequis ad hunc gradum admittatur ante completos 28 Terminos a die matriculationis suæ computandos.

§. 2. *De Examinatione pro Gradu Baccalaurei in Medicina, et de Examinatoribus designandis, et juramento onerandis.*

Statutum est, quod qui ad Baccalaureatum in Medicina promoveri cupit, priusquam ad supplicandum pro Gratia admittatur, examen subeat.

Huic igitur rei quo melius prospiciatur, Academiæ placuit ut tres in Medicinæ Facultate publici Examinatores constituantur; scilicet, Medicinæ Professor Regius (cujus semper erit huic negotio præesse) duo itidem ex Acad. Oxon. in Medicina Doctores, a Vice-Cancellario singulis Examinationibus nominandi, et deinceps a Domo Convocationis approbandi. Quod si Professor Regius propter gravem aliquam causam absentiæ veniam a Vice-Cancellario impetraverit; alium quendam in Medicina Doctorem Vice-Cancellarius in ejus locum substituet.

Singuli autem Examinatores antequam munera sua adeant, coram Vice-Cancellario, exigente Seniore Procuratore, juramentum præstabunt in hæc verba; viz.

Domine Doctor, tu jurabis, quod munus et officium Examinatoris publici in Facultate Medicinæ sedulo et fideliter pro virili exequeris, forma et modo per Statuta requisitis. Resp. *Juro.*

Item tu jurabis, quod, sepositis omni odio et amicitia, timore et spe, neque indigno cuivis testimonium perhibebis, neque digno denegabis. Resp. *Juro.*

Item tu jurabis, quod nullo modo revelabis suffragium quod vel ipse tuleris, vel alius quivis Examinator tulerit, de testimonio alicui perhibendo vel denegando. Resp. *Juro.*

§. 3. *De tempore, loco et modo Examinationis.*

Semel quolibet anno, videlicet Hebdomada secunda pleni Termini Trinitatis, EXAMINATIO in Facultate Medicinæ habeatur.

Huic EXAMINATIONI liceat Examinatoribus cum consensu Vice-Cancellarii locum aliquem idoneum assignare, modo ante EXAMINATIONEM habendam triduo saltem de hac re Academiam certiorem faciant.

Instituatur examen in Theoria et Praxi Medicinæ—in Anatomice—Physiologia, Pathologia, et Materia Medica—insuper in Chemia et Botanice, quatenus eæ disciplinæ Artem Medicam illustrare videantur. Examinatoribus liberum esto, quemlibet Candidatum vel in hisce universis, vel in aliqua parte harum (prout ipsis satius visum fuerit) examinare. Porro nunquam non adjiciantur veteres illi Scriptores, Hippocrates, Aretæus, Galenus et Celsus, quorum duo ad minimum in omni examine semper adhibentor.

Cujuslibet Candidati examen, partim viva voce, partim scriptis, peragatur, et quantum fieri poterit, uno decursu vel saltem sine diei intervallo, absolvatur. Omnes Examinatores uniuscujusque examini per integrum tempus intersint, nisi aliquid in scriptis præstandum sit, quo in casu unus tantummodo adesse teneatur.

Inter examinandum, aut Latino aut Anglicano Idiomate uti licebit, prout Examinatoribus magis expedire videbitur.

Peracta demum Examinatione, Examinatores de Candidatis singulis inter se judicium ferent, et quemcunque dignum invenerint, ei testimonium perhibebunt sub hac forma:

A. B. [die mensis et anni] *pro gradu Baccalaurei in Medicina examinatus, prout Statuta requirunt satisfecit nobis Examinatoribus.*

Ita testamur { *C. D. P. M. R.*
E. F.
G. H. }

Nomina quoque eorum qui Examinatoribus satisfecerunt in Registrum peculiare inserentur penes Registrarium Universitatis, finita quaque Examinatione, adservandum.

Quod si contingat aliquem hujusmodi Testimonio indignum reperiri, licebit illi in aliqua sequente Examinatione Candidatum se iterum profiteri.

Huic Examinationi interesse licebit omnibus Magistris in Artibus, Baccalaureis in Jure Civili, et quibuslibet superiore aliquo Gradu insignitis; necnon Baccalaureis in Artibus, si modo coram

Professore Regio sposponderint Medicinæ se operam daturos. Sub eadem conditione licebit Juristis et aliis nondum graduatis, qui examen pro Gradu A. B. vel J. C. B. subierint, et qui quadriennium a die Matriculationis suæ compleverint, his Examinationibus interesse.

Unusquisque Candidatus examen subiturus, Professorem Medicinæ Regium hac de re certiorem facere tenebitur decimo quarto die ad minimum ante Hebdomadam EXAMINATIONI habendæ destinatam. Quo quidem tempore, Professori in manus literas certificatorias tradendas curabit, quibus se, apud quoddam melioris notæ Nosocomium, cum morbis curandis interfuisse, tum Lecturis audiendis diligentem operam dedisse, liquido constet. Nec Professori Regio licebit, literis Certificatoriis istis a majori parte Examinatorum non approbatis, aliquem ad examen subeundum admittere.

Cautum insuper esto ne quis se sistat examinandum, nisi qui septem annos (scil. 28 Terminos) a tempore matriculationis suæ compleverit.

§. 4. *De examinatoribus remunerandis.*

Statutum est, quod Candidatus unusquisque ante EXAMINATIONEM inchoandam Professori Regio in manus deponet sex libras, ab eo, honorarii nomine, duobus reliquis Examinatoribus persolvendas. Ipse Professor feoda antiquitus imperata solus percipiat.

§. 5. *Quot anni, in studio Medicinæ ponendi, ad incipiendum in Medicina requirantur.*

Statutum est, quod qui ad Doctoratum in Medicina promoveri cupit, post Gradum Baccalaurei in Medicina susceptum, per tres annos integros studio Medicinæ incumbat, priusquam ad incipiendum in eadem Facultate admittatur.

§. 6. *Exercitium pro Gradu Doctoris in Medicina præstandum.*

Statutum est, quod Baccalaureus in Medicina priusquam ad incipiendum in eadem Facultate admittatur, dissertationem a se

conscriptam de thesi quavis Medica prius a Professore Regio approbata publice intra Scholarum præcinctus coram Professore Regio recitare, eique ejusdem dissertationis exemplar, finita lectione, tradere tenebitur.

Denique ad tollendam omnem dubitationem pronunciamus quod omnes qui in Medicina inceperint, eodem suffragandi jure gaudeant, ac si in Artibus aliquando rexissent.

§. 7. *De incorporandis sive Medicinæ studiosis, sive Graduatis.*

Statutum est, quod unusquisque sive Graduatus in Medicina, sive studiosus, ex alia Academia hic incorporandus, priusquam in matriculam hujus Academiæ referatur, testimonia coram Vice-Cancellario exhibeat, quibus liquido pateat eum exercitia præstitisse omnia, quæ in sua Academia nondum Graduati pro Baccalaureatu in Artibus præstare tenentur. Cautum sit insuper nequis in Medicina Graduatus incorporetur, nisi examen prius subierit, tempus compleverit, et reliqua præstiterit omnia, quæ per præsens hoc Statutum requiruntur.

TITULUS IX.

SECTIO III.

§. 4. *Formulæ speciales Gratiarum ad singulos Gradus pertinentium.* Corpus Stat. p. 81.

* * * * *

Pro Gradu Baccalaurei in Medicina.

Supplicat, &c. A. B. Magister [*vel Baccalaureus*] Facultatis Artium, [*vel Baccalaureus in Jure Civili, vel Medicinæ studiosus,*] e Coll. [*vel Aula*] M. quatenus 28 Terminos a die matriculationis suæ compleverit; per triennium Medicinæ operam dederit, examen subierit, et reliqua omnia præstiterit, quæ per Statuta requiruntur, (nisi quatenus secum dispensatum fuerit,) ut hæc sibi sufficiant, quo admittatur ad lectionem cujuslibet libri Aphorismorum Hippocratis.

Pro Gradu Inceptoris in Medicina.

Supplicat, &c. A. B. Medicinæ Baccalaureus, e Collegio [*vel Aula*] N. quatenus post susceptum Gradum Baccalaurei in Medicina, tres annos in studio Medicinæ posuerit; dissertationem scripserit et coram Professore recitaverit, et reliqua omnia præstiterit, quæ per Statuta requiruntur, (nisi quatenus secum dispensatum fuerit,) ut hæc sibi sufficiant ad incipiendum in eadem Facultate.

TITULUS IX.

SECTIO IX.

* * * * * *

Corpus Stat. p. 112, 113.

§. 4. *De Qualitate eorum, qui ad Praxin in Medicina licentiandi sunt.*

STATUTUM est, quod Doctor quilibet in Medicina, post inaugurationem seu admissionem suam, practicare licite poterit in omni medicandi genere. Alius vero nemo in Medicina publice practicare Oxoniæ permittatur, nisi Gradum Baccalaurei in Medicina susceperit, et a Cancellario sive ejus Commissario, et Congregatione Magistrorum Regentium, ad practicandum more consueto admissus fuerit. Chirurgiam vero nullus exerceat, intra præcinctum Universitatis, nisi licentia a Cancellario sive Vice-Cancellario impetrata.

Quod si quis secus præsumserit, non solum ab ulteriore promotione repellatur, et privilegiis Universitatis privetur; sed etiam (si monitus non desistat) sicut perturbator pacis puniatur.

§. 5. *Formula petendi Licentiam ad practicandum in Medicina.*

PRO qualitate personæ supplicantis, in Gratia exprimantur, quæ ad hujusmodi licentiam necessario requiruntur, sub hac formula: Supplicat, &c. A. B. e Coll. [*vel Aula*] N., quatenus in hac Universitate Gradum Baccalaurei in Medicina susceperit, et

chirographo vel professoris et unius alterius Doctoris in Medicina, vel trium quorumcunque Doctorum in Medicina, in Universitate residentium, approbatus fuerit; et reliqua præstiterit omnia, quæ per Statuta requiruntur, ut hæc sibi sufficiant ad practicandum in eadem Facultate per universam Angliam.

Qua Gratia concessa et pronunciata, prout aliæ solent, Literæ etiam Testimoniales, de eadem fient, et (eodem modo quo testimoniales licentiæ ad prædicandum in Domo Congregationis ratæ habebantur) sigillo publico Universitatis munientur.

§. 6. *Formula Literarum Testimonialium.*

CANCELLARIUS, Magistri, et Scholares Universitatis Oxon. dilecto nobis in Christo A. B. Baccalaureo in Medicina e Coll. [*vel Aula*] N. intra Universitatem prædictam, salutem in Domino sempiternam. Cum omnia nostra studia, consilia, et actiones ad Dei gloriam et fratrum salutem referri debeant; cumque Medicina ad hæc, inter reliquas Facultates, plurimum conferat; hinc est, quod nos Cancellarius, Magistri, et Scholares antedicti (pro ea opinione, quam de scientia tua, vitæque ac morum integritate, habemus) liberam tibi, tenore præsentium, concedimus potestatem et facultatem practicandi in Medicina, et ea omnia faciendi, quæ ad eam spectant Facultatem, ubivis per universum Angliæ regnum, in perpetuum duraturam. Nos etiam Cancellarius, Magistri, et Scholares antedicti, testamur præfatum A. B. juramentum de primatu Regiæ Majestatis suscepisse, &c. *prout supra, in forma licentiæ ad publice concionandum.*

Placuit Academiæ ut hæc Statuta vim et vigorem suum non obtineant ante Terminum Trinit. 1834.

Interim antiqua exercitia rata permaneant.

De

De Statutis his rogandis consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos, die vicesimo sexto mensis Novembris; relata sunt in Domo Congregationis die vicesimo octavo mensis Novembris, juxta statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicata et confirmata die secundo mensis Decembris, anno Domini 1833.

STATUTUM DE ELECTIONE SCHOLARIUM QUI EX BONIS COLLEGII HERTFORDENSIS ANNUO PRÆMIO DONANDI SUNT.

Quum ex bonis Collegii Hertfordensis haud ita pridem dissoluti pecuniæ quædam jussu Regio A. D. 1818 Academiæ accreverint, sub hac tamen conditione, ut, post obitum Ricardi Hewitt, A. M. ejusdem Collegii olim Socii, publica examinatione de tempore in tempus habita, Scholaris aliquis eligeretur, secundum Statutum aliquod ab Academia sanciendum; quumque modo prædictus Ricardus Hewitt e vivis excesserit:——Placuit Academiæ, quo adolescentium studia ad diligentiorem literarum Latinarum cultum melius dirigantur, certamen proponere quotannis Termino Hilarii habendum.

In hoc certamine Examinatorum infra designandorum munus erit, quocunque examinationis genere iis placuerit, Candidatos omnes tam Latine scribendo, quam auctorum Romanorum scripta interpretando exercere; eumque demum eligere quem præ cæteris eminere judicaverint, tum propter elegantiorem expeditumque sermonis usum, tum propter facultatem criticam literarumque Latinarum in genere peritiam.

Tres igitur sunto Examinatores, qui ante biennium vel in facultate Artium inceperint, vel Gradum Baccalaurei in Jure Civili susceperint, a Vice-Cancellario et Procuratoribus nominandi, et deinceps a Venerabili Domo Convocationis approbandi.

Cuivis autem liceat, modo duos annos integros a tempore matriculationis suæ non compleverit, Candidatum se præstare; iis solum exceptis, qui in hoc certamine præmium aliquando reportaverint.

Locus Examinationi habendæ aliquis intra Scholarum præcinctus a Vice-Cancellario assignetur.

De loco sic destinato, necnon de tempore examinationis, postquam inter ipsos convenerit, Examinatores per schedulam monitoriam ad Collegiorum et Aularum Præfectos deferendam, et ad portam insuper Refectorii vel Promptuarii cujusque Collegii et Aulæ

affigendam, die decimo quarto ante diem constitutum, certiorem faciant Academiam.

Unusquisque Candidatorum nomen suum coram Examinatoribus profiteri, et literas simul commendatorias a Præfecto Collegii vel Aulæ suæ, vel ab ejus Deputato, exhibere tenebitur ante diem tertium ad minimum quam ad Examinationem procedatur.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die vicesimo primo mensis Aprilis: relatum est in Domo Congregationis die vicesimo quarto mensis Aprilis; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo octavo ejusdem mensis Aprilis Anno Domini 1834.

TITULUS VI.

SECTIO V.

DE TEMPORE ET EXERCITIIS REQUISITIS AD GRADUS IN MEDICINA CAPESSENDOS.

§. 1. *Quot anni, in studio Medicinæ ponendi, requirantur ad Gradum Baccalaurei in Medicina.* Corpus Stat. p. 42. Addenda, p. 284.

Statutum est, quod unusquisque antequam Baccalaureatum in Medicina consequatur, quatuor annos integros sive 16 Terminos eodem modo quo Scholares in Facultate Artium, in Academia absque dolo malo degat, examen publicum inter eosdem subeat, et post examen illud, Medicinæ studio per triennium integrum (scil. 12 Terminos) operam dedisse teneatur.

Porro Studiosis in Medicina liceat Habitu Academico uti, qualem Academia Studiosis in Jure Civili indulget.

TITULUS IX.

SECTIO III.

§. 4. *Formulæ speciales Gratiarum ad singulos Gradus pertinentium.* Corpus Stat. p. 81. Addenda, p. 288.

* * * * *

Pro Gradu Baccalaurei in Medicina.

Supplicat, &c. A. B. Magister [*vel Baccalaureus*] Facultatis Artium, [*vel Baccalaureus in Jure Civili,*] e Coll. [*vel Aula*] M. quatenus 28 Terminos a die matriculationis suæ compleverit; per triennium Medicinæ operam dederit, examen subierit, et

reliqua omnia præstiterit, quæ per Statuta requiruntur, (nisi quatenus secum dispensatum fuerit,) ut hæc sibi sufficiant, quo admittatur ad lectionem cujuslibet libri Aphorismorum Hippocratis.

Si non Graduatus fuerit.

Supplicat, &c. A. B. Medicinæ Studiosus e Coll. [*vel Aula*] M. in quo non in domo aliqua privata per 16 Terminos ipsum cubile et victum continuo sumpsisse scio, quatenus exercitia omnia præstiterit, quæ ad Gradum Baccalaurei in Artibus requiruntur; 28 Terminos a die &c. ut supra.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos, die decimo quinto mensis Decembris, A. D. 1834: *relatum est in Domo Congregationis die vicesimo secundo mensis Januarii; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo sexto ejusdem mensis Januarii anno Domini* 1835.

STATUTA AULARIA.

Quum Statuta Aularia antiquitus sancita hisce demum temporibus haud omni ex parte conveniant, placuit Academiæ ea abrogare, et in eorum locum Statuta, quæ sequuntur, subrogare.

SECTIO I.

DE SCHOLARIBUS IN AULAS ADMITTENDIS.

STATUTUM est, quod nullus Commensalis, Batellarius, aut alterius cujuscunque Conditionis, in Aulam aliquam sive Aulæ alicujus communitatem, admittatur, priusquam actualiter ad Universitatem et Aulam, in quam admittendus est, accesserit. Corpus Stat. Append. p. 65.

§. 2. Quod Principalis vel Vice-Principalis, in Admissione cujusque Commensalis et Aularis, ejusdem Tutorem assignet.

§. 3. Quod quilibet in Aulam admittendus sufficientem Cautionem interponat (pecuniariam scilicet, vel fide-jussoriam) de satisfaciendo Principali, atque Obsonatori, in fine cujuslibet Termini, pro victualibus, aliisque impensis et oneribus Aularibus usitatis et consuetis; et quod nemo invitus Scholarem vel Scholares, cujuscunque conditionis, Fide-jussores admittere compellatur.

§. 4. Quod singuli Scholares in Aulis, donec ad Gradum Baccalaureatus præsentati fuerint, Tutoribus subjiciantur.

§. 5. Quod in qualibet Aula Tutorum nomina per Principales Vice-Cancellario annuatim exhibeantur; nec quisquam pro Tutore se gerat, nisi quem etiam Vice-Cancellarius idoneum censuerit, et approbaverit.

§. 6. Quod nemo Gradum capessere præsumat sine Principalis sui consensu; nec ab ullo alio, nisi cum ipsius venia, præsentetur; sub pœna expulsionis ab Aula.

SECTIO II.

DE DIVINIS OFFICIIS AB AULARIBUS OBSERVANDIS.

STATUTUM est, quod singulis diebus in qualibet Aula Preces e Libro Precum Communium sive Liturgia Anglicana habeantur, et ab Aularibus in sacris ordinibus constitutis, vel, in illorum defectu, per aliquem sacris ordinibus initiatum communi Aularium sumptu conducendum, peragantur. Et precibus prædictis singuli Aulares interesse teneantur; et dum peraguntur, reverenter se gerant; sub pœna, pro qualitate delicti, arbitrio Principalis irroganda. Porro quod singuli Aulares ætate provectiores (scilicet qui decimum quintum Annum compleverunt) ter in Anno ad Cœnæ Dominicæ Communionem accedere teneantur, si in Universitate præsentes fuerint.

§. 2. Quod tam ante, quam post, refectiones singulas, Prandii scilicet et Cœnæ, in qualibet Aula sumendas, Gratiarum actiones a Seniore qui intererit, vel a Clerico Bibliæ (secundum Aulæ consuetudinem) peragantur: ibidemque omnes modeste et reverenter se gerant.

SECTIO III.

DE CONVERSATIONE HONESTA ET MORIBUS AULARIUM.

STATUTUM est, quod omnes Aulares, cujuscunque Conditionis aut Gradus, Habitu Academico per Statuta Universitatis requisito semper utantur respective.

§. 2. Quod quilibet Aularium, intra præcinctum Aulæ, unicuique, secundum Conditionem et Gradum, debitum honorem deferat.

§. 3. Quod nullus Aularis confabulationes immodestas, aut garrulationes inhonestas, verbave turpia aut scurrilia bonos mores corrumpentia, proferat.

§. 4. Quod nullus utatur Juramento, nisi cum requisitus fuerit ad jurandum in Judicio, Justitia, et Veritate.

§. 5. Quod nullus Aularis stando, sedendo, aut ambulando, in laicorum ædibus, aut vicis, studio relicto, otiose agat.

§. 6. Quod si quis extra Universitatem proficisci constituit, is antequam egrediatur, a Principali, aut, eo absente, Vice-Principali, veniam petat.

§. 7. Quod quilibet Aularis intra Universitatem vel Suburbia existens, intra Aulam propriam, vel in Hospitio aliquo Aulæ antiquitus annexo, vel annectendo cum conditionibus supra requisitis, Tit. 3. §. 1. necnon in propria Camera, continue pernoctet; nisi ex causa rationabili (infirmitatis scilicet, vel consimili) Licentia a Cancellario sive Vice-Cancellario a Principali prius impetrata, alibi pernoctare permissum fuerit.

§. 8. Quod intra Aulam nemo extraneum secum pernoctantem habeat, sine Licentia a Principali petita et obtenta.

§. 9. Quod quilibet Aularis, temporibus singulis Prandii et Cœnæ, ad Aulam ubi ponuntur Communiæ tempestive (id est, statim post signum datum) ante Gratiarum actionem accedat; nec in Promptuario, Coquina, vel Camera aliqua privata reficere se præsumat; nisi propter causam aliquam rationabilem per Principalem approbatam, aliter facere permissum fuerit.

§. 10. Quod nullus extraneum introducat ad Refectionem sive aliquem Actum communem, sine Licentia Principalis.

§. 11. Quod nullus Aularis socium quemvis ejusdem Aulæ, aut extraneum, ad majores vel crebriores haustus provocet; aut se vel alios inebriandi occasionem præbeat.

§. 12. Quod, si quis in Communiis vel Expensis ordinariis modum excedat (id est, plus quam alii ejusdem conditionis, vel quod a Principali præstitutum erit, expendet) remediis, quibus Principali videbitur, cohibeatur.

§. 13. Quod nullus intra præcinctum Aulæ ludum aliquem

inhonestum exerceat, vel alio quocunque modo se gerat, unde vel pax perturbetur, vel studiosa tranquillitas impediatur.

§. 14. Quod nullus canes venaticos, aliosve quoscunque, teneat aut foveat intra præcinctum Aulæ.

§. 15. Quod nullus aliquam causam, domesticam correctionem non excedentem (saltem intra Aulam terminabilem) ad forinsecum Tribunal trahat. Hoc est, quod Aularis nullus socium suum, aut Semicommunarium, Batellariumve, vel Servientem communem, occasione aut prætextu causæ cujusvis, extra Aulam quomodolibet molestare præsumat, aut in jus vocet; neque ad hoc det consilium aut favorem (Principali ad hoc consensum non præbente) nisi talis sit causa, quæ tantummodo a Domino Cancellario sit terminanda.

§. 16. Quod nullus palam, publice, vel occulte, verbo, signo, facto, consilio, auxilio, vel favore, volens sciens, occasionem litis, discordiæ, rixæ, vel dissensionis generet, suscitet, moveat, vel procuret; seu comparationes odiosas Patriæ ad Patriam, Generis ad Genus, Nobilitatis ad Nobilitatem, Facultatisve ad Facultatem, quomodolibet faciat; nec verba opprobriosa alicui proferat.

§. 17. Quod nullus intra præcinctum Aulæ socio suo Famulove communi damnum vel inferat vel minetur; nec arma invasiva seu defensiva publice vel occulte gerat.

§. 18. Quod quilibet noctivagus, dissolutus, loca de inhonestate aut luxuria suspecta frequentans, facinorosis hominibus, aut malæ conversationis Personis, se associans, Juri parere recusans, sententiave Excommunicationis innodatus (nisi, ad monitionem Principalis, quamprimum desistat, et ad meliorem frugem redeat, et Juri debite satisfaciat) ab Aula expellatur.

§. 19. Quod si quis tam grave crimen extra vel intra Aulam commiserit, unde ad Aulam infamia, vel ad Universitatem scandalum, oboriatur; (veluti si quis temulentiæ, furti, fornicationis, famosi libelli, vel gravioris alicujus delicti, convictus fuerit;) ab Aula expellatur.

§. 20. Quod quilibet Aularis, cujuscunque Conditionis et Gra-

dus, suo Principali, tanquam Gubernatori suo, debitum impendat honorem et reverentiam; neque verbo aut facto ipsum aliquatenus vilipendat; nec contra ipsum conspiret, aut fœdus ineat; sed ei in Officii sui executione humiliter pareat; sub pœna expulsionis ab Aula.

§. 21. Quod, si quis Hæresin, vel pravum aliquod Dogma, contra Doctrinam vel Disciplinam Ecclesiæ Anglicanæ, defenderit; vel Conventiculis illicitis interesse præsumpserit; ab Aula expellatur.

SECTIO IV.

DE PRINCIPALIBUS AULARUM EORUMQUE SUBSTITUTIS.

STATUTUM est, quod ad Regimen Aularum assumantur Viri ætate matura, et morum gravitate venerandi; saltem Magistri in Artibus, vel in Jure aut Medicina Baccalaurei; qui ad nominationem Domini Cancellarii ab Aularibus eligantur, et per Vice-Cancellarium ad Præfecturam et Regimen admittantur.

§. 2. Quod Principales, tempore Admissionis suæ, Juramenta de Primatu Regio agnoscendo, necnon de Fidelitate observanda, coram Vice-Cancellario præstent: insuper, quod omnia Statuta et Consuetudines Aularum, quantum ad se pertinent, observabunt; et, quantum in ipsis fuerit, etiam ab aliis observari facient.

§. 3. Quod nullus Principalitatem emat vel vendat, sub pœna amissionis pretii, et Principalitatis; nec idem eodem tempore duarum Domorum Principalitates obtineat; sub pœna amissionis Principalitatis utriusque: nec Societatem in quocunque Collegio retineat, ultra sex menses post adeptam Principalitatem; sub pœna amittendæ Principalitatis.

§. 4. Quod quilibet Principalis cogat omnes suæ Domus Scholares publicis Precibus interesse; et quod simul cum iis ipse intersit: necnon Conciones coram Universitate habendas frequentare.

§. 5. Quod quilibet Principalis cogat Aulares suos Exercitiis, tam in Aulis quam in Universitate præstandis, diligenter et more debito interesse; necnon procurare, ut omnia Statuta et Ordinationes pro Regimine Aularum, edita vel edenda, debite observentur.

§. 6. Quod quilibet Principalis intra Præcinctum Aulæ continue pernoctet; nisi cum, ex causa, ab oppido abesse permissum sit; vel in domo aliqua vicina familiam alere, a Domino Cancellario, ejusve Vice-Cancellario concessum fuerit.

§. 7. Quod nullus Principalis ab Aula se absentet ultra unum mensem in aliquo Termino, nisi ex causa rationabili per Dominum Cancellarium ejusve Vice-Cancellarium primitus approbanda; sub pœna censuræ, si diuturnitas temporis et absentiæ incommodum id requirat, arbitrio Cancellarii infligendæ.

§. 8. Quod quoties Principalis, temporibus Prandii vel Cœnæ, in Aula, ubi sumuntur Communiæ, præsens non fuerit, senior Commensalis qui tunc intererit pro eo tempore ejus vices suppleat; si vero ab Oppido eum abesse continget, senior Commensalis, qui in Aula continue residet, ejus vices sustineat; nisi ex justa causa alium Magistrum in Artibus, vel Baccalaureum Juris Civilis vel Medicinæ, tanquam huic Muneri magis idoneum, substituere Principali videbitur. Proviso semper, quod, si per duos menses aut diuturnius spatium abesse necesse habeat, tunc ejus Substitutus etiam a Cancellario vel Vice-Cancellario comprobetur.

§. 9. Quod Substitutus Principalis in dubiis nihil attentabit, vel dissentiente Principali.

SECTIO V.

DE OBSONATORE, PROMO, COQUO, ET ALIIS SERVIENTIBUS.

STATUTUM est, quod solus Principalis habeat potestatem Obsonatorem, Promum, Coquum, Ostiarium, et alios Servientes,

eligendi et admittendi, vel expellendi; nec quisquam Aularis, cujuscunque Gradus aut Conditionis, quenquam in servitium commune inducat, vel in famulitio privato retineat, absque consensu Principalis.

§. 2. Quod Obsonator, Promus, et Coquus sub Chirographis propriis, una cum Fide-jussoribus idoneis, Cautionem sufficientem Principali, qui pro tempore fuerit, interponant, de Summis pecuniarum, nomine Cautionis ab Aularibus depositis, restituendis; necnon de Bonis, et Rebus omnibus eorum curæ commissis, fideliter conservandis, exhibendis, et reddendis, cum ad id requisiti fuerint.

§. 3. Quod Promus neminem modum expensarum, a Principali præstitutum, in Officio suo excedere permittat, sub pœna arbitrio Principalis infligenda.

§. 4. Quod Ostiarius tempora aperiendi et claudendi Aulæ fores diligenter observet; et præcipue, eas post horam nonam qualibet nocte obseret.

§. 5. Quod nullus Servientium secreta Aularia (quæ licet, decet, et expedit secreta remanere) cuiquam extra Aulam referat aut revelet.

§. 6. Quod si quis Servientium aliquam discordiam inter Aulares ortam aut orituram noverit (ex qua de verisimili sequi possit pacis vel tranquillitatis perturbatio) Principalem, ejusve Substitutum, illius, quamprimum poterit, certiorem faciat: necnon, si sciverit aliquem Communitati damnum intulisse.

§. 7. Quod nullus Aularis, cujuscunque Conditionis aut Gradus, occupet aut occupari faciat aliquem ex communibus Servientibus in suo negotio privato, iis temporibus quibus Communitati inservire debet, sub pœna arbitrio Principalis infligenda.

SECTIO VI.

DE REBUS ET LOCIS COMMUNIBUS.

STATUTUM est, quod de bonis, et Rebus omnibus ad Aulares communiter pertinentibus, in Admissione cujusque Princi-

palis fiat disquisitio; et de iis, quæ comperta fuerint, generale fiat Inventarium; cujus exemplar penes Registrarium Universitatis deponatur; teneanturque singuli Principales eorumve hæredes, cum Officiis cedent, vel cum alias a Vice-Cancellario requisiti fuerint, eorum omnium rationem exhibere. Et, si quid, eorum culpa, deficiens aut amissum fuerit, resarcire, vel juxta verum valorem satisfacere.

§. 2. Quod nihil, ad usum Communitatis donatum aut relictum, alienetur, aut mutetur, nisi ad commodum Aularium; et, si res fuerit minoris valoris quam quadraginta Solidorum, cum consensu majoris partis Graduatorum; si majoris valoris fuerit, cum Auctoritate Vice-Cancellarii.

§. 3. Quod nullus Aularis poculum, scyphum, patinam, paropsidem, aut quicquam aliud Communitatis usui destinatum, absque consensu illius, cujus curæ commissum est, extra Officium deferat; vel in Camera privata per totam noctem detineat.

SECTIO VII.

DE CAMERIS ET EARUM DISPOSITIONE.

STATUTUM est, quod, in qualibet Aula, cujusque Cameræ annuus reditus certus sit, et arbitrio Vice-Cancellarii confirmatus; isque in Indicem, ad finem Exemplaris Statutorum cujusque Aulæ, describatur; ejusque Copia a Registrario Universitatis inter Archiva Officii custodiatur.

§. 2. Quod dispositio Camerarum sit penes Principalem; nec cuiquam liceat Cameram aut partem Cameræ, sine consensu Principalis, occupare, sub pœna expulsionis ab Aula.

§. 3. Quod non liceat Principali quicquam pro ingressu aut admissione ad Cameram aliquam exigere; aut accipere pro Camera, ultra reditum annuum, auctoritate Vice-Cancellarii præstitutum.

§. 4. Quod, si quis per tres Septimanas, in aliquo Quarterio,

Cameram aut partem Cameræ occupaverit, pensionem integram pro quarta Anni parte solvere teneatur.

§. 5. Quod, si quis per duos Terminos continuos, sine Licentia aut Approbatione Principalis abfuerit, titulum ac jus suum ad Cameram Cameræve partem, quam prius obtinuit, penitus amittat.

SECTIO VIII.

DE COMMUNIIS ET SOLUTIONE DEBITORUM.

STATUTUM est, quod nullus Aularis cujuscunque Conditionis aut Gradus pro Communiis aliquid requirat aut habeat, quod ab Obsonatore emptum non sit.

§. 2. Quod Cibaria, quæ pro numero Aularium in Universitate præsentium comparata sunt, in Mensis apponantur, et pro iisdem singuli, etiamsi absentes fuerint, pro rata solvere teneantur; nisi aliter a Principali provisum fuerit.

§. 3. Quod singulis Septimanis de Emptis et Expensis per Obsonatorem et Coquum fiat Computatio, cum supervisione Principalis ejusve Substituti; sub pœna iis qui defecerint, arbitrio Principalis, irroganda.

§. 4. Quod Principali pro Lectura, Cumulatione, et Pensione Cameræ; necnon Obsonatori pro Communiis, Mulctis, et aliis Debitis, a singulis Aularibus præstandis, et a Principali vel Obsonatore singulorum nomine exigi consuetis, Aulares singuli in fine cujuslibet Quarterii realiter solvant.

§. 5. Quod pro Lecturis aliis, communibus Servientibus, focalibus, reparationibus Locorum communium, utensilibus, et aliis Communitati Aularium necessariis (secundum consuetudines cujusque Aulæ, aut Conventiones, communi consensu, vel majoris partis, initas) singuli Aulares tam absentes quam præsentes, in fine cujuslibet Quarterii, realiter solvere et satisfacere teneantur.

§. 6. Quod si contingat, occasione aliqua extraordinaria, pro necessitate vel utilitate Communitatis, majores Expensas fieri,

quam quibus contributiones ordinariæ sufficiant; Principalis cum consensu Commensalium, vel majoris partis eorundem, singulis pro rata imponat, unde commune onus sustineri possit; et, si qua de occasione, vel rata imposita, controversia oriatur, Judicio Vice-Cancellarii terminetur.

§. 7. Quod si contingat aliquem in solutione prædictorum deficere, nec intra mensem a fine cujuslibet Quarterii satisfacere; arbitrio Principalis, vel eorum quorum interest, attestatione Bonorum, suspensione a Communiis, amotione ab Aula, aut aliis quibuscunque remediis legitimis, coerceatur, et compellatur.

SECTIO IX.

DE STATUTORUM CUSTODIA, ET PŒNIS DELINQUENTIUM.

STATUTUM est, quod in qualibet Aula unum exemplar integrum Statutorum Aularium penes Principalem, et aliud etiam in Bibliotheca vel Refectorio remaneat.

§. 2. Quod singula Statuta secundum planum et grammaticalem sensum, et communem significationem terminorum, intelligantur; et, si quid dubium vel ambiguum videbitur (unde de vero intellectu quæstio oriatur) ad Judicium Cancellarii vel Vice-Cancellarii recurratur.

§. 3. Quod, ubi in Statutis delicti aut pœnæ mentio non habetur, Principalis pro arbitrio statuat; nisi aliquid ejusmodi admissum fuerit, quod ad correctionem Vice-Cancellarii sit referendum.

§. 4. Quod omnes mulctæ pecuniariæ ad supportationem onerum quæ Communitati incumbunt convertantur.

§. 5. Quod nullus, qui publice deliquit in gravioribus, propter castigationem Tutoris privatam a pœnis vel mulctis per Principalem infligendis excusetur.

§. 6. Denique, si quis mulctæ vel pœnæ pro delicto secundum Statuta impositæ, intra terminum a Principale assignatum, se non submiserit; vel palam eandem solvere, aut subire, recusa-

verit; aut alteri, quo minus se submittat, auctor vel persuasor fuerit; vel, ut Statuta aliqua debito effectu careant, fœdus inierit, aut conspiraverit; ab Aula penitus expellatur.

De Statutis his rogandis consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos, die vicesimo tertio mensis Februarii; relata sunt in Domo Congregationis die duodecimo mensis Martii, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam, tandem in Convocatione publicata et confirmata sunt die decimo sexto mensis Martii Anno Domini 1835.

Clausulæ quædam abrogatæ A. D. 1836.

TITULUS IX.

SECTIO VII.

DE CREATIONE ET LICENTIATIONE PRÆSENTATI PER VICE-CANCELLARIUM PERAGENDA.

—— et manus libro admoventibus, Vice-Cancellarius dicet: "Domine Doctor, Magister, vel Domine, (vel Domini, &c.) tu "dabis (vel vos dabitis) fidem ad observandum Statuta, Privilegia, Consuetudines et Libertates hujus Universitatis." *Resp.* Do. Deinde—— Corpus Stat. p. 105. Addenda, pp. 106, 236, 254.

TITULUS X.

SECTIO II.

§. 7. *De Delegatorum nominatione et munere.*

—et in Congregatione quavis, diem Delegatorum Conventui destinatum antecedente, Juramentum Corporale præstare— Corpus Stat. p. 125.

1. "Quod legitime de die, hora, et loco præmoniti, de tempore in tempus, in locum per Vice-Cancellarium destinatum "convenient.

2. "Officium et munus Delegatorum, super negotiis sibi commissis, sedulo et diligenter exsequentur.

3. "Non omnino aberunt, nisi ex causa per Vice-Cancellarium et Procuratores antea vel postea approbanda."

SUPPLEMENTUM AD STAT. TIT. X. SECT. II. §. 7.

De Statis Delegatis pro curatione et elocatione Terrarum ad Universitatem spectantium.

Hi autem Delegati, quamprimum nominati fuerint, in ipsa Convocatione (si præsentes fuerint) alioqui coram Vice-Cancel- Addenda, p. 97.

lario, exigente seniore Procuratore, singuli juramentum præstabunt in hæc verba; viz.

Tu jurabis, quod munus et officium Delegatorum super negotiis tibi commissis sedulo et fideliter pro virili exequeris.

TITULUS XVIII.

SECTIO I.

DE REGISTRARIO UNIVERSITATIS.

Corpus Stat. p. 172. —— observandis Statutis, Privilegiis, Libertatibus et Consuetudinibus Universitatis, necnon——

SECTIO II.

§. 1. *De Bedellorum Electione.*

Corpus Stat. p. 174. —— ad observandum Statuta, Privilegia, Consuetudines et Libertates istius Universitatis. Et——

* * * *

—— et quod, si talem observaveris, statim ad Cancellarium vel Vice-Cancellarium nomen ejus deferes.

SECTIO IV.

DE CLERICO UNIVERSITATIS, ET DE TINTINNABULARIO EJUSDEM, VULGO, LE BELLMAN.

Corpus Stat. p. 179. Clericus autem in sua ad prædictum Officium Admissione, de Statutis, Privilegiis, Libertatibus, et Consuetudinibus Universitatis observandis, necnon de omnibus et singulis quæ ad Officium Clerici Universitatis spectant, bene et fideliter (quantum in ipso fuerit) perimplendis, corporale Juramentum præstabit.

* * * * * *

Corpus Stat. p. 180. Hic, in sua ad id Officii Admissione, idem cum Clerico Universitatis (mutatis mutandis) Juramentum corporale præstabit.

TITULUS XXI.

DE JUDICIIS.

§. 4. *De Registrario Curiæ Vice-Cancellarii.*

1. "De Statutis, Consuetudinibus, Libertatibus et Privilegiis "Universitatis observandis. Corpus Stat. p. 193.

2. "Necnon——

§. 5. *De Procuratoribus ad Lites.*

1. "De Statutis omnibus, Privilegiis, Libertatibus et Consue-"tudinibus istius Universitatis observandis. Corpus Stat. p. 194.

2. "Necnon,——

STATUTA DOCTORIS HEATHER, DE MUSICES PRAXI HEBDOMADALI.

—et, quod ad hæc omnia et singula bene et fideliter exequenda tam prædictus Musices Prælector, quam musicæ praxeos Præfectus, tempore suæ ad Officia prædicta Admissionis, virtute Juramenti onerentur. Append. Stat. p. 46.

[Placuit Universitati Paragraphum §. 3. Sect. IV. Tit. VI. abrogare, et in ejus locum hunc Paragraphum subrogare.]

TITULUS VI.

SECTIO IV.

§. 3. *Quot Anni, in audiendo Publico Professore Juris Civilis ponendi, requirantur ad Gradum Doctoris in Jure Civili.*

[a]Statutum est, quod qui ad Doctoratum in Jure Civili promoveri cupit, si postquam in Artibus Magister fuerit, Gradum Baccalaurei in Jure Civili susceperit, quatuor Annos integros (numerandos a die suæ admissionis ad Gradum prædictum) Corpus Stat. p. 41. Addenda, p. 112.

[a] A. 120. b.

publicum Prælectorem Juris Civilis audiat, priusquam ad incipiendum in eadem Facultate admittatur.

Alioqui, si Baccalaureus in Jure fuerit, antequam incipiat in Artibus, (sive Statutis privati Collegii sic exigentibus, sive sua ipsius optione factum fuerit) quinque Annos integros in audiendo publico Professore Juris Civilis ponere teneatur, priusquam Incipere permittatur.

Qui vero in Curiis Ecclesiasticis et Maritimis hujusce Regni se exercere statuerit; illi conceditur, (modo in Gratia proponenda causa exponatur, et Declaratio per supplicantem ante Admissionem ad Gradum coram Seniore Procuratore facta fuerit) si Baccalaureus in Jure Civili fuerit, ut post quatuor Annos integros in Publico Professore Juris Civilis audiendo positos, ad Incipiendum in eadem Facultate admittatur.

Formula Declarationis hæc esto.

Tu declarabis, te hunc Gradum Doctoris ambire eo animo, ut in Numerum et Collegium Advocatorum Londinensium in Curiis Ecclesiasticis et Maritimis hujusce Regni se exercentium bona fide admittaris; et admissus in iisdem Curiis te realiter exerceas. Resp. *Eo animo hunc gradum ambio.*

[Placuit Universitati abrogare Paragraphos §. 5. Sect. I. Tit. IX. et §. 1. Sect. VI. Tit. IX. et in eorum locum hos Paragraphos subrogare.]

TITULUS IX.

SECTIO I.

§. 5. *Formula admittendi Magistros ad regendum.*

Corpus Stat. p. 70. Addenda, p. 236.

A Magistris, et Doctoribus singulis (tametsi antea rexerunt in Artibus) ad Regentiam admittendis, Procurator senior, sub hac verborum forma juramentum exiget.

" Magister, tu jurabis quod in negotiis omnibus tractandis " tam in hac Domo Congregationis quam in altera Domo Con-

"vocationis, bene et fideliter, ad honorem et profectum Uni-"versitatis, te geres.

"Et specialiter, quod in negotiis quæ ad Gratias et Gradus "spectant, non impedies dignos, nec indignos promovebis.

"Item quod in Electionibus habendis unum aliquem, et unum "tantum, semel (et non amplius) in singulis scrutiniis scribes et "nominabis; et quod neminem nominabis, nisi quem habilem "et idoneum certo sciveris, vel firmiter credideris."

Quo juramento a singulis præstito, Vice-Cancellarius eosdem sic admittat: *Magister, Ego admitto Te in hanc Domum Congregationis, nec non in alteram Domum Convocationis.*

[b]Deinde, ratione hujus Admissionis persolvet quilibet Magister in Artibus, Bedello Facultatis suæ 4*d.*, et Doctor 1*s.*, ad eleemosynam, et usum Pauperum, secundum discretionem Vice-Cancellarii et Procuratorum distribuendos. Insuper, quilibet in Artibus Magister, (quoniam ab admissione sua ad Regendum computandum est tempus, ad ulteriores Gradus in Facultatibus capessendos requisitum) solvet Registrario, Admissionem suam in Registrum referenti, 1*s.*

SECTIO VI.

§. 1. *Statuta, in quæ singulos Præsentatos Jurejurando adiget Junior Procurator. Et admonitio de habitu Gradui competente.*

Post absolutam præsentationem, Procurator Junior a seniore inter præsentatos ad genua sua accidente, reliquis circumstantibus audientibusque, juramentum exiget in hæc verba: Corpus Stat. p. 95. Addenda, pp. 143, 235, 251.

"([c]Domine Doctor, Magister, vel Domine,) tu dabis fidem ad "observandum Statuta, Privilegia, Consuetudines, et Libertates "istius Universitatis." *Resp.* Do.

Forma juramenti admittendorum ad publicam Bibliothecam.

[d]Tu etiam promittes, sancteque coram Deo Optimo Maximo recipies, quod, quoties in publicam Academiæ Bibliothecam venire te contigerit, animum ad studia per modestiam et silen-

[b] L. 97. a. [c] B. 37. a. C. 157. a. [d] C. 157. b.

tium accommodabis; libros, cæterumque cultum sic tractabis, ut superesse quam diutissime possint. Item, quod neque tu in persona tua aliquem vel aliquos libros surripies, permutabis, rades, deformabis, lacerabis, scindes, annotabis, interscribes, sponte corrumpes, obliterabis, contaminabis, aut alio quocunque modo detruncabis, abuteris, deteres, aut imminues; nec alii cuiquam auctor eris horum quidvis perpetrandi; sed, quantum in te est, delinquentem vel delinquentes impedies, ipsorumque maleficia Vice-Cancellario, ejusve Deputato, intra triduum postquam tibi innotuerint, denunciabis: Ita te Deus adjuvet tactis sacrosanctis Christi Evangeliis.

Deinde librum deosculandum exhibebit; quæsitoque Senioris nomine, si plures præsententur, quinque vel sex eorum manus simul libro imponentibus, iisdem dicet:

"Idem juramentum, quod præstitit A. B. in persona sua, vos "præstabitis in personis vestris, et quilibet vestrum in persona "sua, sicut Deus vos adjuvet," &c.

Admonitio de Pace Universitatis non perturbanda, et pro habitu Gradui competente.

Præstito demum a singulis juramento, Procurator singulis etiam sic denunciabit: "Tu teneris (vel vos tenemini) pacem "istius Universitatis per te non perturbare, nec per alium vel "alios qualitercunque perturbari procurare; nec perturbatorem "vel perturbatores, aliquem vel aliquos, in perturbatione pacis, "ope vel consilio juvare; nec impedire per te, vel per alium "vel alios, quo minus de pacis perturbatore vel perturbatoribus "fiat justitia.

"Item specialiter tu teneris inter nullas communitates, vel "personas istius Universitatis, impedire pacem, concordiam, et "amorem. Et si aliqua dissentio inter aliquas communitates "vel personas exorta fuerit, illam nullo modo fovebis, vel ac-"cendes; nec conventiculis interesse debes, nec eis tacite vel "expresse consentire, sed ea potius, modis quibus poteris, im-"pedire.

"[e]Item (tu teneris) vel (vos tenemini) quod sis habiturus vel "sitis habituri, intra quindenam, habitum de proprio, Gradui "competentem; et ipsum, vel similem servabis, quamdiu in "Universitate contigerit te morari; ad effectum, ut non solum "in eo actus Scholasticos possis exercere; verum etiam Universitatem Matrem nostram, in processionibus, et aliis Universitatis negotiis, (cum vocatus et præmonitus fueris) cum eodem "valeas honorare; idque sub pœnis in Statutis Universitatis "limitatis."

[Placuit Universitati Paragraphum §. 6. Sect. II. Tit. X. abrogare, et in ejus locum hunc Paragraphum subrogare.]

TITULUS X.

SECTIO II.

§. 6. *De Electionibus in Domo Convocationis habendis.*

CUM in locum alicujus Publici Prælectoris, aut Officiarii, aut communis Ministri seu Servientis (defuncti, cedentis, vel amoti) alterius Electio; vel ad Beneficium aliquod vacans (ad quod Nominationis, sive Præsentationis, jus Universitati competit) alicujus idonei Electio habenda fuerit; Statutum est, quod, ante Convocationem habendam, negotium hujusmodi Electionis, vel Nominationis, per Bedellos singulis Collegiorum et Aularum Præfectis, et per Præfectos Doctoribus et Magistris cujusque Domus, die præcedente, denuncietur. Corpus Stat. p. 123.

Quodque præter Electionem Burgensium Parliamenti (quam, viva voce, aut pedibus eundo in sententiam, fieri oportere, occasione litis motæ super ea re, Commissarii Parliamenti decrevere) omnis Electio ad Officia et publicas Lecturas, et nominatio ad Beneficia, fiat per scrutinium in scriptis, in quo (Vice-Cancellario præsidente) Procuratores scrutatores erunt. Insuper si in locum Lectoris, Officiarii, aut Servientis munus suum resignantis habenda sit Electio; fiat Resignatio simpliciter et absolute, absque ulla resumendi conditione.

[e] B. 37. a. C. 157. a.

Juramentum Procuratorum.

1. Qui a Vice-Cancellario Juramento adstringentur, "Quod "fideliter se in illo scrutinio gerent.

2. "Et quod eum pro electo vel nominato pronunciabunt, in "quem major pars suffragantium consenserit."

In scrutinio vero, ubi Vice-Cancellarius et Procuratores suffragati fuerint, quisque Doctorum, Magistrorum Regentium, et non Regentium, secundum ordinem Senioritatis, (quantum fieri potest) accedat: et (Procuratoribus a latere Vice-Cancellarii utrinque sedentibus, et eorum altero Schedulam sic accedenti exhibente) votum suum simpliciter et absolute inscribat.

Nec Scrutatores prædicti, aut eorum alter, ante peractam Electionem (nisi ex causa necessitatis) discedant. Quo in casu, Schedula apud Vice-Cancellarium deposita, Vice-Cancellarius (aut alius ab ipso deputatus) ejusdem, dum abest, vices sustinebit.

Cum autem longius in Electione processum fuerit, defecerintque qui suffragentur; priusquam Scrutatores suffragiorum numerum ineant, superior Facultatis Artium Bedellus, per Domum Convocationis, ad suffragandum, alta voce, præconizabit; "Ma"gistri ad suffragandum, prima vice;" deinde ex intervallo unius horæ quadrantis, "Magistri ad suffragandum, secunda vice;" et tertio, post alium horæ quadrantem, "Magistri ad suffragandum, "tertia vice."

Tandem (postquam aliquandiu accessuros exspectaverint, nec quisquam accedat) prædicti Scrutatores [f] eum, in quem, computatis suffragiis, majorem numero partem consensisse compererint, (schedulis interim, quibus singulorum vota inscripta fuerint, penitus abolitis, et igni traditis) pro Electo palam pronunciabunt.

Si duo vel plures æqualem Suffragiorum numerum sortiti sint, [g] si Graduati fuerint, eorum Senior; si Graduati non fuerint, tunc is in quem Cancellarius (vel Vice-Cancellarius pro tempore existens) consenserit, pro Electo habeatur; et ad Officium suum

[f] A. 106. a. B. 68. a. C. 30. a. D. 10. a.
[g] A. 106. b. B. 55. a. C. 32. a. D. 10. a.

(peractis præstitisque singulis, quæ ad hujusmodi admissionem requirentur) e vestigio, si præsens fuerit, admittatur.

Postremo cautum est, quod in omni Electione (antequam ad suffragandum accedatur) præsens Statutum, una cum Statuto Regni de Electionibus *Elizabethæ* XXXI° legatur.

Placuit Universitati ut nemo ad Regentiam ante Terminum Paschatis 1836 admissus in Electione aliqua suffragium ferre præsumat, priusquam Juramentum aliquando præstiterit sub hac forma:

" Tu jurabis quod in Electionibus habendis unum aliquem, et " unum tantum semel (et non amplius) in singulis scrutiniis " scribes et nominabis; et quod neminem nominabis, nisi quem " habilem et idoneum certo sciveris, vel firmiter credideris."

[Placuit quoque Universitati Paragraphum §. 4. Statut. Nov. Bibliothecæ Publicæ Bodleianæ, ex relatione Curatorum, abrogare, et in ejus locum hunc Paragraphum subrogare.]

STATUTUM NOVUM BIBLIOTHECÆ PUBLICÆ BODLEIANÆ.

§. 4. *De Electione, Nominatione, et Amotione Officiariorum et Ministrorum.*

STATUTUM est, quod in posterum nemo ad officium Bibliothecarii eligatur, nisi qui gradu Artium Magistri vel Baccalaurei in Jure Civili ad minimum sit insignitus. Cæterum antequam cuiquam Electorum suffragandi jus permittatur, Sacramento in hanc formam concepto omnes obligentur: " Tu jurabis, quod " in hac electione Bibliothecarii hujus Universitatis celebranda " unum tantum, gradu *Artium Magistri* vel *Baccalaurei in Jure* " *Civili* ad minimum insignitum, nominabis; et quod neminem " nominabis, nisi quem habilem et idoneum ad id officium ob- " eundum vel certo sciveris, vel firmiter credideris."

Appendix, p. 6. Addenda, p. 204.

Cum vero qualicunque de causa locum vacare contigerit, intra decem dies proxime secuturos, sex dierum ad minimum publica

monitione præmissa, solennis Convocatio habenda est, in qua novus Bibliothecarius subrogabitur. Hoc autem decem dierum spatium semper obtinebit, nisi in tempore Magnæ Vacationis, in qua intra septimanas tres eodem modo celebrabitur electio.

In electione autem Protobibliothecarii ratio semper habeatur Stat. Tit. IV. Sect. II. §. 5. ita ut non subrogetur continuo seu immediate successor ex eadem domo, unde præcedens Protobibliothecarius electus fuerat. Qui vero ex una domo in aliam transierunt, censendi sunt ad eam domum pertinere in quam primo admissi fuerunt: exceptis iis, qui in Præfectos, Socios, vel Scholares, quocunque titulo notatos, alterius cujusvis domus admissi fuerint, qui, post istiusmodi admissionem, ad eam domum in quam novissime admissi fuerint censendi sunt perpetuo pertinere.

Corpus Stat. p. 21.

Hypobibliothecarii nominentur per Bibliothecarium, cum majoris partis omnium Curatorum consensu; quæ quidem nominatio suffragiis Ven. Domus Convocationis permittetur, præmissa semper a Vice-Cancellario sex dierum publica monitione. Iidem ab officio removeantur, si quid tale meruerint, ex majoris partis omnium Curatorum sententia. Ministri nominentur per Bibliothecarium, cum majoris partis Curatorum in Universitate præsentium approbatione, et eadem auctoritate ab officio removeantur.

Omnes autem, quamprimum nominati fuerint, eodem modo quo Bibliothecarius, (Stat. Bod. 1610. §. 2.) mutatis mutandis, in Ven. Domo Convocationis (vel coram Vice-Cancellario, si in tempore Vacationis fiat nominatio), sub jurisjurandi religione fidelitatem spondeant.

Append. Stat. p. 7.

De Statutis his rogandis, necnon de Clausulis illis abrogandis, consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in terminos die vicesimo nono mensis Februarii; relata sunt in Domo Congregationis die tertio mensis Martii, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicata et confirmata sunt die septimo mensis Martii, Anno Domini 1836.

TITULUS XVI.

§. 8. *De selectis quibusdam Concionatoribus designandis.*

§. 11. *De Offensionis et Dissentionis materia in Concionibus evitanda.*

QUUM ab Universitate commissum fuerit S. Theologiæ Professori Regio, ut unus sit ex eorum numero, a quibus designantur selecti Concionatores, secundum Tit. XVI. §. 8. necnon ut ejus consilium adhibeatur, si quis Concionator coram Vice-Cancellario in quæstionem vocetur, secundum Tit. XVI. §. 11. quum vero qui nunc Professor est, scriptis quibusdam suis publici juris factis ita res theologicas tractaverit, ut in hac parte nullam ejus fiduciam habeat Universitas;

Addend. p. 150.
Addend. p. 154.

Statutum est, quod munerum prædictorum expers sit S. Theologiæ Professor Regius, donec aliter Universitati placuerit. Ne vero quid detrimenti capiat interea Universitas, Professoris ejusdem vicibus fungantur alii; scilicet, in Concionatoribus selectis designandis Senior inter Vice-Cancellarii Deputatos, vel eo absente, aut ipsius Vice-Cancellarii locum tenente, proximus ex ordine Deputatus (proviso semper, quod sacros ordines susceperit), et in consilio de Concionibus habendo Prælector Dominæ Margaretæ Comitissæ Richmondiæ.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos, die vicesimo quinto mensis Aprilis, A. D. 1836: *relatum est in Domo Congregationis die secundo mensis Maii; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die quinto ejusdem mensis Maii, Anno Domini* 1836.

STATUTUM NOVUM DE MINISTRIS BIBLIOTHECÆ BODLEIANÆ.

[Visum est Academiæ, ex relatione Curatorum, ea quæ ad Ministrorum Bibliothecæ conditionem spectant (Append. Stat. §. 2. p. 200), abrogare, et præsens Statutum in eorum locum subrogare:] Addend. p. 200.

Sint præterea Ministri duo, qui Bibliothecario et Hypobibliothecariis præsto adsint, eorum mandata exsequantur, libris perquirendis et reponendis dent operam, et aliis Bibliothecæ usibus, prout res tulerit, ex Superiorum præscripto diligenter inserviant.

[Deinde §. 3. p. 202. pro " Minister unusquisque 50" *lib.* substituantur,] Addend. p. 202.

Ministrorum stipendium de tempore in tempus statuant Vice-Cancellarius et reliqui Curatores.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die decimo mensis Aprilis: relatum est in Domo Congregationis die decimo tertio mensis Aprilis; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo septimo ejusdem mensis Aprilis, anno Domini 1837.

TITULUS I.

DE TERMINIS ET VACATIONIBUS.

Sect. 1. *De Terminorum numero, initio, et fine.*

ORDINATUM est, quod Annus Academicus, prout consuetudo obtinuit, quatuor Terminos, in quibus omnes Actus Scholastici exercendi sunt, et totidem Vacationes contineat. Corpus Statutorum, p. 1. Addenda, p. 167.

2 E quibus [a]primus Terminus incipiet in crastino S. Dionysii, scilicet decimo Octobris, (in quo antiquitus Magistri Lectiones suas resumere solebant;) et octavo die ante Natalem Domini, scilicet decimo septimo Decembris, in crastino diei qui O Sapientia dici solet, terminabitur.

3 Secundus autem in crastino S. Hilarii, hoc est, decimo quarto Januarii, inchoabitur; et in Vigilia Dominicæ Palmarum desinet.

4 Tertius autem die Mercurii post Dominicam in Albis, hoc est decimo die post festum Paschatis, initium sumat; et in die Saturni proxime ante Pentecosten exeat.

5 Quartus die Mercurii post festum Pentecostes auspicetur; et continuetur ex prorogatione, virtute præsentis Statuti, (absque præjudicio vel incommodo Statutorum vel Consuetudinum alicujus Collegii vel Aulæ,) in diem Sabbati Comitia proxime sequentem; et ulterius, secundum beneplacitum Vice-Cancellarii, Procuratorum, et Magistrorum Regentium.

6 Quod si forte initium vel finis alicujus Termini in diem Festum inciderit, inchoatio vel terminatio ejusdem in diem immediate sequentem differatur. Proviso semper, quod si finis Termini tertii in diem Festum inciderit, Terminus iste in die antecedenti exeat.

7 Plenus autem Terminus, quoad exercitia in pleno Termino per Statuta necessario præstanda, inchoari intelligendus est primo die Hebdomadis sequentis primam Congregationem; utpote, si

[a] A. 102, b. C. 26, b. D. 7, b.

prima Congregatio fuerit die Lunæ, Dominica proxime sequens habeatur primus dies in pleno Termino.

Sect. 2. *De Precibus Solennibus ac Concione initio cujusque Termini habendis.*

Corp. Stat. p. 2. Quo auspicatius simul et solennius Terminus quisque inchoetur[a], ordinatum est, quod post Preces publice secundum Liturgiam Ecclesiæ Anglicanæ in Ecclesia B. Mariæ Virginis celebratas, Concio Latine ad Clerum habeatur.

2 Quam concionem obeant ii, qui juxta seriem Tit. XVI. §. 2. ordinatam concionandi vices sustinere debent. Si quis vero ante tres saltem menses a Præfecto Domus suæ, ejusve Deputato, rite præmonitus, se partes suas impleturum esse non indicaverit, neque ipse Domus Præfectus, vel ejus Deputatus, aliquem alium nominaverit, Vice-Cancellarius aliquem concionaturum designabit. Cauto semper quod S. Theol. Bedellus ante sex septimanas Vice-Cancellario renuntiare teneatur, quandocunque nemo ad eam concionandi vicem supplendam nominatus fuerit.

3 Cuilibet autem hanc concionem habenti solvantur quinque libræ et quinque solidi, e pecuniis juxta ordinationes Tit. XVI. §. 9. receptis.

4 Litaniam Procuratores ipsi, vel alii duo Magistri a Procuratoribus designati, solenniter ac devote cantare, aut legere, teneantur. Chorus autem respondeat.

5 Preces vero Vice-Cancellarius, aut ejus Deputatus, perlegat, et reliqua ibidem in Officiis Divinis præstanda celebret, ac peragat.

6 Demum post peractas Preces, finita etiam concione, ad sacram Synaxin decenter et reverenter celebrandam se accingant. Cui melioris notæ Academicos frequentes adesse, præter conscientiæ dictamen, publici exempli interest; sicut et singulos ceremoniis et Canonibus Ecclesiæ conformes se præstare interest Disciplinæ Ecclesiasticæ, contra quam ne quid peccetur, sedulo curabit Vice-Cancellarius.

[a] KK. 9, b.

TITULUS II.

DE MATRICULA UNIVERSITATIS.

Sect. 1. *De Matricula Universitatis custodienda.*

CUM [a]multis eisdemque gravissimis de causis sanctissimæ nostræ Corp. Stat. p. 4. Universitati non minus necessarium quam operæ pretium existimatum sit, ut certa aliqua ratio ineatur, qua facillime nulloque negotio intelligi semper perspicique possit omnium eorum cum numerus tum conditio, quos suo aliquando sinu complexa sit atque foverit; Idcirco conceptis verbis statuendum, novaque lege sanciendum esse duxit, ut perpetuis posthæc temporibus sit et conservetur penes Cancellarium, vel ejus Commissarium qui pro tempore existet, unum Registrum sive Liber Matriculationis omnium Personarum tam Studentium, quam Servientium, aut Ministrorum eorundem; omniumque aliarum Privilegiatarum personarum, juribus sive libertatibus ejusdem Universitatis, quocunque titulo sive prætextu, utentium.

Sect. 2. *De tempore et conditionibus Matriculationis.*

Statutum est, quod nemo pro Studente, seu Scholari, habeatur, §. 3. Corp. Stat. nec ullis Universitatis privilegiis, aut beneficiis, gaudeat, nisi qui p. 5. in aliquod Collegium vel Aulam admissus fuerit, et intra quindenam post talem admissionem in matriculam Universitatis fuerit relatus.

2 [b]Quotquot autem in Matriculam Universitatis redigendi accedunt, si decimum sextum suæ ætatis annum attigerint, Articulis Fidei et Religionis subscribant; et de agnoscendo Primatu Regiæ Majestatis, corporale juramentum præstent. Qua subscriptione peracta, singulis Vice-Cancellarius exemplar Statutorum in manus tradat, eosque sequentem in modum admoneat. *Scito te* [vel, si plures fuerint, *Scitote vos*] *in Matriculam Universitatis hodie*

[a] P. 1. [b] P. 2. §. 1. 5. KK. 340, b.

relatum [vel *relatos*] *esse, sub hac conditione, nempe ut omnia Statuta hoc libro comprehensa pro virili observes* [vel *observetis*].

3 Quod si infra decimum sextum et supra duodecimum ætatis annum extiterint, Articulis Fidei et Religionis duntaxat subscribent, et in matriculam redigentur.

4 Quod si duodecimum non excesserint, in matriculam duntaxat referentur; utrique tamen postmodo, ubi ad maturam ætatem pervenerint, qua cætera requisita præstare possint, tum demum ea præstare teneantur, sub pœna non sistentium se matriculandos.

Sect. 3. *De officio Præfectorum circa Scholares Matriculandos.*

§. 5. Corp. Stat. p. 6. Decretum [a] est, quod omnes et singuli Præfecti sive Magistri Collegiorum aut Aularum, (sive quocunque alio titulo ac nomine cognoscantur, aut censeantur) aut, ipsis absentibus, eorum Deputati, teneantur et obligentur, infra quindenam a tempore quo aliquis Scholarium sive Studentium in suum Collegium sive Aulam fuerit admissus, eundem Scholarem sive Studentem coram Cancellario vel ejus Commissario qui pro tempore fuerit, personaliter sistendum curare, ut in Matriculam Universitatis nomen ejus debite referatur.

2 Una cum Matriculando accedat ipsius Tutor, qui de conditione matriculandi (utrum scilicet Nobilis, Equitis, Doctoris, Armigeri, Clerici, Generosi, an Plebeii filius sit) Vice-Cancellarium certiorem faciat.

Sect. 4. *De Laicis ad Privilegia Universitatis admittendis.*

§. 6. Corp. Stat. p. 6. Statutum est, quod quilibet Laicus ad privilegia Universitatis admittendus curet se in Matriculam Universitatis referendum; et tempore admissionis suæ juramentum præstet de Statutis, Privilegiis, et Consuetudinibus Universitatis, quatenus ad ipsum pertineant, observandis; et [b] insuper juret, quod nunquam aliquam Causam suam coram Majore, Ballivis, aut aliis Civitatis Oxoniensis Officiariis attemptabit, nec coram eorum aliquo, tanquam suo Judice, respondebit, quamdiu in Universitatis obsequio permanserit.

[a] P. 2. §. 4. KK. 340, b. [b] B. 102, a.

Sect. 5. *De Officiis in Universitate et Civitate simul non gerendis.*

Statutum est, ne quispiam Officiarius, vel ejus Deputatus, vel Minister Universitatis Officio quovis in Civitate Oxoniensi simul fungatur. [a] Et quod, cum primum innotuerit hujusmodi Officiarium, Deputatum, vel Ministrum tale munus in Civitate Oxoniensi obtinuisse, aut serio ambiisse, e vestigio hujusmodi Officiarius Officio suo Academico privetur.

§. 9. Corp. Stat. p. 7. Append. p. 59.

Sect. 6. *De Feudis Matriculandorum, et de eorum distributione.*

Ordinatum [b] est, quod quilibet Scholaris sive studens, aut quivis alius cujuscunque ætatis aut conditionis, tempore Matriculationis, certam pecuniæ summam nomine Matriculationis juxta sanguinis et conditionis suæ qualitatem, persolvat; prout exprimitur in Tabula pensili, palam ac publice, in Apodyterio Domui Congregationis vicino, proponenda; et fiat distributio juxta ordinationes in Venerabili Domo Convocationis jam editas, vel edendas.

§. 10, 11. Corp. Stat. p. 8.

[a] B. 103, b. C. 142, a. KK. 14, b. [b] P. 3. §. 4. K. 73, b.

TITULUS III.

DE SCHOLARIBUS IN COLLEGIA ET AULAS COMPELLENDIS.

Sect. 1. *Ne quis Scholaris in domibus privatis victitet, aut hospitetur.*

Corp. Stat. p. 9. Addend. p. 172. CUM ad eruditionem et ingenuam Disciplinam promovendam plurimum conducat, ut Scholares non solum sub publico sed etiam sub privato regimine contineantur; Statutum est, quod omnes Scholares, cujuscunque conditionis, in Collegio suo vel Aula victum sumere ac pernoctare teneantur, nec ullo modo, (nisi ex gravi aliqua et perurgenti causa per Cancellarium aut ejus Vice-Cancellarium approbanda) in Domo privata cujusquam (sive Privilegiati, sive non) hospitentur aut victitent: sub pœna quod si quis in hoc deliquerit, pro eo tempore quo sic deliquerit, Universitatis Privilegiis non fruatur, et, crescente contumacia, a Cancellario, aut Vice-Cancellario banniatur. Proviso semper, quod causa allegata, per Præfectum Domus, vel, eo absente, per ejus Deputatum, in Schedula aliqua Chirographo suo munita, Vice-Cancellario significetur. Quod si Vice-Cancellarius causam istam ratam habuerit, licentiam pro certo aliquo tempore, non autem indefinite, concedat; quo etiam in casu hanc licentiam, Chirographo suo munitam, una cum Schedula ad se delata, in Registro aliquo peculiari penes ipsum adservando inserendam curabit; quod Registrum in singulis Congregationibus præsto esse, ac demum, finito anno, ad succedentem Vice-Cancellarium transmitti oportet.

2 Quicunque vero aliter Scholarem in domo sua commorari, victitare, vel pernoctare permiserit, et, admonitus a Vice-Cancellario, in delicto perseveraverit, si Privilegiatus fuerit, Privilegiis Universitatis privetur: si Oppidanus, commercio cum Privilegiatis ei interdicatur.

3 Proviso tamen, quod liceat Scholaribus in domibus quibusvis et tenementis, Collegiis vel Aulis annexis vel annectendis, in quibus oppidani familiam non alunt, hospitari: dummodo in annectendis servetur hæc cautio; ut ita sitæ sint, ut ad eas nullus pateat ingressus, nisi per commune Ostium Collegii, vel Aulæ. Cujus rei arbitrium et cura penes Cancellarium seu Vice-Cancellarium esto.

Sect. 2. *Quales Tutores Scholaribus præficiendi sunt.*

Statutum est, quod Scholares in quolibet Collegio vel Aula, statim a primo eorum ad Academiam adventu, singuli suos Tutores habeant, donec ad gradum aliquem promoti fuerint; vel saltem quatuor annos (ut in Jure Civili vel in Medicina studentes) in Academia compleverint. Corp. Stat. p. 10.

2 Et quod nullus pro Tutore se gerat, nisi qui sit in aliqua facultate graduatus, Vir Probitate et Eruditione perspecta, Religione sincerus, [a]judicio Præfecti Collegii sive Aulæ (in qua degit) comprobatus; vel, si circa hoc controversia oriatur, judicio Vice-Cancellarii approbandus.

3 Proviso insuper, quod, si per probationes legitimas innotescat Vice-Cancellario, cuiquam minus idoneo Tutoris munus fuisse demandatum, liceat Vice-Cancellario eidem Tutoris officio omnino interdicere.

4 Tutor vero Scholares tutelæ et regimini suo commissos probis moribus imbuat, et in probatis authoribus instituat; et maxime in rudimentis religionis et doctrinæ Articulis in Synodo *Londini* anno 1562 editis: ac pro virili suo disciplinæ in Ecclesia Anglicana publice receptæ eos conformes præstabit. Quod si quis in aliquo prædictorum deliquerit, arbitrio Cancellarii vel Vice-Cancellarii coerceatur.

5 Tutoris etiam muneri incumbit, quoad ea quæ ipsius oculis quotidie sese ingerere necesse est, Pupillos suos intra modum a Statutis præscriptum continere.

[a] KK. 340, b.

Sect. 3. *De non migrando sine venia ab uno Collegio vel Aula ad aliud.*

Corp. Stat. p. 11. Statutum est, [a]quod non licebit alicui Collegii vel Aulæ Præfecto quenquam Scholarem sponte sua ab alio Collegio vel Aula discedentem, in Collegium vel Aulam suam admittere, nisi veniam obtinuerit dictus Scholaris sub Chirographo Præfecti domus, e qua recesserit, una cum testimonio de honesta ac laudabili ejus conversatione; vel, testimonio prædicto non obtento, nisi per integrum annum dictus Scholaris extra Universitatem degerit, et data sit venia simpliciter a Præfecto domus e qua recesserit. Quod si quivis Scholaris ab uno Collegio vel Aula ad aliud alio quocumque modo migraverit, illi omnibus Universitatis Privilegiis interdicatur. Proviso semper, quod si causa recessus vel migrationis per Cancellarium Universitatis, vocato et audito Præfecto Domus e qua discedere cupit Scholaris, primitus fuerit approbata, licebit alii cuivis Collegii vel Aulæ Præfecto Scholarem prædictum in Ædem suam admittere.

2 [b]Quod si quis a Collegio aliquo vel Aula expulsus fuerit, (id quod ante cujusquam admissionem explorare tenentur Præfecti Ædium,) nemo in Collegium vel Aulam suam eum admittat, donec Cancellarius (causa expulsionis cognita, et pœna eidem pro arbitrio suo prius irrogata) admittendum censuerit, sub pœna superius limitata Scholari infligenda.

De Statutis his rogandis consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die sexto mensis Novembris; relata sunt in Domo Congregationis die vicesimo mensis Novembris, juxta Statuti in ea parte exigentiam; tandem in Convocatione publicata et confirmata sunt die vicesimo tertio mensis Novembris, Anno Domini, 1837.

[a] A. 41, b. B. 101, a. C. 127, a. [b] A. 32, b.

TITULUS XV.

DE MORIBUS CONFORMANDIS.

Sect. 1. *De reverentia Juniorum erga Seniores.*

QUUM ad mores rite conformandos plurimum conducat ut singulis ordinibus pro dignitate cujusque sua tribuatur observantia; Statutum est, quod Juniores Senioribus, id est nondum Graduati Baccalaureis, Baccalaurei Artium Magistris, Magistri itidem Doctoribus, debitam et congruam reverentiam, tum in privato, tum in publico exhibeant; exempli gratia, ubi convenerint, locum potiorem cedendo, ubi obvii venerint, de via decedendo, et, si occasio postulet, ad justum intervallum caput aperiendo. Insuper quilibet Baccalaureus in Jure Civili vel in Medicina (qui non etiam inceperit in Artibus) cuilibet Magistro in Artibus ejusdem anni cedere debet intra Universitatem, locumque dare. Corp. Stat. p. 136.

2 Si vero aliqui secus se gesserint (si infra Gradum Magistri in Artibus vel Baccalaurei in Jure Civili, vel in Medicina fuerint) a Vice-Cancellario aut Procuratoribus castigentur, vel admonitione gravi, vel penso aliquo literario, vel si Vice-Cancellario et Procuratoribus visum fuerit, repellantur a gradu per unum terminum toties quoties, et Libro Nigro Procuratorum inserantur nomina ipsorum. Cæteri autem, a Vice-Cancellario admoneantur, et si contumaces perstiterint, mulctentur insuper pro delicti gravitate, modo ne quinque librarum summam mulcta ista excedat; vel, si quando ulteriorem gradum ambiant, repellantur a gradu per unum terminum toties quoties; et in Libro Nigro Procuratorum nomina ipsorum inserantur.

Sect. 2. *De coercendis otiosis et male feriatis Scholaribus in Civitate oberrantibus.*

Statutum est, quod Scholares per Civitatem ejusve Suburbia otiosi non obambulent; neque in Plateis, aut publico Foro, stantes aut commorantes conspiciantur. Corp. Stat. p. 137.

2 Si quis absque rationabili causa, a Procuratoribus vel Vice-Cancellario approbanda, hac in parte deliquerit, pro arbitrio Vice-Cancellarii vel Procuratorum puniatur.

Sect. 3. *De Domibus Oppidanorum non frequentandis.*

Statutum est, quod Scholares Oppidanorum seu Artificum Do- Corp. Stat. p. 138.

mos vel [a]Officinas sine causa rationabili non frequentent. Academici vero omnes abstineant ab ædibus infames seu suspectas Mulieres vel [b]Meretrices alentibus, aut recipientibus; quarum consortio Christianis prorsus interdictum est. Et si quis in supradictis deliquerit, pro arbitrio Vice-Cancellarii, vel Procuratorum, puniatur.

2 Quem in finem (in subsidium Vice-Cancellarii et Procuratorum) potestas sit Præfectis Ædium Domos Oppidanorum intranti; ut explorent an aliqui e suis illic versentur de die vel de nocte. Si quis vero Magistratui vel Præfecto Domus, de nocte post clausas fores ostium pulsanti, fores sine mora vel tergiversatione non recluserit, pro prima vice mulctetur viginti solidis: secunda vero, commercio cum Privilegiatis, si Oppidanus fuerit; alias, Privilegio, ipsi interdicatur.

Sect. 4. *Quod Scholares Conventibus Municipii Oxoniensis, et Sessionibus et Assisis non intersint.*

Corp. Stat. p. 137. Statutum est, quod Scholares ad cœtus publicos quoscunque Municipii Oxoniensis non accedant; nisi qui per Statuta regni iisdem interesse debent. Vice-Cancellarius insuper, quandocunque res ita postulet, Scholaribus omnino interdicat ne Conventibus Juridicis, vel Civitatis vel Comitatus Oxoniensis (qui Sessiones aut Assisæ vocantur) intersint. Si quis vero vel in hac, vel in illa parte, deliquerit, pro arbitrio Vice-Cancellarii aut Procuratorum pœnas dare teneatur.

Sect. 5. *De Œnopoliis, seu Tabernis vinariis, Popinis, et Diversoriis non frequentandis, necnon de Oppidanis epulas Scholaribus sine venia pretio præbentibus.*

Corp. Stat. p. 138. Add. p. 94. Statutum est, quod Scholares cujuscunque conditionis a Diversoriis, Cauponis, Œnopoliis, ac domibus quibuscunque intra Civitatem, vel Præcinctum Universitatis, in quibus vinum, aut quivis alius potus, aut herba Nicotiana sive Tobacco, ordinarie venditur, abstineant: nisi ex causa necessaria et urgenti, per Vice-Cancellarium aut Procuratores approbanda. Quodque si quis secus fecerit, pro arbitrio Vice-Cancellarii aut Procuratorum puniatur.

2 Insuper Oppidani (sive Privilegiati fuerint, sive non) qui, contra formam hujus Statuti, Scholares in illum finem in domus vel loca

[a] L. 242. b. [b] A. 58. A. N. 42. b.

hujusmodi receperint, pro prima vice, viginti Solidos Universitati numerent; si secundo deliquerint, per duos menses; si tertio, per totum annum, commercium iis cum Scholaribus et Personis Privilegiatis interdicatur; vel Privilegium, si fuerint Privilegiati.

3 Modis iisdem mulctator punitorque, si quis Oppidanus Scholari cuivis epulas pretio præbuerit, vel cibos ad mensam apparatos in Scholaris cujusvis usum in quodlibet Collegium sive Aulam quamlibet, vel in domum aliam quamcunque, intulerit vel immiserit; nisi veniam Collegii vel Aulæ Præfecti, cui sibi ex Legibus Academicis parendum est, idem Scholaris prius impetraverit. Addenda, p. 94.

Sect. 6. *De Nocturna Vagatione reprimenda.*

Statutum est, quod omnes Scholares cujuscunque conditionis, quos occasione quacunque extra Collegia sua vel Aulas vesperi agere contigerit, ante horam [a] nonam (quæ pulsatione magnæ Campanæ Collegii Ædis Christi denunciari solet) ad Collegia et Aulas proprias se recipiant; et quod, statim a pulsatione ejusdem magnæ Campanæ, singulorum Collegiorum et Aularum Portæ occludantur et obserentur. Quibus occlusis explorent, si res ita postulet, Ædium Præfecti, perlustratis singulorum cubiculis (ex præscripto S. Regis Jacobi) utrum e suis aliqui extra Collegium vel Aulam suam pernoctent seu vagentur. Quodque [b] si quis postea extra Collegium proprium vel Aulam, in Domo quacunque vel Platea, vel alibi intra Præcinctum Universitatis repertus fuerit, (nisi causam rationabilem ostenderit, per Vice-Cancellarium vel Procuratores approbandam) pro arbitrio Vice-Cancellarii vel Procuratorum puniatur. Corp. Stat. p. 139.

Sect. 7. *De Ludis prohibitis.*

Statutum est, quod Scholares, cujuscunque conditionis, abstineant ab omni lusus genere, in quo de pecunia concertatur; nec hujusmodi lusibus intersint sub pœna a Vice-Cancellario vel Procuratoribus infligenda. Quodque nemo intra Universitatem hujusmodi Ludis se exercentes excipiat: sub pœna viginti Solidorum pro prima vice; si vero secunda vice deliquerit, commercium cum Academicis ei interdicatur. Corp. Stat. p. 140.

2 Item quod abstineant ab omni genere lusus vel exercitii, ex quo aliis periculum, injuria, vel incommodum creatur; veluti a Venatione ferarum cum [c] Canibus cujuscunque generis, Viverris, Retibus, aut Plagis; necnon ab omni apparatu et gestatione Bombardarum,

[a] N. 42. a. [b] A. 58. a. [c] B. 111. a.

et Arcubalistarum; sive etiam accipitrum usu ad aucupium: sub pœna pro arbitrio Vice-Cancellarii aut Procuratorum infligenda.

3 Item quod, intra Universitatem Oxoniensem aut Præcinctum, absque speciali venia Vice-Cancellarii, nec [a] Funambuli nec Histriones (qui quæstus causa in Scenam prodeunt) nec Gladiatorum certamina sive spectacula permittantur; nec Academici eisdem intersint. Histriones vero, Funambuli, et Gladiatores contravenientes incarcerentur. Et Scholares (si qui ad hujusmodi spectacula confluentes deprehensi fuerint) arbitrio Vice-Cancellarii, vel Procuratorum puniantur.

Sect. 8. *De famosis Libellis cohibendis, et de Contumeliis compescendis.*

Corp. Stat. p. 141. 142.

Statutum est, quod si quis aliquid scripto composuerit, unde alicujus existimatio et fama lædi possit; vel aliquid ejusmodi ab alio compositum exscripserit; vel quoquo modo in vulgus sparserit aut disseminaverit; vel si quis verbis contumeliosis quenquam impetiverit, vel in Concione, Oratione, Fabula, vel alio quocunque modo, quicquam publice protulerit vel ediderit, in quo Academici cujusquam existimatio et fama lædi possit, vel persona derisui seu ludibrio exponi; tanquam Pacis Universitatis Perturbator coram Vice-Cancellario conveniatur; et exemplar Libelli, Concionis, Orationis, sive Fabulæ exhibere, vel (si nullum habere se exemplar præ se ferat) ad objecta respondere teneatur. Et, si judicio Vice-Cancellarii convictus super horum aliquo fuerit, pro qualitate delicti (quæ ex circumstantiis et personis, tum proferentibus, tum in quas convitia prolata sunt, censenda est) Incarceratione, vel Recantatione publica, vel Bannitione (pro arbitrio Vice-Cancellarii) præter satisfactionem Parti læsæ exhibendam, puniatur.

Sect. 9. *De Vi et Injuria prohibenda.*

Corp. Stat. p. 142.

Statutum est, [b] quod si quis Academicus aut alius cujuscunque conditionis alteri damnum corporale quoquo modo intulerit vel de eo inferendo minatus fuerit, vel si quis alium ad pugnam lacessiverit, vel lacessitus acceptaverit, vel cultellum, pugionem, gladium, aut aliquod aliud genus teli, aut distrinxerit, aut intentaverit cum minis, aut ita, ut conjicere liceat animo lædendi factum, in his omnibus et similibus pars peccans satisfacere parti læsæ teneatur (pro ratione damni illati) arbitrio Vice-Cancellarii: et præterea, vel penso literario, vel mulcta, pro qualitate delicti, vel suspensione

[a] I. 241. b. I. 262. a. [b] A. 62. a. B. 78. a. C. 119. b.

a gradu, si quem ambiat, vel etiam bannitione, arbitrium Vice-Cancellarii, puniatur.

Sect. 10. *De Armis non gestandis.*

Statutum est, quod nullus Academicus, aut alius, intra Universitatis ambitum, sive offensiva, sive defensiva [a] arma vel tela de die vel de nocte gestet, exceptis, qui honestæ recreationis causa arcus cum sagittis portaverint. Et si quis secus fecerit, tanquam Pacis perturbatæ suspectus, fide-jussores de pace conservanda præstare teneatur, præter amissionem Armorum, quæ a Vice-Cancellario vel Procuratoribus, ut forisfacta, capiantur. Corp. Stat. p. 142.

Sect. 11. *De Conventiculis illicitis reprimendis.*

Statutum est, [b] quod nullus cujuscunque Gradus, sive Status, conventicula illicita intra Universitatis Præcinctum instituat, aut iis quovismodo [c] intersit, aut in domo vel hospitio suo haberi permittat. Qualia censenda sunt, in quibus, contra Pacem publicam, Doctrinam vel Disciplinam Ecclesiæ, vel regimen et tranquillitatem Universitatis, quicquam deliberatum vel gestum fuerit: vel in quibus homines (secus quam Statutis Regni, Canonibus Ecclesiæ, vel Ordinationibus Universitatis permittitur) vel palam, vel occulte conveniunt. Corp. Stat. p. 144.

2 Insuper, ne quis confœderationes sive conspirationes ineat, unde Cancellarius, Procuratores, seu alii Ministri Universitatis, in executione Officiorum suorum secundum Statuta et Ordinationes ejusdem, impediri vel perturbari possint, sub pœna bannitionis ab Universitate, vel in tempus aliquod, vel in perpetuum. Eidem pœnæ obnoxius esto, quicunque hujusmodi conventicula ineuntes (sibi notos aut probabiliter suspectos) celabit; aut cum requisitus fuerit, eorum nomina prodere recusabit.

Sect. 12. *De Auctoribus et Fautoribus Dissensionis puniendis.*

Statutum est, [d] quod nullus Academicus, cujuscunque conditionis, Pacem vel Concordiam impediat; aut siqua inter aliquos dissensio exorta fuerit, (occasione Nationis, aut Patriæ, aut Facultatis, aut quacunque alia de causa,) eam foveat vel accendat; aut alteri partium opem aut consilium præbeat. Cujus criminis qui suspectus fuerit, ut Perturbator Pacis conveniatur; et, si convictus fuerit, eisdem pœnis, quibus Pacis Perturbatores, subjiciatur. Corp. Stat. p. 144.

[a] A. 58. a. B. 74. b. C. 53. b. D. 14. b. C. 54. b. D. 23. a.
[b] C. 26. b. B. 78. a. C. 120. a. [c] A. 8. a. [d] A. 8. a.

Sect. 13. *De Oppugnatoribus et Violatoribus publicæ Auctoritatis, et Manutenentibus coercendis.*

Corp. Stat. p. 144.

Statutum est, [a]quod nullus Academicus, aut alius, cuivis causæ ad alium pertinenti se immisceat coram Vice-Cancellario vel Procuratoribus, nisi fuerit alterius Partis in judicium vocatæ Tutor, Procurator, Advocatus, Assignatus, Testis necessarius, Creditor, Fidejussor, Sponsor, Executor, Judex, Impar, aut Arbitrator in quacunque causa electus, vel alias, ex honesta aliqua causa, conjuncta persona.

2 Nec in causa propria vel aliena, contra Vice-Cancellarium, vel Procuratores, eorumve Deputatos, [b]verba injuriosa vel opprobriosa proferat, aut quicquam, quod eosdem in executione Officiorum suorum quoquo modo (in judicio aut extra) impediat aut inquietet, agat aut conetur.

3 Quorum criminum qui rei fuerint (sive per convictionem, sive evidentiam facti) ut Pacis Perturbatores tractentur. Et qui se alienis causis et negotiis immiscet, tredecim solidos et quatuor denarios, qui autem verba contumeliosa (in judicio vel extra) protulisse, vel publicos Officiarios præfatos in executione Munerum et Officiorum suorum impedivisse, convictus fuerit, quadraginta solidos Universitati solvere teneatur; ac demum a gradu (si quem ambiat) per integrum annum repellatur. Quod si Privilegiatus fuerit aut Oppidanus, pro arbitrio Vice-Cancellarii et quantitate delicti ad tempus Privilegio, aut commercio cum Privilegiatis, ei interdicatur.

4 Si quis vero eo audaciæ proruperit, [c]ut in Cancellarium, vel Vice-Cancellarium, Procuratores, vel eorum Deputatos, sive Locum-tenentes, manus violentas injecerit, vel injicere tentaverit, vel minatus fuerit; eo ipso ab Universitate perpetuo expellatur, si Academicus fuerit; alias Privilegio vel commercio cum Privilegiatis respective ipsi interdicatur.

Sect. 14. *De Vehiculis.*

Corp. Stat. p. 145.

Statutum est, quod Scholares omnes ab usu Vehiculorum, quibus invehi solent ipsi aurigantes, quocunque nomine dicta sint, prorsus abstineant, nisi cui propter infirmam valetudinem aut rationabilem aliquam causam licentia a Procuratoribus concessa sit. Quod si quis secus fecerit, pro prima vice viginti solidis, pro secunda quadraginta solidis, Universitati mulctetur; pro tertia vero vice, libro

[a] A. 29. a. B. 78. a. C. 120. a. [b] A. 80. a. B. 77. b. C. 64. b. D. 62. a.
[c] A. 47. b. B. 59. a. C. 92. a. D. 62. a.

nigro, sive Registro Procuratorum, inseratur nomen ejus; et ab omni gradu (si quem ambiat) per annum integrum repellatur. Si quis autem quarta vice hac in parte deliquerit, ab Universitate expellatur.

2 Insuper Oppidani qui, contra formam hujus statuti, istiusmodi vehicula Scholaribus elocasse deprehensi fuerint, pro prima vice quadraginta solidos, pro secunda centum solidos, Universitati numerent. Si tertio autem deliquerint, per sex menses; si quarto, iis per totum annum, commercium cum Academicis interdicatur.

Sect. 15. *De reprimendis sumptibus non Academicis.*

Quo melius studiis vacare possint, uti par est, Juniores Academici; et luxus atque fastus ab his sedibus repellantur; et porro sumptus non Academici imminuantur, atque etiam, si fieri possit, reprimantur; Statutum est, Addenda, p. 110.

2 Primum; Quod nulli Academico priusquam Gradum Baccalaurei in Artibus adeptus sit, vel, si Studiosus fuerit in Medicina vel in Jure Civili, priusquam quatuor annos a Matriculatione sua compleverit, liceat Equum aut Servum alere aut retinere, seu proprium, sive alienum, aut conductitium, nisi ex petitione sub chirographo Parentis vel Guardiani, (si quis sit, si non, ex sui ipsius petitione,) Tutori suo Præfectoque Collegii vel Aulæ, in qua degit, significanda, et, propter rationabilem causam, ab iisdem approbanda. Quorum approbatio a prædicto Collegii vel Aulæ Præfecto ad Vice-Cancellarium illico deferatur, et ab eo in Registro quodam peculiari penes ipsum asservando inseratur. Si quis vero Scholaris in præmissis deliquisse coram Vice-Cancellario vel Procuratoribus deprehensus fuerit; pro prima vice moneatur, et nomen ejus tanquam delinquentis in Registro prædicto inseratur; pro secunda, ab Academia amoveatur per unum terminum; pro tertia, per integrum annum.

3 Oppidanus insuper, si contra vim et formam hujus Statuti, cujusvis Scholaris, cui venia modo prædicto non antea concessa fuerit, Equum aluisse, vel consilio, dolo, aliove quocunque modo quo minus præsens Statutum ratum fiat, operam dedisse deprehensus fuerit: pro prima vice quadraginta solidis mulctetur; pro secunda Commercium cum Academicis per sex menses, pro tertia per integrum annum, ei interdicatur; necnon Privilegium, si fuerit Privilegiatus.

4 Et, quo melius hæc vim atque effectum habeant, tenentur singuli Collegiorum et Aularum Præfecti, ut a suis observentur Scholaribus, diligenter curare; et si qui contra hæc contumaciter

deliquerint, eorum nomina ad Vice-Cancellarium deferre, ut rite puniantur.

5 Secundo; quod nulli Academico, priusquam Gradum Magistri in Artibus aut Baccalaurei in Jure Civili vel in Medicina susceperit, liceat, Canem vel Canes cujuscunque generis alere vel habere sub quovis prætextu.

6 Porro Statutum est, quod nullus Academiæ alumnus aut principalem aut consortem in cursu equorum se adhibeat, vel ipse equitando, vel pecuniam collatitiam ad eam rem subscribendo, aut alio quocunque modo: neque equorum cursui, neque gallorum pugnacium commissionibus, neque cujuscunque generis duellis adsit, aut ullo modo se immisceat; sub pœna amotionis ab Academia pro prima vice per unum terminum; pro secunda, per integrum annum; pro tertia vero, in perpetuum.

7 Denique ab omni certaminis genere interdictum est in quo volucres feræve e caveis emissæ, vel scopus aliquis, bombardis petuntur; et si quis hac in parte deliquerit, a Vice-Cancellario aut Procuratoribus vel penso aliquo literario, vel mulcta, vel bannitione, puniatur.

Sect. 16. *De delictis contra quæ nullo speciali Statuto cautum est, et de pœnis pro arbitrio infligendis.*

Statutum est, quod si quis pacem perturbaverit, vel contumaciter se gesserit, vel aliquid contra bonos mores admiserit, de quo nullo speciali Statuto cautum est, licebit Vice-Cancellario aut Procuratoribus pœnam ei pro arbitrio irrogare.

2 Denique Statutum est, quod Procuratoribus neque mulctam ultra quinque Librarum summam, neque pœnam bannitionis vel in perpetuum, vel in tempus aliquod, licebit irrogare, nisi cum consensu Vice-Cancellarii; et quod nemo Gradu Artium Magistri, vel Baccalaurei in Jure Civili, vel Medicina insignitus, inquisitione extra curiam facta, puniatur, nisi salvo unicuique jure Appellationis ad Academiæ Cancellarium.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die quinto mensis Martii; relatum est in Domo Congregationis die undevicesimo mensis ejusdem, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo secundo mensis Martii Anno Domini 1838.

TITULUS IV.

DE LECTORIBUS PUBLICIS.

SECTIO I.

STATUTA SPECIALIA AD LECTORES PERTINENTIA.

[Placuit Universitati Tit. IV. Sect. 1. §§. 6. 7. 9. 11. 12. 14. 15. 16. 18. cum Suppl. ad Stat. Tit. IV. Sect. 1. §. 19. (Addend. p. 94.) et Sect. II. §§. 1. 4. 5. abrogare, et in eorum loca statuta quæ sequuntur subrogare.]

§. 4. *De Prælectore Geometriæ, per Henricum Savile*[1], *Militem, instituto.*

Prælector Geometriæ secundum Statuta Saviliana legat.

§. 5. *De Prælectore Astronomiæ, per Henricum Savile*[1], *Militem, instituto.*

Prælector Astronomiæ Statuta Saviliana observet.

§. 6. *De Prælectore Musicæ per Doctorem Heyther*[2] *instituto.*

Prælector Musicæ, a Gulielmo Heyther Musices Doctore institutus, semel vel sæpius quolibet anni Termino, in Schola Musicæ, illius artis Theoriam, inter horas octavam et nonam antemeridianas, legat. In Vesperiis autem Comitiorum quotannis, inter horas nonam et decimam antemeridianas (interposita musicorum instrumentorum modulatione) vernacula lingua solennem etiam ibidem habeat lectionem. Hujus Lectoris annua designatio penes Procuratores, si ante inchoatum Terminum Michaelis in unum aliquem consenserint, alioqui penes Vice-Cancellarium, esto.

Qui ad incrementum annui stipendii (trium scilicet Librarum) prædicto Lectori per Fundatorem allocati, quadraginta quinque solidos, (Lectori Moralis Philosophiæ ante hæc numeratos,) prædictis tribus Libris per Procuratores adjiciendos, recipiet.

[1] App. Fundatio Duarum Lecturarum in Disciplinis Mathematicis: per Henricum Savile, &c. [2] App. Statuta Doctoris Heyther.

§. 7. *De Prælectore Naturalis Philosophiæ instituto per Gulielmum Sedley*[1], *Militem.*

Prælector Naturalis Philosophiæ unoquoque anno unam Lectionum seriem legat[2], in qua de rebus Physicis melioris notæ auctores exponat. Quoniam vero, quibus spectabilis Vir D. Gulielmus Sedley hujus Lecturæ a se fundatæ regimen commisit, iisdem etiam Lectoris eligendi potestatem permissam voluisse verisimile est, Statutum est, quod Vice-Cancellarius, Præses Collegii Magdalenensis, et Custos Collegii Omnium Animarum, qui pro tempore fuerint, quotiescunque hanc Lecturam vacare contigerit, Lectorem, in quem ipsi vel duo ex ipsis consenserint, continuo subrogabunt.

§. 8. *De Prælectore Historiarum per celeberrimum Virum Gulielmum Camdenum instituto.*

Prælector Historiarum unam lectionum seriem primo post electionem suam anno, duas autem series unoquoque sequente anno legat[3], in quibus vel antiquiores quosvis et melioris notæ Historicos prælegat, vel Quæstiones quæ ad historiam antiquam pertinent, exponat. Quia vero a doctissimo viro, Gulielmo Camdeno, Clarenceux, munifico hujus Lecturæ Fundatore, de eligendo Lectore nihil usquam provisum est, quam rem totam Universitatis arbitrio permisit, eo strictius esse oportet judicium Universitatis in eligendo Lectore secundum Statutum de Electionibus in Domo Convocationis habendis, ut honori et existimationi tum Academiæ, tum ipsius Benefactoris, consulatur.

§. 9. *De Linguæ Græcæ Professore Regio.*

Professor Regius Linguæ Græcæ[4] unoquoque anno unam lectionum seriem legat, in qua quemvis ex antiquioribus et classicis auctoribus explicabit, quæcunque ad Grammaticen et Sermonis proprietatem spectant enarrando, vel quæstiones, quæ ad rem Criticam vel Philologicam istius linguæ pertinent, tractabit.

[1] App. De Fundanda Lectura in Philosophia Naturali Dom. Gulielmus Sedley Miles &c.
[2] N 104. b. [3] N. 144. a. [4] B. 117. b.

§. 10. *De Linguæ Hebraicæ Professore Regio.*

Professor Regius Linguæ Hebraicæ bis[1] singulis septimanis, diebus Martis et Jovis, inter horas primam et secundam pomeridianas, in Schola huic Lecturæ assignata, e Sacræ Scripturæ fontibus, quæcunque ad illius Linguæ Grammaticam et Sermonis proprietatem pertinent, explicabit.

[2] Ejus lectionibus intendant singuli artium Baccalaurei, statim post Quadragesimam immediate sequentem primæ Præsentationis suæ diem, donec annum integrum a suscepto Magisterii Gradu compleverint; Nisi quis rite, juxta statuta, inter auditores Juris aut Medicinæ nomen suum, intra primum annum a suscepto Magisterii Gradu, profiteatur. Et hic annus, in audienda Lingua Hebraica collocatus, pro uno illorum septem, qui juxta Statuta in audiendo S. Theologiæ Professore ponendi sunt, illis reputabitur.

§. 11. *De Regio Juris Civilis Professore.*

Professor Regius Juris Civilis unam lectionum seriem quotannis legat[3], in qua vel principia istius Facultatis, vel quamlibet partem Corporis Juris Civilis exponat, eosque præcipue Titulos, qui ad usum et praxin in hoc regno conducunt.

§. 12. *De Regio Professore Medicinæ.*

Professor Regius Medicinæ unam Lectionum seriem quotannis legat[3], in qua Hippocratem, Aretæum, Galenum, Celsum, aut alios probatiores in hac materie auctores, exponat, vel Theoriam aut Praxin Medicinæ discutiat.

§. 13. *De Prælectore Clinices per Honoratissimum Dominum Georgium Henricum, Comitem de Litchfield, Universitatis Cancellarium, instituto.*

Legat Prælector Clinices secundum Ordinationes in hac parte sancitas, vel rite sanciendas.

[1] B. 117. b. [2] B. 110. [3] B. 117. b.

§. 14. *De Prælectore Anatomices per Ricardum Tomlins, Armigerum*[1], *instituto, et ampliore stipendio per Georgium Aldrich, M. D. dotato.*

Prælector Anatomices legat modo et forma secundum Ordinationes[2] de eadem Lectura editas, et per Universitatem approbatas. Legat etiam quotannis modo, quem statuit in Testamento suo Georgius Aldrich, M. D. Terminis Michaelis, et Hilarii, nempe utrovis horum Terminorum Lectionum seriem in Physiologia, altero vero sedecim Lectiones in Anatomice.

§. 15. *De Prælectore Praxeos Medicinæ per Georgium Aldrich, M. D. instituto.*

Legat Prælector Praxeos Medicinæ Termino Hilarii quotannis secundum Ordinationes Fundatoris.

§. 16. *De Prælectore Botanices.*

Prælector Botanices unam lectionum seriem quotannis legat in horto Botanico.

§. 17. *De Prælectore S. Theologiæ, Dominæ Margaretæ Comitissæ Richmondiæ, Matris Regis Henrici Septimi.*

Quanquam Prælector S. Theologiæ, a Domina Margareta Richmondiæ Comitissa institutus, secundum Ordinationes Fundationis, in Magna Schola Theologica, a primo die cujuslibet Termini, quolibet die Legibili, extra Quadragesimam, usque ad finem Termini, et insuper in magna Vacatione usque ad Festum Nativitatis B. Mariæ, ab hora septima ad octavam, partem aliquam S. Scripturæ exponere teneatur; quoniam tamen ad reliquas Lecturas commodius ordinandas (ut scilicet variis Lecturis, eosdem Auditores poscentibus, distincti dies assignarentur) discrimen dierum Legibilium tollere necesse habuit Academia; ne exinde ultra solitum Lector Dominæ Margaretæ, quotidiano legendi labore, oneretur

[1] App. Statuta et Ordinationes &c. una cum consensu Richardi Tomlins &c.
[2] N. 195. b.

(cum singuli dies durante Termino, præter Dominicos et Festos, hodie Legibiles reputandi sint) Ordinatum est, quod Lector Dominæ Margaretæ, adinstar aliorum Lectorum, bis in qualibet septimana, diebus scilicet Martis et Jovis hora nona antemeridiana, in Schola Theologica aliquam Scripturæ partem exponet. Auditores sunto omnes in S. Theologia Baccalaurei, donec tempus compleverint, quo ad Doctoratum in eadem Facultate promoveri possint; necnon omnes alii Scholares cujusque Collegii vel Aulæ, sive Socii, sive Capellani, qui Sacros ordines susceperunt, donec præstitutum tempus excesserint.

§. 18. *De Regio S. Theologiæ Professore.*

Professor Regius S. Theologiæ primo post susceptum munus anno unam lectionum seriem, unoquoque autem sequente anno duas lectionum series legat,[1] in quibus vel aliquam Sacræ Scripturæ partem exponat, vel quæstiones ad sacram Theologiam pertinentes discutiat.

§.19. *De Prælectore Linguæ Arabicæ per Reverendissimum Gulielmum Laud*[2]*, Archiepiscopum Cantuariensem, instituto.*

Arabicæ Linguæ Prælector Laudianus legat secundum Statuta per Fundatorem sancita, et in solenni Convocatione confirmata Anno Domini 1640. Die Julii 2do.

§. 20. *De Prælectore Linguæ Arabicæ per Regium Eleemosynarium constituto.*

Prælector Linguæ Arabicæ per Eleemosynarium Regiæ Majestatis constitutus, unam Lectionum seriem quotannis, pleno termino, ex optimis Linguæ Arabicæ scriptis legat.

§. 21. *De Prælectore Poetices per Henricum Birkhead, Armigerum*[3]*, instituto.*

Prælector Poetices solennem Lectionem unoquoque termino legat.

[1] B. 117. b. et 110. [2] App. Statuta Lecturæ Arabicæ &c. [3] App. p. 48. Statuta et Ordinationes &c.

§. 22. *De Prælectore Juris Anglicani per Carolum Viner, Armigerum,*[1] *instituto.*

Prælector Juris Anglicani duas Lectionum series quotannis, secundum ordinationes hac in parte sancitas, legat[2].

§. 23. *De Prælectore Chemiæ per Georgium Aldrich, M. D. instituto.*

Prælector Chemiæ, quod ad hanc scientiam attinet, una ad minimum lectionum serie quotannis in loco suæ Lecturæ assignato exponat.

§. 24. *De Prælectore Philosophiæ Experimentalis.*

Prælector Philosophiæ Experimentalis, quod ad hanc materiam pertinet, una ad minimum lectionum serie quotannis explicabit.

§. 25. *De Prælectore Mineralogiæ.*

Prælector Mineralogiæ quod ad hanc materiam spectat una lectionum serie quotannis exponat.

§. 26. *De Prælectore Geologiæ.*

Prælector Geologiæ quod ad hanc materiam spectat, una lectionum serie quotannis exponat.

§. 27. *De Prælectore Linguæ Anglo-Saxonicæ per Ricardum Rawlinson J. C. D.*[3] *instituto.*

Prælector Linguæ Anglo-Saxonicæ secundum ordinationes in hac parte sancitas legat.

§. 28. *De Prælectore Œconomiæ Politicæ per Henricum Drummond, Armigerum, instituto.*

Prælector Œconomiæ Politicæ secundum ordinationes a Ven^li^. Domo Convocationis hac in parte sancitas, legat.

[1] App. p. 50. Forma Statutorum &c. [2] Addenda, p. 195. [3] Addenda, p. 113, Statuta Lecturæ Anglo-Saxonicæ &c.

§. 29. *De Prælectore Linguæ Sanscritæ per Josephum Boden, Armigerum, instituto.*

Prælector Linguæ Sanscritæ secundum ordinationes hac in parte sancitas legat.

§. 30. *De Professore Regio Historiæ Modernæ.*

Professor Regius Historiæ Modernæ secundum ordinationes Regias legat.

SECTIO II.

STATUTA LECTORES IN GENERE SPECTANTIA.

§. 1. *Quod Lectores in propriis Personis legant. De substituendis aliis loco ægrotantium aut absentium. Necnon de Lectionum numero, et modo legendi.*

Cum plurimum et fructus et commoditatis e publicorum Lectorum auditione obtineri possit, Noverint Professores omnes et Prælectores, conditionibus se semper firmiter teneri atque obstringi, quas vel Benefactores imposuerint, vel, Ven. Domus Convocationis ratas fecerit. Nunquam igitur non meminerint, universis id muneris obtigisse, ut legant et doceant, et in facultate quisque sua Academiæ famam pro virili tueantur, et locupletent. Hunc in finem Statutum est, quod quilibet Prælector seu Professor per se legat, et non[1] per alium, nisi ex causa infirmitatis, aut alia causa necessaria, per Vice-Cancellarium et Procuratores approbanda; quo in casu a Professore vel Prælectore substituatur[2] vir idoneus cum eruditione, tum gradu, ab iisdem Vice-Cancellario et Procuratoribus approbandus.

Quod si aliquis per incuriam in legendo defecerit, (nisi ex iis sit de quorum officiis inter Universitatem et Lecturarum Fundatores in hac regiminis parte specialiter conventum fuerit) Prælector aut Professor a Vice-Cancellario admoneatur, ut muneri suo fungendo diligentius in posterum incumbat. Cui admonitioni si inobediens reperiatur, penes Vice-Cancellarium et

[1] C. 145. b. [2] KK. 341. a.

Procuratores esto virum idoneum substituere, competenti mercede, eorum arbitrio, pro ratione Stipendii Professoris, sive Prælectoris prædicti,[1] atque ejusdem sumptibus remunerandum.

Insuper Statutum est, quod Prælectionum unaquæque series octo ad minus Lectiones complectatur. Quilibet vero Professor vel Prælector pleno termino, vel in Schola sibi assignata, vel in alio loco a Vice-Cancellario approbando, ad tres usque horæ quartas[2] legere teneatur. Finitis vero Lectionibus Professores, seu Prælectores aliquantisper in Auditorio suo commorentur, et si aliquis auditor de aliquo dubitet, illum benigne audiant, difficultatibusque et dubiis sibi motis satisfaciant.

§. 2. *De Lectionum publica monitione.*

Statutum est, quod intra 14 dies ab initio Terminorum S[ti] Michaelis, S[ti] Hilarii, et Paschatis respective numerandos, Professores et Prælectores qui Lectionum seriem publice legendam suscipiant, Academiam certiorem faciant de loco, et tempore ad Lectiones suas inchoandas destinatis. Et quo melius hæc omnibus innotescant, præter monitionem vel schedulam more consueto delatam ad singulos Collegiorum et Aularum Præfectos, ad utrumque Procuratorem, et ad cujuslibet Collegii vel Aulæ Refectorium tam publicum, quam privatum Magistrorum, ejusdem quoque Schedulæ duo exemplaria quisque Professor, seu Prælector, ad Æedituum Universitatis deferri curabit, ut ab eo, unum juxta portam australem Scholarum, alterum in Proscholio juxta portam Scholæ Sacræ Theologiæ, tabulis quibusdam affigantur. Hæc autem omnia sumptibus Academiæ fiant. Quod si post publicam istam monitionem tres Academici Prælectoris cujuslibet Lectioni intersint, Prælector iste legere omnino teneatur.

§. 3. *Ne quis Lectorum quicquam cum fide Catholica vel bonis moribus pugnans doceat.*

Item Statutum est, quod nullus Professor aut Prælector publicus, quicquam directe vel indirecte doceat, vel dogmatice asse-

[1] B. 110. a. [2] C. 21. b.

rat, quod fidei Catholicæ, vel bonis moribus, ulla ex parte adversetur. Sed contra, quilibet eorum, quoties opportuna ei inter legendum offeretur occasio, Auditores suos ad sanam Doctrinam amplectendam et tuendam, atque ad honeste pieque vivendum adhortetur. Et siquis eorum, Scholares sive Auditores suos aliquid minus sane et sincere de Fide sentire, cognoverit, aut suspicetur, eos admoneat, atque ab erroribus ad veritatem revocare studeat. Quod si quis obstinate in aliquo errore perseveraverit, id Vice-Cancellario denunciare teneatur.

§. 4. *De philosophica Doctrina Veritati Theologicæ conformanda et attemperanda.*

Item Statutum est, quod Prælectores Philosophiæ, quoties tractare eis contigerit Quæstiones de Deo, de Mundi Æternitate, de Immortalitate Animæ, et aliis id genus, semper eorum sententiam sequantur, qui de illis rebus minus a veritate Christiana dissentiunt. Quod si Philosophorum opiniones pietati alioquin contrariæ omnino fuerint, diligenter admoneant Scholares sive Auditores suos, de humani sensus imbecillitate ad illas res percipiendas, quarum veritatem ex divina revelatione certo cognovimus; studeantque adolescentium animos quam maxime ab omni semper impietate avertere, et vera pietate imbuere.

De Statutis his rogandis consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die quinto mensis Martii; relata sunt in Domo Congregationis die undecimo mensis Martii, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicata et confirmata sunt die decimo quarto mensis Martii Anno Domini 1839.

TITULUS IV.

DE LECTORIBUS PUBLICIS.

SECTIO I.

STATUTA SPECIALIA AD LECTORES PERTINENTIA.

[Placuit Universitati Tit. IV. Sect. 1. §§. 1. 2. 3. 4. 5. 10. abrogare, et in eorum loca §§. 1. 2. 3. qui sequuntur, subrogare.]

§. 1. *De Lectore ad Lecturam adhuc indotatam designando.*

Quanquam [1]Magistris Regentibus universas Facultates seu Scientias, in quibus Magistrali decorantur honore, in Scholis publicis ordinarie, de consuetudine antiqua, necdum abolita, legere ac docere incumbat; veruntamen, quoniam Lectores publici in plurimis scientiis et facultatibus, non sine liberalibus salariis ex Benefactorum munificentia instituti sint; visum est Academiæ, quæ ad Professores et Prælectores attinent in ordinem et methodum redigere, hæc quæ sequuntur, de quaque Lectura statuendo.

Imprimis, ad Lecturas Indotatas quod attinet, scilicet in Grammatica, Rhetorica, Logica, Metaphysica, Statutum est, quod cæteris in præsens omissis, Prælector idoneus in Logica constituatur. Hic autem Prælector ex iis qui aliquando in Artibus inceperint, vel Baccalaureatu saltem in Jure Civili, vel in Medicina, insigniti fuerint, a Venerabili Domo Convocationis in decennium eligatur. Post vero finitum decennium, penes Venerabilem Domum esto vel eundem denuo eligere, vel alium in ejus locum subrogare.

[1] A. 89. b. 42. a. C. 117. a. 121. b.

Prælectoris prædicti electio prima habeatur Termino S. S. Trinitatis proxime sequente, die a Vice-Cancellario assignando. Postea vero, quoties temporis decursu, vel alio quovis modo Lecturam vacare contigerit, intra Terminum proxime sequentem electio habeatur: Proviso semper, quod in omni casu decem dierum ad minimum intervallum, in pleno Termino numerandorum, inter publicam monitionem et electionem intercedat.

Insuper ordinatum est, quod de more antiquo Bedelli in fine cujusque Termini exigent, vice Collectæ quæ antiquitus pendi consuevit, a singulis qui nondum gradum Magistri in Artibus, aut Baccalaurei in Jure Civili, vel in Medicina, adepti sint (exceptis servientibus, sive pauperibus Scholaribus) sex denarios capiti cujusque in libro Promptuarii irrogandos, et per Præfectos, aliosve Officiarios cujusque Collegii, et Aulæ numerandos. Quas summas sic collectas Bedelli in manus Vice-Cancellarii tradent, per ipsum præfato Lectori, postquam Professori Saviliano utrique quartam partem summæ quatuor librarum et decem solidorum dinumeraverit[1], in fine cujusque termini pendendas. Prælectori autem non licebit mercedem ullam ultra prædictum salarium ab Auditoribus exigere.

§. 2. *De Prælectore Logicæ.*

Prælector Logicæ primo post electionem suam anno, unam lectionum seriem, duas autem series unoquoque sequente anno legat; in quibus quamlibet partem Logices Aristotelis, vel probatum aliquem ex recentioribus in ista materie scriptoribus exponat, vel quæstiones ad Logicam pertinentes discutiat.

§. 3. *De Prælectore Philosophiæ Moralis, [2]per Thomam White, S. T. P. instituto.*

Prælector Philosophiæ Moralis primo post electionem suam anno, unam lectionum seriem, duas autem series unoquoque sequente anno legat; in quibus Aristotelem[3], Platonem, Ciceronem,

[1] Vide Stat. Savil. in Appendice, c. 12. [2] App. Ordinationes Thomæ White, &c.
[3] C. 145. b.

aut quosvis melioris notæ in hac materie auctores, exponat, vel quamlibet istius scientiæ partem discutiat.

Denique ordinatum est, quod Statuta hæc, necnon Paragraphi Tit. IV. comprehensi, suffragiis Venerabilis Domus Convocationis XIV die Mensis Martii, A. D. MDCCCXXXIX, sanciti, vim et vigorem suum non censebuntur obtinuisse, nisi ubi aliter provisum fuerit, ante inchoatum annum MDCCCXL.

De Statutis his rogandis consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die vicesimo quinto mensis Aprilis; relata sunt in Domo Congregationis die undecimo mensis Maii, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicata et confirmata sunt die decimo quarto mensis Maii Anno Domini 1839.

UNIVERSITY GALLERIES.

The following Regulations respecting the University Galleries were approved by Convocation, June 6, 1844.

CURATORS.

The Curators to be three in number, not under the degree of M. A., B. C. L., or B. M.

To be bonâ fide resident in the University.

To be nominated by the Vice-Chancellor, Pro-Vice-Chancellors, and two Proctors, or the majority of them, and approved by Convocation.

To make Rules from time to time for the opening and closing of the Galleries, and for the admission of Visitors.

(Members of the University in their Academical dress, and friends accompanying them, to be admitted without Fee.)

To appoint the Keeper and his Assistants, and if need be, to remove them.

To superintend the whole Establishment.

KEEPER.

The Keeper to reside constantly within the Building.

To receive an annual stipend of 100*l.*

To have the charge and custody of the Galleries and their contents, under the direction and control of the Curators.

To be in attendance in the Galleries whenever they are open to Visitors.

REGULATIONS

FOR SIR ROBERT TAYLOR'S FOUNDATION*,

Agreed upon in Convocation, April 10, 1845, and March 4, 1847.

CURATORS.

The Curators to be nine in number.

The Vice-Chancellor, the two Proctors, and the Regius Professor of Modern History, to be four of that number.

The remaining five to be approved by Convocation, on the nomination of the Vice-Chancellor, the two Proctors, and the Regius Professor of Modern History, or the majority of them, the Vice-Chancellor having a casting vote in case of an equality of votes.

To be Doctors in one of the Faculties, or M. A. of at least five years standing from their regency, or B. C. L. or B. M. of at least six years standing from the taking of their degree.

To hold their office for five years only, but to be re-eligible.

DUTIES OF THE CURATORS.

To meet in the second week of February, May, and November, and whenever summoned by the Vice-Chancellor, five of the whole number constituting a quorum.

To nominate the Professor and Teachers, but not without the concurrence of five Curators in each nomination; and each nomination to be approved by Convocation.

To remove the Teachers, if need be; but not without the concurrence of five Curators in each case.

To appoint the Librarian, and if need be, to remove him; but in either case not without the concurrence of five Curators.

To appoint the Porter, and if need be, to remove him.

To appoint a Deputy for a limited period, whenever the Professor or any of the Teachers shall be prevented from discharging his duties in person, and to assign to the

---

* *Extract from the Will of Sir Robert Taylor.*

" ——To the Chancellor and Scholars of the University of Oxford and their successors for the purpose " of applying the interest and produce thereof in purchase of freehold land within, or if possible to be made " within, the jurisdiction of the said University for the erecting a proper edifice therein, and for establishing " a foundation for the teaching and improving the European languages in such manner as should from time " to time be approved by the said Chancellor and Scholars in Convocation assembled."

Deputy such payment as they may think fit out of the stipend of such Professor or Teacher.

To discharge the ordinary and incidental expenses of the Building and Institution out of the Taylor Fund.

To exercise the general government of the Institution, and to carry the Regulations into effect.

To employ a sum not exceeding One Thousand Pounds in the purchase of books for the general purposes of the Institution.

To employ a further sum, not exceeding One Hundred Pounds in each year, in the purchase of books, pamphlets, periodicals, and journals, for the same general purposes.

PROFESSOR.

One Professor to be appointed, and at first for *five years* only, with the title, "Professor of Modern European Languages;" but to be re-eligible.

To be removable at any time with the concurrence of at least five Curators for neglect of duty, or for immorality, or for teaching or holding tenets at variance with the doctrines or discipline of the Church of England.

To be a Member of the University at the time of his *admission*.

To receive an annual stipend of 400*l*.

If in holy orders, to have no parochial charge during the residence hereinafter required of him.

Duties of the Professor.

To lecture on the Philology or Literature of some of the principal Languages of Europe.

To deliver a Course of not less than eight Lectures in each Term—Easter and Act being accounted as one. The Lectures to be gratis, and open to all Members of the University.

To be resident in the University throughout each Term, power being reserved to a majority of the Curators to grant an occasional leave of absence.

LIBRARIAN.

A Librarian to be appointed by the Curators.

To be resident in the Building, and to have the charge and superintendence of it, subject to the direction and control of the Curators.

To be in constant attendance; and to deliver out and enter the Books, as delivered, in a Register.

To go every evening through the Building, to see that all lights and fires have been extinguished.

To receive an annual stipend of 150*l*.

Not to be absent at any period of the year without leave of the Curators.

LIBRARY.

The Library to be open to all Members of the University within certain hours during daylight, according to the directions of the Curators.

A separate room to be reserved for the use of persons not under the degree of M.A., B.C.L., or B.M.

The Curators to judge of the propriety of allowing any and what books to be taken out of the Building by the Teachers or by Members of the University.

TEACHERS.

Teachers to be appointed *at first* in German and French, and for *five years* only; but to be re-eligible.

To be removable at any time with the concurrence of at least five Curators.

To receive an annual stipend each of 150*l.*

DUTIES OF THE TEACHERS.

To be resident in the University throughout each Term, and to be at the disposal of the Curators, for the purpose of teaching or lecturing in the Taylor Building four hours daily, power being reserved to a majority of the Curators to grant an occasional leave of absence.

Such teaching and lecturing to be gratis, and open to all Members of the University.

To be allowed to teach in private, with the consent of the Curators, but not within the Taylor Building.

If British subjects by birth, to subscribe the Thirty-nine Articles.

PORTER.

The Porter to be in attendance at the door, to clean the rooms, to make and attend to the fires, and to perform such other duties as may be required by the Curators.

To be subject to the authority of the Librarian for all purposes within the Building.

ACCOUNTS.

The Accounts to be kept by the Curators, and submitted annually to the Delegates of Accounts.

SECTIO VI. §. 1.

[Visum est Academiæ, Formam juramenti admittendorum ad publicam Bibliothecam (Corp. Stat. p. 96. Addend. p. 252) abrogare, et in ejus locum hanc Formulam Declarationis, quæ sequitur, subrogare.]

Formula Declarationis ab admittendis ad publicam Bibliothecam subscribendæ.

"Ego A. B. in Bibliothecam Bodleianam admittendus, ex animo polliceor me libros cæterumque cultum sic tractaturum ut superesse quam diutissime possint, et, quantum in me est, curaturum nequid Bibliotheca detrimenti aut incommodi capiat."

ADDENDA. APPEND. DE BIBL. BODL.

STATUTA BIBLIOTHECÆ PUBLICÆ BODLEIANÆ. Append. Stat. p. 15.

Sect. 12.

[Placuit Universitati, ex relatione Curatorum, paragraphos infra recitatos post verba "fidem bonam Bibliothecæ præstet" abrogare.]

— nempe sub Juramenti obligatione, in hæc verba concipienda.

"Tu promittes, sancteque coram Deo Optimo Maximo recipies, quod quoties in publicam Academiæ Bibliothecam venire te contigerit, animum ad studia per modestiam et silentium accommodabis; Libros, cæterumque Cultum sic tractabis, ut superesse quam diutissime possint.

"Item quod neque tu in Persona tua aliquem vel aliquos Libros surripies, permutabis, rades, deformabis, lacerabis, scindes, annotabis, interscribes, sponte corrumpes, obliterabis, contaminabis, aut alio quocunque modo detruncabis, abuteris, deteres, imminuesve; nec alii cuiquam auctor eris horum quidvis perpetrandi; sed, quantum in te est, delinquentem vel delinquentes impedies; ipso-

rumque maleficia Vice-Cancellario, ejusve Deputato, intra triduum postquam tibi innotuerint, denuntiabis: Ita te Deus adjuvet, tactis sacrosanctis Christi Evangeliis."

[Et in eorum locum subrogare]

— huic, quæ sequitur, formulæ subscribendo:

"Ego A. B. in Bibliothecam Bodleianam admittendus, ex animo polliceor me libros cæterumque cultum sic tractaturum ut superesse quam diutissime possint, et, quantum in me est, curaturum nequid Bibliotheca detrimenti aut incommodi capiat."

Porro, quoniam vocabula "juramentum," "jurati," et similia passim in Statutis antiquitus sancitis circa eos qui ad Bibliothecam admittendi fuerint, adhibeantur, cautum est præsentibus his Statutis ut ea omnia talem solummodo vim et vigorem habeant, ac si in istis Statutis "Declaratio &c." reperirentur.

De Statutis his rogandis consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die vicesimo octavo mensis Maii: relata sunt in Domo Congregationis die sexto mensis Junii, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicata et confirmata die nono mensis Junii, anno Domini 1838.

TITULUS VI.

DE TEMPORE AD GRADUS CAPESSENDOS REQUISITO, ET EXERCITIIS PRO FORMA PRÆSTANDIS.

SECTIO I.

DE TEMPORE ET EXERCITIIS REQUISITIS AD GRADUM BACCALAUREI IN ARTIBUS.

§. 2. *De Exercitiis præstandis pro Gradu Baccalaurei in Artibus.*

STATUTUM est, quod priusquam quis ad Gradum Baccalaurei in Artibus admittatur, in Parviso semel Quæstionibus Magistrorum Scholarum respondeat.

Responsionibus autem hisce assignentur in Termino Michaelis duæ Septimanæ a die vicesimo sexto mensis Octobris, duæ itidem in Termino Hilarii a die Mercurii Dominicam Septuagesimæ proxime sequenti, duæ insuper a die Lunæ post primam Dominicam in Termino Trinitatis, inclusive numerandæ. Qui autem in quovis trium horum Terminorum responsuri sunt, nomina sua, vel per se, vel per Tutores suos, coram Procuratore Juniore profiteantur, in Registro peculiari penes ipsum asservato, et in Terminos hosce rite distributo, inserenda; hac tamen lege, nequis serius quam triduo (ita ut tres dies integri supersint) ante Responsiones inchoandas Procuratorem de hac re adeat.

Proviso semper, quod nemini Responsio sua cedat pro forma ante inchoatum a tempore Matriculationis suæ sextum, nec post finitum nonum Terminum; exceptis iis quibus indulget Academia, ut integro triennio in Studiis Academicis completo ad Gradum promoveantur[a]. Horum unicuique Responsio sua cedat pro forma post inchoatum quartum Terminum, et ante septimum finitum, a tempore Matriculationis suæ computandum.

Si quis autem infirma valetudine aut gravi alia causa impeditus intra Terminos supra præfinitos non responderit, illi tamen

[a] Vide Tit. VI. Sect. I. §. 1. Corp. Stat. p. 25. Addenda, p. 174.

licebit, cum consensu Vice-Cancellarii et Procuratorum, sequenti aliquo Termino respondere.

Nemo etiam ad respondendum admittatur, nisi qui RESPONSIONIBUS hisce uno saltem die per integrum tempus interfuerit: et quo unumquemque huic Statuto satisfecisse liquido appareat, dies quo interfuerit notetur, Testimonio ei perhibito ab uno ex Magistris Scholarum sub hac forma:

A. B. RESPONSIONIBUS *in Parviso per integrum tempus interfuit,* [die mensis et anni.]

Ita testor A. B.

Quod quidem Testimonium unusquisque per se, vel per Tutorem suum, teneatur exhibere, eo ipso tempore quo et nomen suum coram Juniore Procuratore profitetur; neque licebit Procuratori, Testimonio isto non exhibito, aliquem in RESPONDENTIUM numerum referre.

Procurator autem Junior, ubi tandem, modo supra præscripto, de iis omnibus qui in Termino aliquo respondere velint, certior factus fuerit, tenetur statim nomina eorum in Schedulam referre, serie Alphabetica; deinde Schedulam istam Chirographo suo munitam, et typis mandatam, sub hoc titulo,

[*Ordo* RESPONDENTIUM *Termino* A. D.]

ad Vice-Cancellarium, ad singulos Collegiorum et Aularum Præfectos, ad Procuratorem Seniorem, ad singulos Magistros Scholarum, et ad cujuslibet Collegii vel Aulæ Refectorium tam publicum quam privatum Magistrorum deferri, et ostiis etiam Bibliothecæ Bodleianæ, Scholæ Metaphysices, et Apodyterii Venerabilis Domus Convocationis affigi, curabit: quæ omnia ita agenda sunt, ut, si fieri potest, bini dies integri inter Schedulam hanc publici juris factam et RESPONSIONES inchoandas interjiciantur.

Et hæc Schedula Procuratoria, modo et forma præscriptis publicata, pro omni qualicunque licentia, monitione, et notificatione, tam ab ipsis Scholarum Magistris, quam a RESPONDENTIBUS, habenda et accipienda est.

§. 3. *De Forma et Modo* Responsionum.

Responsionibus habendis assignetur Schola Metaphysices, vel alius quicunque locus intra septa Scholarum, per Vice-Cancellarium et Procuratores assignandus. Magistri Scholarum ibi se conferant diebus in Terminis Michaelis, Hilarii, et Trinitatis, supra præscriptis, et hora decima matutina; et deinde continuentur Responsiones (donec de omnibus Respondentibus provisum fuerit) a die in diem, nisi ob causam aliquam rationabilem Magistris Scholarum aliter visum fuerit; quo in casu monentur ut de die quem continuandis Responsionibus destinaverint Academiam certiorem faciant, Schedula monitoria ad Collegiorum et Aularum Præfectos deferenda, ad portam insuper Refectorii vel Promptuarii cujusque Collegii et Aulæ, et ad portam Scholæ Metaphysices, per Æditum Universitatis ad minimum ante meridiem diei præcedentis affigenda. Formula vero Schedulæ hæc esto:

Responsiones *in Parviso in diem* *prorogantur.*

A. B.

C. D.

Hora autem decima matutina in Responsionibus uniuscujusque diei incipiendis semper servetur. Excepto quod in die aliquo festo Responsiones non incipiantur nisi post concionem publice coram Universitate habitam.

Respondentes vero juxta ordinem Schedulæ Procuratoriæ a Magistris Scholarum nominatim ad respondendum citentur. Qui citatus non adfuerit, nisi ex causa rationabili per Vice-Cancellarium approbanda, omni loco in Responsionibus istius Termini privetur; neque ad respondendum in alio Termino admittatur, nisi iterum coram Procuratore Juniore nomen suum professus fuerit; et citetur proximus, sub eadem lege, et sic deinceps. Quod si Vice-Cancellarius causam aliquam absentiæ ratam habuerit, extremus tamen locus in Schedula isti Respondenti assignetur. Proviso semper, quod non plures quam Octo eodem die ad respondendum admittentur.

TITULUS IX.

SECTIO II.

DE EXAMINANDIS GRADUUM CANDIDATIS PER MAGISTROS NECESSARIO REGENTES.

Placuit Universitati Statutum A. D. MDCCCXXX. conditum emendare; scilicet,

§. 1, post verba "Quo innotescat certius Congregationi Regentium eruditio et in bonis literis progressus eorum qui primum sibi Gradum, sive in Artibus, sive in Jure Civili"[a], et ante verbum "petunt";

Item, post verba "quorum omnium et singulorum munus erit Candidatos qui primum sibi Gradum sive in Artibus, sive in Jure Civili"[b], et ante verbum "petunt";

Item, §. 3, post verba "juxta prioritatem præsentationis suæ sive ad Gradum Magistri in Artibus, sive ad Baccalaureatum in Jure Civili"[c], et ante verba "Denique hanc Schedulam",

inserendo verba "sive in Medicinâ".

§. 1. Item, post verba "sint ex eorum numero qui vel aliquando in Artibus inceperint, vel Baccalaureatu saltem in Jure Civili", et ante verba "insigniti fuerint"[d], inserendo verba "aut in Medicina".

Item, omissis verbis "si modo in Artibus vel in Jure Civili inceperint"[e], post verba "Examinatores singuli"[e], et ante verba "intra[f] Scholarum præcinctus"; inserendo, post verba "atque insuper durante officio suo"[f], et ante verba "(sicut Magistri Scholarum)", verba "si modo in Artibus, vel in Medicina, vel in Jure Civili inceperint".

[a] Addenda, Corp. Stat., 4to. 1830, p. 261, l. 10. [b] Ib., l. 21. [c] P. 274, l. 12. [d] P. 261, l. 30. [e] P 262, l. 33, 34. [f] Ib., l. 36.

TITULUS IX.

SECTIO II.

DE EXAMINANDIS GRADUUM CANDIDATIS PER MAGISTROS NECESSARIO REGENTES.

§. 1. *De Examinatoribus designandis, et juramento onerandis, per Seniorem Procuratorem.*

Corpus Statutorum p. 71. Addenda pp. 115. 157. 185. 198. 213. 227.

QUO innotescat certius Congregationi Regentium eruditio et in bonis literis progressus eorum qui primum sibi Gradum, sive in Artibus, sive in Jure Civili, sive in Medicina, petunt; Statutum est, quod unusquisque nondum Graduatus, antequam ad supplicandum pro Gratia admittatur, examen subeat.

Compluribus autem de causis, præsertim in hac juvenum Academicorum frequentia, unde plus æquo et curæ et laboris, cum gravi temporis dispendio, Examinatoribus imponi vidimus, placuit Academiæ Statuta de ista re A. D. 1825 et A.D. 1826 condita abrogare, et præsens Statutum in eorum locum subrogare.

In posterum septem sunto Examinatores Publici, quorum omnium et singulorum munus erit Candidatos qui primum sibi Gradum sive in Artibus, sive in Jure Civili, sive in Medicina petunt, in Literis Humanioribus examinare. Qui tamen Examinatores, ut de uberiore Candidatorum quorundam tum in Literis Humanioribus, tum in Disciplinis Mathematicis et Physicis profectu exactior fiat perscrutatio, in duas tandem Scholas distribuendi sunt; quatuor scilicet in Scholam Literarum Humaniorum, tres itidem in Scholam Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum. Hi vero Examinatores Publici sint ex eorum numero qui vel aliquando in Artibus inceperint, vel Baccalaureatu saltem in Jure Civili, aut in Medicina, insigniti fuerint, per Vice-Cancellarium et utrumque Procuratorem, ex ipsorum consensu, nominandi, et deinceps a Venerabili Domo Convocationis pariter ac Congregationis approbandi; ita ut prima nominatio penes Vice-Cancellarium sit, secunda penes Procuratorem Seniorem, tertia penes Procuratorem Juniorem; et hic ordo nominationum in perpetuum servetur. Et ut omnia in

hoc negotio cautius fiant et integrius, ista nominatio primum quidem in Congregatione Domui significetur; deinde in proxima Congregatione Examinatorum Nomina sigillatim suffragiis Regentium permittantur; et tandem post tres dies in frequenti Convocatione, eodem modo, a Domo approbanda demum, seu improbanda, proponantur. Cauto semper, quod hæc Examinatorum designatio ita fiat, ut duo Examinatores ex eodem Collegio, vel Aula, nunquam in eadem Schola simul existant.

Ex hisce Examinatoribus officio suo cedant quotannis duo in Schola Literarum Humaniorum; in Schola autem Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum alternatim vel unus vel duo, prout res exegerit, ii nempe qui priores ad officium suum nominati fuerint; ita ut e numero septenario cuique Examinatori post exactum biennium officii sui sit terminus. Subrogentur autem in eorum locum tot alii quot ad numerum septenarium explendum sufficiant, a Vice-Cancellario et Procuratoribus, modo et ordine supra definitis, nominandi, et sub forma etiam supra definita a Venerabili Domo Convocationis pariter et Congregationis approbandi.

Proviso semper, quod nemo, qui Examinatoris officio per biennium integrum functus fuerit, eodem officio in eadem Schola, nisi post annum elapsum, iterum fungatur.

In proximo tamen post statutum hocce conditum anno, donec eo res processerit ut Examinatores suo quisque ordine vicissim cedant, junioris erit loco cedere, nisi aliter Examinatores inter se statuant.

Examinatores singuli, intra Scholarum præcinctus, singulis diebus EXAMINATIONIS, Procuratoribus absentibus, Procuratoria auctoritate muniantur, atque insuper durante officio suo, si modo in Artibus, vel in Medicina, vel in Jure Civili inceperint (sicut Magistri Scholarum) sint Regentes ad placitum. Omnes autem et singuli in Domo Congregationis, antequam munus suum ineant, per Seniorem Procuratorem juramento onerentur, in hæc verba:

Domine Doctor, vel *Magister*, vel *Domine, tu jurabis, quod munus et officium Examinatoris Publici sedulo et fideliter pro virili exequêris, forma et modo per Statuta requisitis.* Resp. *Juro.*

Item tu jurabis, quod, sepositis omni odio et amicitia, timore et spe, neque indigno cuivis testimonium perhibebis, neque digno denegabis, et quod in Schedula Candidatorum ordinanda classem unicuique secundum merita sua assignabis, et neque indignum aliquem admittes, neque dignum repudiabis. Resp. *Juro.*

Item tu jurabis, quod nullo modo revelabis suffragium quod vel ipse tuleris, vel alius quivis Examinator tulerit, in judicio de Candidatorum meritis pronunciando. Resp. *Juro.*

De Statutis his rogandis consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die primo mensis Junii; relata sunt in Domo Congregationis die decimo quinto mensis Junii, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicata et confirmata die decimo octavo mensis Junii Anno Domini MDCCCXL.

STATUTUM NOVUM

DE DISCIPLINA THEOLOGICA.

QUUM Regia Majestas Lecturas duas publicas per Literas Patentes in Universitate Oxon. gratiose constituerit et fundaverit, unam scilicet in Theologia, quam vocant, Pastorali, (quo nomine continentur Pastoralis muneris disciplina, conciones sive homilias scribendi et habendi ratio, Liturgiarum cum Rubricis historia, et alia ejusdem generis,) alteram in Historia Ecclesiastica, veterumque Patrum scriptis; atque etiam Universitati benigne permiserit, ut temporis spatium, per quod singulis annis illarum disciplinarum Professores in Universitate residere tenentur, ad usus suos digerat et accommodet, necnon ut Professoribus conditiones præscribat de lectionibus legendis et auditoribus erudiendis et examinandis; porro quum in tota re Theologica hodie opus sit majori et labore et subsidio, quo melius et accuratius ad Sacros Ordines instituantur studiosi; statuit et decrevit Universitas in his verbis:

SECTIO I.

De Professoribus.

1. Uterque Professor quotannis per sex menses in Universitate residebit inter decimum diem Octobris et primum diem Julii sequentis.

2. Præleget uterque Professor singulis terminis assidue per sex septimanas, quatuor ad minimum diebus in qualibet septimana, facta prius, prout Statuta requirunt (Tit. IV. Sect. 2. §. 2.) publica per schedulas monitione. In hac autem parte pro uno æstimandi sunt termini Paschatis et S. Trinitatis.

3. Præter lectiones in quibus materiam suam generatim tractabit Professor uterque, catecheticas etiam lectiones habebit, in quibus scriptorem aliquem sive veterem sive recentiorem discutiet, verba ejus citando, conferendo, et de eorum sensu auditores interrogando: in quem finem curabit ne singulæ auditorum Classes justo numerosiores fiant.

4. In ceteris Theologiæ partibus, Dogmatica scilicet, Exegetica, et Symbolica, lectiones habendæ sunt a Regio S. Theologiæ Professore et D. Margaretæ S. Theologiæ Prælectore, sicut jampridem consuetum est (Tit. IV. Sect. I. §§. 17, 18.) Necnon Linguæ Hebraicæ Professor Regius e Sacræ Scripturæ fontibus quæcunque ad illius Linguæ Grammaticam et Sermonis proprietatem pertinent explicabit (Tit. IV. Sect. I. §. 10.)

5. Singulis Terminis unusquisque Professor Auditorum suorum nomina in Registrum referet, in quo etiam notabit quot lectionibus singuli auditores interfuerint.

SECTIO II.

De Scholaribus.

1. Scholares in S. Theologia habendi sunt ii, qui, postquam Examen publicum in Artibus secundum Statuta subierint, nomina sua ad quemlibet Professorum prædictorum detulerint.

2. Unusquisque Scholaris tenebitur viginti ad minimum Lectionibus in quacunque serie interesse. Neque licebit Professori testimonium alicui perhibere, nisi ei constiterit dictum Scholarem et præsentem fuisse et attento animo audivisse. Testimonii vero hæc erit formula:

A. B. e Coll. vel *Aul.* *Lectiones meas per terminum* *anni secundum statuta audivit. Ita testor*

C. D. Professor ——

SECTIO III.

De Examinationibus.

1. Bis in quolibet anno, terminis scilicet Hilarii et S. Trinitatis, publicæ habebuntur in S. Theologia Examinationes, loco a Vice-Cancellario designando.

2. Nullus Scholaris se examinandum sistet, nisi quatuor Terminos post publicum suum in Artibus examen compleverit, et sex ad minimum lectionum Theologicarum seriebus assiduum se et attentum auditorem præstiterit. Cuivis tamen licebit pro una harum lectionum serie seriem lectionum Hebraicarum substituere. Cauto semper, ne quis plures quam duas series in quovis termino pro forma audiat.

3. Ineunte Termino Hilarii quotannis convenient quatuor in S. Theologia Professores una cum Professore Regio linguæ Hebraicæ, ut ex ipsorum numero duos Examinatores in annum instantem eligant; et si forte in quovis eligendo præsentium suffragia æqualiter divisa fuerint, eligetur is, cui suffragatus sit S. Theologiæ Professor Regius, vel, eo absente, senior quoad gradum Professor. Quibus Examinatoribus ita electis, et Vice-Cancellario subinde renuntiatis, tertium aliquem Examinatorem e graduatis in S. Theologia cooptabit ipse Vice-Cancellarius a graduatis in Sacra Theologia solenniter convocandis approbandum.

4. Duabus ad minimum ante habendam Examinationem septimanis Universitatem de ea re certiorem facient Examinatores, schedula his verbis concipienda, et usitatis modis pervulganda:

Die mensis in schola habenda est Publica Examinatio Scholarium in Sacra Theologia.

A. B.
C. D. } *Examinatores in Sacra Theologia.*
E. F.

5. Tertio ad minimum die ante inchoandam Examinationem ad Seniorem Examinatorem nomina sua Scholares curabunt deferri, quicunque se examinandos sistere velint, et simul Testimonium sibi secundum Statutum Tit. IX. Sect. 2. §. 3, a Publicis Examinatoribus perhibitum exhiberi, una cum aliis testimoniis, unde constare possit se præsenti statuto de Professoribus audiendis satisfecisse. Quo peracto, nomina eorum in seriem alphabeticam rediget Examinator Senior, et publici juris faciet, schedula monitoria ad fores Scholæ Theologicæ adfigenda.

6. Examinatoribus licebit in qualibet materia, de qua prælegerint Professores, Scholares examinare, habita tamen semper Theologiæ Symbolicæ, Exegeticæ, et Pastoralis ratione.

7. In uniuscujusque examine præsentes erunt tres illi Examinatores, nisi cui ob urgentem aliquam causam absentiæ veniam concesserit Vice-Cancellarius; quo in casu alium, qui in Sacra Theologia aliquando inceperit, in absentis locum Vice-Cancellarius substituet.

8. Fiet uniuscujusque examen partim viva voce, partim in scriptis, prout Examinatoribus melius expedire videbitur.

9. Post finitam uniuscujusque diei examinationem de examinatis inter se judicium ferent Examinatores, et quemcunque dignum invenerint, ei testimonium perhibebunt sub hac forma:

A. B. e Coll. vel *Aul.* *Scholaris in Sacra Theologia die mensis et anni examinatus prout statuta requirunt satisfecit nobis Examinatoribus. Ita testamur*

A. B., *C. D.*, *E. F.* } *Examinatores in Sacra Theologia.*

10. Eorum autem omnium qui Testimonium obtinuerint nomina unoquoque Examinationis die in Registro peculiari inserentur penes Professorem S. Theologiæ Regium post finitas Examinationes adservando; ita ut si de ista re quæstio aliquando oriatur, ad Registrum hoc perpetuo possit appellari.

11. Si forte contingat aliquem hujusmodi testimonio indignum reperiri, licebit tamen illi in sequente aliquo termino examinandum iterum se sistere.

12. Peracta demum uniuscujusque Termini Examinatione omnium qui Examinatoribus satisfecerint nomina in schedulam serie alphabetica dispositam rediget Examinator Senior; quam quidem schedulam ad fores Scholæ Theologicæ adfigi curabit sic inscriptam:

Nomina eorum qui Termino A. D. Titulo CANDIDATORUM IN SACRA THEOLOGIA insigniti sunt.

A. B., *C. D.*, *E. F.* } *Examinatores in Sacra Theologia.*

13. Denique, quod ad Examinationes attinet, effectum habebit hoc Statutum Termino Hilarii M.DCCC.XLIV.: quod ad Lectiones, si modo fieri poterit, termino Michaelis proxime instanti.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et re mature perpensa, convenerunt in Terminos die vicesimo nono mensis Aprilis: relatum est in Domo Congregationis die nono mensis Maii; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die duodecimo ejusdem mensis Anno Domini MDCCCXLII.

STATUTUM DE PROFESSORE EXEG. S. SCRIPTURÆ.

Statutum de Professore Exegeseos S. Scripturæ a viro valde reverendo D. Doctore Ireland instituto.

Quum vir valde reverendus Joannes Ireland S. T. P. Ecclesiæ Divi Petri Westmonasteriensis Decanus pro abundanti ejus erga Universitatem studio et amore pecunias testamento * legaverit, quibus acceptis consilii de disciplina theologica tunc temporis ab Universitate initi et jam tandem ad finem perducti adjutor atque particeps fieret, his autem præscriptis conditionibus, scilicet ut institueretur Professor Sacræ Scripturæ exegeseos, ut penes ædium Præfectos

---

* *Excerptum ex Testamento D. Doctoris Ireland in Ven. D. Convocationis lectum et approbatum.*

" .... And upon Trust to pay or transfer the sum of Ten Thousand Pounds " Three per Cent. Consolidated Annuities to the Chancellor, Masters, and Scholars of " the University of Oxford, that they may apply the interest and dividends of the said " sum as hereinafter mentioned; that is to say, for the promotion of a Scheme of Edu- " cation which is now in progress in the said University, under the management of a " Committee of Heads of Houses, for the more complete instruction of Students, parti- " cularly such as are destined for the Church. And I direct the said Chancellor, " Masters, and Scholars, to appropriate the interest and dividends of the said sum of " Ten Thousand Pounds for the benefit of a Professor, whose department shall be the " '*Exegesis* of Holy Scripture,' as is recommended by the above Committee, other " parts of Theology being already allotted to other Professors under the general scheme. " And I further direct that the said Professor shall be appointed by the Heads of Col- " leges and Halls, and not by a smaller body of Trustees, or the University at large. " And also, that the said Professor shall be directed by Convocation in the detail of his " duties as occasion may require, and that he shall reside at Oxford six months in every " year, or lose his appointment. Provided always, and in case the above mentioned " Scheme of Education shall at any time, either before or after my death, be abandoned, " and it shall be found impossible to carry my said directions into effect, then and in " that case I direct the Chancellor, Masters, and Scholars for the time being of the said " University, to apply the interest, dividends, and annual produce of the said sum of " Ten Thousand Pounds Three per Cent. Consolidated Annuities for and towards the " support of the Established Religion of England generally, or to the promotion of " Literature and Science within the University, as Convocation shall determine."

Præfectos foret jus Professoris eligendi, ut quotannis per sex menses in Universitate dictus Professor resideret sub pœna amotionis, et ut de munere ejus, prout postularet occasio, decerneret Ven. Domus Convocationis; porro quum hoc legatum Die primo Decembris 1842 acceperit Ven. Domus Convocationis, et conditiones supradictas subierit, idcirco statuit ac decrevit Universitas in his verbis:

Dictus Professor munere suo fungetur legendo, examinando, et cetera omnia faciendo secundum facultates et conditiones in Statuto die duodecimo mensis Maii anni 1842 publicato et confirmato expressas, perinde ac si in eodem Statuto una cum ceteris Theologiæ Professoribus numeratus esset et descriptus.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et re mature perpensa, convenerunt in Terminos die vicesimo septimo mensis Februarii; relatum est in Domo Congregationis die sexto mensis Martii; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die nono ejusdem mensis anno Domini MDCCCXLIII.

TITULUS XV.

DE MORIBUS CONFORMANDIS.

Sect. 14. *De Vehiculis.*

Statutum est, quod Scholares omnes ab usu Vehiculorum, quibus invehi solent ipsi aurigantes, quocunque nomine dicta sint, prorsus abstineant, nisi cui propter infirmam valetudinem aut rationabilem aliquam causam licentia cum consensu Præfecti Domus suæ aut ejus vicem gerentis a Procuratoribus concessa sit. Quod si quis secus fecerit, pro prima vice centum solidis vel ad minimum quadraginta solidis Universitati mulctetur, pro secunda vice per unum terminum, pro tertia per annum integrum ab Universitate banniatur. Si quis autem quarta vice hac in parte deliquerit, ab Universitate expellatur. Proviso semper quod nomina singulorum quibus aliquam pœnam hoc Statuto sancitam vel Vice-Cancellarius vel Procuratores irrogaverint in Registro quodam peculiari penes Procuratores asservando inserantur.

Corp. Stat. p. 145.

Insuper Oppidani qui, contra formam hujus statuti, istiusmodi vehicula Scholaribus elocasse deprehensi fuerint, pro prima vice quadraginta solidos, pro secunda centum solidos, Universitati numerent. Si tertio autem deliquerint, per sex menses; si quarto, iis per totum annum, commercium cum Academicis interdicatur.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die vicesimo secundo mensis Maii; relatum est in Domo Congregationis die vicesimo septimo mensis ejusdem; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die tricesimo primo ejusdem mensis Maii anno Domini MDCCCXLIII.

TIT. XX. §. 4.

[Placuit Universitati clausulam quæ sequitur, Tit. xx. §. 4. abrogare: "interim vero, cessante hujusmodi impendii occasione, quicquid est hujus Proventus, (quod Universitati honorificum juxta ac utile futurum est) in instruendam et alendam publicam Universitatis typographiam impendatur; ad manuscripta volumina quamplurima, tum Græca, tum Latina, modo in Bibliotheca publica sepulta, (indigna certe, quæ cum blattis ac tineis usque rixentur) aliquando in lucem protrahenda;" et paragraphum novum Tit. xvi. §. 9. subrogare.] Corpus Stat. p. 188.

TITULUS XVI.

§. 9. *De Concionatoribus remunerandis.*

Cum nihil fere vel ad veram religionem vel ad ipsius Academiæ dignitatem promovendam magis pertinere videatur, quam ut sacræ conciones rite peragantur, cumque æquum omnino ac justum sit, ut iis, qui gravissimo hoc munere funguntur, condigna quodammodo remuneratio accedat: Statutum est, quod, curante Vice-Cancellario, cuilibet concionatori statim post habitam concionem pro re nata hæ quæ sequuntur summæ per superiorem Sacræ Theologiæ Bedellum semper solventur: Addenda, pp. 151—153.

Cuilibet concionem extraordinariam, vernaculo sermone, ad ecclesiam Beatæ Mariæ coram Universitate habenti (excepto prælectore Bamptoniano) sex libræ ac sex solidi;

Cuilibet, die Dominico vel die Festo intra terminum ad Ecclesiam B. Mariæ coram Universitate concionem habenti, quinque libræ ac quinque solidi;

Denique, cuilibet die Dominico vel die Festo extra terminum

ad Ecclesiam B. Mariæ coram Universitate concionem habenti, quatuor libræ ac quatuor solidi.

In hos autem usus præ cæteris assumantur,

1. Pecuniæ vulgo vocatæ "Gallery Culets."
2. Quod superest annuatim e pecuniis vulgo vocatis "School money," in usum Preli (Tit. xx. §. 4.) jam pridem assignatum, et hodie a Delegatis pro supervacaneo habitum.
3. Annui proventus e pecuniis ad concionatores remunerandos numerosius olim exactis, et in publici ærarii sortibus fœnore positis.

Porro, curet Vice-Cancellarius ut Bedello qui nunc est, pro studio ejus et labore, pensio, juxta Decretum Convocationis 14° Junii 1819 sancitum, e fisco Academiæ numeretur.

Cæterum, vacante tandem Bedelli officio, hanc pensionem judicio suo minuant Delegati ad rationes computandas assignati.

Statutum est etiam, quod de pecuniis omnibus ab Academia juxta hanc Ordinationem receptis et expensis Vice-Cancellarius quotannis rationem reddet.

De Statutis his rogandis consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die duodevigesimo mensis Maii; relata sunt in Domo Congregationis die vigesimo quinto ejusdem mensis, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicata et confirmata die vigesimo septimo mensis Maii anno Domini MDCCCXLVI.

TITULUS VI.

SECTIO V.

§. 4. *De Examinatoribus remunerandis.*

Statutum est, quod Candidatus unusquisque, cum inter Examinandos refertur, in manus Bedelli superioris in Medicina deponat viginti solidos, et, examine peracto, priusquam ad supplicandum pro gradu Baccalaurei in Medicina admittatur, ejusdem Bedelli in manus persolvat novem libras, feodis, quæ Regio Professori antiquitus persolvebantur, abolitis. Hæ pecuniæ a Bedello ad Vice-Cancellarium deferantur, qui, aliis insuper, si opus fuerit, e Cista Academica depromptis, id semper curabit, ut Regio Professori, vel Doctori, qui ejus vicem gerat, annuatim XV librarum, et reliquorum Examinatorum unicuique, habita Examinatione, X librarum pensio persolvatur.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos, die primo mensis Februarii A. D. MDCCCXLVII; *relatum est in Domo Congregationis die quinto decimo mensis ejusdem, tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die duodevigesimo mensis ejusdem Februarii anno Domini* MDCCCXLVII.

STATUTUM NOVUM DE DISCIPLINA THEOLOGICA.

Addenda, p. 329.

Placuit Universitati Sect. I. par. 2. l. 2. abrogare "quatuor" et subrogare "tribus".

Sect. II. par. 2. l. 1. abrogare "viginti" et subrogare "sedecim".

Sect. III. par. 2. l. 1. abrogare "Terminos post publicum suum in Artibus examen compleverit, et sex".

par. 3. l. 1. abrogare "quatuor".

STATUTUM DE PROFESSORE EXEG. S. SCRIPTURÆ.

Addenda, p. 334. l. 9.

Placuit Universitati abrogare "conditiones in Statuto die duodecimo mensis Maii anni 1842 publicato et confirmato expressas," et subrogare "conditiones in Statuto novo de Discipl. Theolog. jam expressas vel in posterum exprimendas".

De Statutis his rogandis consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die tertio mensis Maii; relata sunt in Domo Congregationis die undecimo ejusdem mensis, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam, tandem in Convocatione publicata et confirmata die quarto decimo mensis Maii anno Domini MDCCCXLVII.

CLAUSULÆ QUÆDAM ABROGATÆ IN STATUTIS BIBLIOTHECÆ PUBLICÆ BODLEIANÆ.

" Nexu Conjugali, quemadmodum et Beneficio Curato (nisi " prope adjuncto) solvatur. Neque enim pietati consonum esse " potest, ut tanto oneri, simul cum publicis occupationibus, fe-" rendo sit ; et Conjugium domesticis plerumque negotiis sic " abundat, ut otium suppetere non possit sui copiam in dies sin-" gulos exhibendi." Corp. Stat. Append. p. 6.

" Uti Bibliothecarius ipse." Addenda, p. 200.

" Absolvatur autem Bibliothecarius conditionibus quibus nunc " tenetur neque matrimonium contrahere, neque Beneficium cu-" ratum nisi prope adjunctum in se recipere. Et in posterum tam " Bibliothecario quam Hypobibliothecariis expresse permissum " esto, non modo ut Beneficia curata possideant, sed etiam ut post " electionem, vel admissionem, matrimonium contrahant." Addenda, p. 202.

CLAUSULA SUBROGATA.

Bibliothecario autem et Hypo-Bibliothecariis in posterum eligendis interdicatur ne curae animarum uspiam inserviant. Addenda, p. 202.

De Statutis his rogandis consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die quinto decimo mensis Novembris; relata sunt in Domo Congregationis die vicesimo secundo mensis Novembris, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam: tandem in Convocatione publicata et confirmata die vicesimo quinto ejusdem mensis Novembris Anno Domini MDCCCXLVII.

TITULUS VI.

DE TEMPORE AD GRADUS CAPESSENDOS REQUISITO ET EXERCITIIS PRO FORMA PRÆSTANDIS.

SECTIO I.

DE TEMPORE ET EXERCITIIS REQUISITIS AD GRADUM BACCALAUREI IN ARTIBUS.

[Placuit Universitati Tit. VI. Sect. I. §§. 2. 3. 4. 5 abrogare et in eorum loca §§. 2. 3. 4. 5, qui sequuntur subrogare.]

§. 2. *De Exercitiis præstandis pro Gradu Baccalaurei in Artibus.*

Statutum est, ut priusquam quis ad Gradum Baccalaurei in Artibus admittatur, in Parviso semel Quæstionibus Magistrorum Scholarum respondeat.

2 Responsionibus autem hisce assignentur Terminus Hilarii a die Lunæ post primam Dominicam mensis Februarii, et Terminus Trinitatis a die Lunæ post Dominicam Trinitatis. Quod si forte initium Responsionum in diem Festum inciderit earumdem inchoatio in diem proximum differatur. Qui autem in utrovis horum Terminorum responsuri sunt, nomina sua, vel per se, vel per Tutores suos, coram Procuratore Juniore profiteantur, in Libro penes ipsum asservato, et in Terminos hosce rite distributo, inserenda; hac tamen lege, nequis serius quam triduo (ita ut tres dies integri supersint) ante Responsiones inchoandas Procuratorem de hac re adeat. Quo etiam tempore teneatur unusquisque Candidatus Schedulam, nomine suo signatam, rerum et librorum in quibus se responsurum profitetur, Procuratoris in manus tradere. Has vero Schedulas ad Magistrum Scholarum seniorem Procurator deferri curet.

3 Nemini autem Responsio sua cedat pro forma ante inchoatum a tempore matriculationis suæ tertium, nec post finitum septimum Terminum; exceptis iis quibus indulget Academia, ut integro triennio in Studiis Academicis completo ad Gradum promoveantur.

Vide Tit. VI. Sect. I. §. 1. Corp. Stat. p.25. Addend. p. 174.

Horum unicuique Responsio sua cedat pro forma post inchoatum secundum terminum et ante sextum finitum.

4 Si quis autem infirma valetudine aut alia gravi causa impeditus intra Terminos supra præfinitos non responderit, illi tamen liceat, cum consensu Vice-Cancellarii et Procuratorum, sequenti aliquo Termino respondere. Sin aliquis Vice-Cancellario et Procuratoribus in hac parte minus satisfecerit, illi tamen aditum ad Gradus omnino interdicere nolumus. Suspendatur vero a Gradu per unum Terminum aut plures, pro numero scilicet Terminorum quibus sese, post finitum a tempore matriculationis suæ sextum Terminum, ad respondendum sistere omiserit. Meminerint igitur Decani vel Censores Collegii cujuscunque vel Aulæ, sibi non licere cujusquam, qui in hac parte deliquerit gratiam in V. Domo Congregationis proponere, nisi lapso Termino, vel lapsis Terminis, prout supra statutum est, post annos a tempore matriculationis ejusdem ad primum quem ambit gradum, per Statuta usitate requisitos.

5 Procurator autem Junior, ubi tandem, modo supra præscripto, de iis omnibus qui in Termino aliquo respondere velint, certior factus fuerit, statim nomina eorum secundum seriem Literarum disposita in Schedulam referat; deinde Schedulam istam Chirographo suo munitam, et typis mandatam, sub hoc titulo,

[*Ordo* RESPONDENTIUM *Termino* A. D.]

ad Vice-Cancellarium, ad singulos Collegiorum et Aularum Præfectos, ad Procuratorem Seniorem, ad singulos Magistros Scholarum, et ad cujuslibet Collegii vel Aulæ Refectorium tam publicum quam privatum Magistrorum deferri, et ostiis etiam Bibliothecæ Bodleianæ, Scholæ Metaphysices, et Apodyterii Venerabilis Domus Convocationis affigi curet: quæ omnia ita agenda sunt, ut, si fieri potest, duo dies integri inter Schedulam hanc publici juris factam et Responsiones inchoandas interjiciantur.

6 Et hæc Schedula Procuratoria, modo et forma præscriptis publicata, pro omni qualicunque licentia, monitione, et notificatione, tam ab ipsis Scholarum Magistris, quam a Respondentibus, habenda et accipienda est.

§. 3. *De Forma et Modo Responsionum.*

Responsionibus habendis assignetur Schola Metaphysices, vel alius quicunque locus intra septa Scholarum, a Vice-Cancellario et Procuratoribus assignandus. Magistri Scholarum ibi se conferant diebus in Terminis Hilarii et Trinitatis supra præscriptis, et hora decima matutina; et deinde continuentur Responsiones (donec de omnibus Respondentibus provisum fuerit) de die in diem, nisi ob causam aliquam rationabilem Magistris Scholarum aliter visum fuerit; si vero talis causa orta fuerit, monentur Magistri ut de die quem continuandis Responsionibus destinaverint Academiam certiorem faciant, Schedula monitoria ad Collegiorum et Aularum Præfectos deferenda, ad portam insuper Refectorii vel Promptuarii cujusque Collegii et Aulæ, et ad portam Scholæ Metaphysices, per Æдituum Universitatis ad minimum ante meridiem diei præcedentis affigenda. Formula vero Schedulæ hæc esto:

Responsiones in Parviso in diem——prorogantur.

A. B.

C. D.

2 Hora decima matutina in Responsionibus uniuscujusque diei incipiendis servetur. Diebus autem Festis Responsiones non incipiantur nisi post concionem publice coram Universitate habitam.

3 Respondentes eo et numero et ordine citent Magistri Scholarum quo cum majore operæ compendio se officio suo satisfacturos fore arbitrentur.

4 Qui citatus non adfuerit, nisi ex causa rationabili a Vice-Cancellario approbanda, omni loco in Responsionibus istius Termini privetur; neque ad respondendum in alio Termino admittatur, nisi iterum coram Procuratore Juniore nomen suum professus fuerit; et citetur proximus, sub eadem lege, et sic deinceps. Quod si Vice-Cancellarius causam aliquam absentiæ ratam habuerit, extremus tamen locus in Schedula isti Respondenti assignetur.

5 Quæstiones autem in quibus exercendi sunt Respondentes ad Literas Humaniores, ad Arithmeticam, ad Algebraicam et ad Eu-

clidis Elementa Geometriæ spectent. Per Literas vero Humaniores, quod ad has Responsiones attinet, intelligimus Linguas Græcam et Romanam. Adhibentor igitur semper duo Scriptores melioris ævi et notæ, hoc est unus in utraque lingua, quorum fida requiratur interpretatio. Scriptores integros haud exigimus; id enim in primis spectandum esse volumus ut in explicandis ad accuratam Grammaticæ normam utriusque linguæ principiis, Respondentes Magistris Scholarum omnino satisfaciant.

6 Magistris Scholarum insuper explorandum incumbit, qua quisque polleat facultate animi sui sensa lingua Latina explicandi: id quod explorare potcrunt, porrecto aliquo libro, lingua vernacula conscripto, e quo Respondens oblatum quemcunque locum lingua Latina reddat; aut alio quocunque demum modo, prout ipsis commodius visum fuerit.

7 Iisdem autem quæstionibus, sive ad Elementa Disciplinarum Mathematicarum, sive ad Grammaticam pertineant, excutiendis, iisdem locis e Scriptoribus antiquis et nostratibus, Latine, Anglice, pro rei ratione, reddendis, vel alio quocunque demum modo, Magistris Scholarum liceat complures simul pertentare. Et ut hæc Responsionum pars cautius et integrius peragatur, quæstiones istæ, et loci quicunque ab una lingua in alteram reddendi Respondentibus proponantur, omnium et singulorum Magistrorum Scholarum, si commode fieri poterit, judicio subjiciantur et approbentur. Quinetiam si propter loci angustias, vel quamcunque aliam ob causam, expedire videatur, Candidati ad scribendum in aliam Scholam seorsim transferantur, vel si res aliter commode effici nequeat, in cæteris Responsiones aliquantum intermittantur. Candidatis vero inter scribendum unus saltem e Magistris Scholarum semper intersit et invigilet.

8 Respondentis uniuscujusque examen scriptis inchoatum viva voce omnino peragatur. Ne plures autem quam sedecim eodem die ad viva voce respondendum admittantur.

9 Cæterum quod ad Geometriam et Algebraicam attinet, Magistris Scholarum liberum esto vel in utraque disciplina, vel in una tantum, quæstiones suas proponere.

10 In omni hoc negotio, liceat aut Latino aut Anglicano idiomate uti, prout Magistris Scholarum magis expedire videbitur.

11 Unoquoque autem die, ubi visum fuerit Magistris Scholarum nullum alium Respondentem isto die citare, palam declaret Magister Scholarum Senior diem Responsionibus continuandis destinatum. Et post finitas Responsiones uniuscujusque diei alii omnes Schola excedant præter ipsos Magistros Scholarum, qui de Respondentibus inter se judicium ferant, ac quemcunque dignum invenerint, ei Testimonium, (in quo Testimonio notentur res et libri a Candidato adhibiti) perhibeant sub hac forma; mutatis tamen mutandis, prout rei ratio exegerit.

A. B. [Herod. Thalia, Melpomene; Virgil. Georg.; Euclid. lib. I. II. adhibitis;] [Soph. Œdip. Col., Antig.; Cic. In Verrem Orat. I. II.; Algebr. adhibitis] [die mensis et anni] Quæstionibus Magistrorum Scholarum in Parviso pro forma respondit.

Ita testamur { *C. D.* / *E. F.* }

12 Quod si forte contingat aliquem ejusmodi Testimonio indignum reperiri, illi tamen liceat in Responsionibus proxime sequentibus nomen suum coram Juniore Procuratore iterum profiteri, et sic deinceps.

§. 4. *De Officio ac Cura Vice-Cancellarii et Procuratorum circa Responsiones in Parviso.*

Quo Statutum hoc in futurum sancte et inviolabiliter observetur, volumus ut, in unoquoque Termino Responsionibus destinato, Vice-Cancellarius et Procuratores, singuli semel ad minimum, hisce Exercitiis intersint, exploraturi utrum omnia rite et secundum Statuta peragantur.

2 Scholaris etiam unusquisque, cum inter Respondentes refertur a Procuratore Juniore, persolvat quindecim Solidos. Hæ autem pecuniæ, finito anno, a Procuratore ad Vice-Cancellarium deferantur.

3 Volumus insuper, ut Registrum penes Magistros Scholarum in Schola Metaphysices adservetur, in quo eorum omnium qui Testimonium obtinuerint, non tantum nomina unoquoque die inserantur, sed etiam res et libri in quibus unusquisque responderit;

ita ut, si de istis quæstio aliquando oriatur, ad hoc Registrum perpetuo possit appellari.

4 Quoniam vero usu venit, ut dies et horas negotiis Academicis destinatas mutare interdum commodius reperiatur, fas sit Venerabili Domui Congregationis, proponente Vice-Cancellario, dies aut horas in hoc Statuto Responsionibus habendis assignatas mutare. Vice-Cancellarius autem, ante triduum Academiam certiorem faciat, si quando hujusmodi rem ad Venerabilem Domum Congregationis referendam censuerit.

§. 5. *De tempore intra quod habendi sunt Sophistæ Generales.*

Statutum est, ut Scholares in facultate Artium, qui Quæstionibus Magistrorum Scholarum in Parviso responderint, post duos demum annos in Universitate completos, et non antea, Sophistæ Generales, intermissa eos creandi formula, habeantur.

2 Denique Statutum hoc vim et effectum suum obtineat Termino Hilarii, anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo primo. In illius autem Termini Responsionibus, quæ coram Magistris Scholarum in Termino Trinitatis A. D. 1850 nominatis, habendæ sunt, Respondentes qui post Terminum Michaelis A. D. 1849 exactum in Matriculam Universitatis relati fuerint, agant omnia juxta formam hujusce statuti; cæteris vero qui ante Terminum Michaelis A. D. 1849 exactum in Matriculam Universitatis relati fuerint, liberum esto respondere et nomina sua coram Procuratore profiteri, vel juxta formam hujusce Statuti, vel juxta formam Statuti ante Terminum Hilarii A. D. 1851 vim Legis habentis. Nec in sequentibus responsionibus eadem denegetur facultas iis, si qui sint responsuri, qui ante Terminum Michaelis A. D. 1849 exactum in Matriculam Universitatis redacti fuerint.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die duodecimo mensis Februarii; relatum est in Domo Congregationis die decimo quinto mensis Martii, juxta Statuti in ea parte exigentiam triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo mensis Martii anno Domini 1849.

TITULUS IX.

SECTIO II.

DE EXAMINANDIS GRADUUM CANDIDATIS.

[Placuit Universitati hæc Statuta sancire; scilicet,]

§. 1. *De Examinationibus habendis.*

Quo innotescat certius Congregationi Regentium eruditio, et in bonis literis progressus eorum qui primum sibi Gradum, sive in Artibus, sive in Jure Civili, sive in Medicina petunt; Statutum est ut unusquisque nondum Graduatus antequam ad supplicandum pro Gratia admittatur, bis examen subeat.

§. 2. *De Moderatoribus in Prima Examinatione designandis et Juramento onerandis.*

Quod ad Primam Examinationem attinet, septem sunto Moderatores, quorum omnium et singulorum munus erit Candidatos in Literis Græcis et Latinis examinare. Qui tamen Moderatores, ut de uberiore quorundam Candidatorum, tum in Literis Græcis et Latinis, tum in Disciplinis Mathematicis, profectu exactior fiat perscrutatio, in duas tandem Scholas distribuendi sunt; quatuor, scilicet, in Scholam Literarum Græcarum et Latinarum, tres, itidem, in Scholam Disciplinarum Mathematicarum. Hi vero Moderatores sint ex eorum numero qui vel aliquando in Artibus inceperint, vel Baccalaureatu saltem in Jure Civili, aut in Medicina, insigniti fuerint. —— Et ut omnia in hoc negotio cautius fiant et integrius, ista Nominatio primum quidem in Congregatione Domui significetur; deinde in proxima Congregatione Moderatorum nomina sigillatim suffragiis Regentium permittantur: et tandem, post tres dies, in frequenti Convocatione, eodem modo a Domo ap-

probanda demum, seu improbanda, proponantur. Moderatorum autem ita fiat designatio, ut duo Moderatores ex eodem Collegio vel Aula nunquam in eadem Schola simul existant.

Ex hisce Moderatoribus officio suo cedant quotannis duo in Schola Literarum Græcarum et Latinarum; in Schola autem Disciplinarum Mathematicarum, alternatim vel unus vel duo, prout res exegerit, ii nempe qui priores ad officium suum nominati fuerint; ita ut e numero septenario cuique Moderatori post exactum biennium officii sui sit terminus. Subrogentur autem in eorum locum tot alii quot ad numerum septenarium explendum sufficiant, ab iisdem viris, modo et ordine supra definitis, nominandi, et sub forma etiam supra definita, a Venerabili Domo Convocationis pariter et Congregationis approbandi.

Cautum etiam sit, ut nemo, qui Moderatoris officio per biennium integrum functus fuerit, eodem officio in eadem Schola, nisi post annum elapsum, iterum fungatur.

Attamen post Moderatores hosce primum designatos, donec eo res processerit ut Moderatores suo quisque ordine vicissim cedant, Juniorum erit loco cedere, nisi aliter Moderatores inter se statuant.

Moderatores singuli intra Scholarum præcinctus, singulis diebus Examinationis, Procuratoribus absentibus, Procuratoria auctoritate muniantur; atque insuper, durante officio suo, si modo in Artibus, vel in Medicina, vel in Jure Civili inceperint, sint Regentes ad placitum. Omnes autem et singuli in Domo Congregationis, antequam munus suum ineant, per Procuratorem Seniorem Juramento onerentur in hæc verba:

Domine Doctor, vel *Magister*, vel *Domine*, *tu jurabis te munus et officium Moderatoris, sedulo et fideliter, sepositis omni odio et amicitia, spe et timore, pro virili exsecuturum, forma et modo per statuta requisitis.* Resp. *Juro.*

§. 3. *De Prima Examinatione habenda, et de Candidatorum admissione.*

Hisce Examinationibus habendis assignentur Terminus Michaelis et Terminus Paschatis. Termino autem Michaelis, octavo die mensis Novembris; et Termino Paschatis, die Jovis Dominicam tertiam post Festum Paschatis proxime sequente, inchoentur. Quod si forte initium alicujus Examinationis in diem Festum inciderit, inchoatio ejusdem in diem proximum differatur. Quod ad has Examinationes habendas attinet Terminus Paschatis et Terminus Trinitatis pro uno Termino reputentur.

Qui autem examen subituri sunt, nomina sua vel per se, vel per Tutores suos, coram Procuratore Juniore profiteantur, in Libro penes Procuratorem Juniorem asservato, et in Terminos hosce rite distributo, inserenda: quo etiam tempore, teneatur Candidatus unusquisque Schedulam nomine suo signatam rerum et librorum in quibus sese examinandum profitetur, in Procuratoris manus tradere; hac tamen lege ne quis serius quam sexto die ante Examinationem inchoandam Procuratorem de his rebus adeat.

Nemini autem examen suum cedat pro forma, qui vel ante inchoatum a tempore Matriculationis suæ Terminum Octavum, vel post finitum Duodecimum se examinandum stiterit; exceptis iis quibus indulget Academia ut, integro triennio in studiis Academicis completo, ad Gradum promoveantur. Hisce liceat post inchoatum Sextum Terminum, et ante Decimum finitum, examen subire.

Si quis autem infirma valetudine aut alia gravi causa impeditus, intra Terminos supra præfinitos non subierit examen primum, illi tamen liceat cum consensu Vice-Cancellarii et Procuratorum, sequente aliquo Termino sese examinandum sistere. Sin aliquis Vice-Cancellario et Procuratoribus in hac parte minus satisfecerit, illi tamen aditum ad Gradus omnino præcludere nolumus. Suspendatur vero a Gradu, per unum Terminum aut plures, pro numero scilicet Terminorum quibus sese, post finitum a tempore Matriculationis suæ undecimum Terminum, ad Primum Examen subeundum

sistere omiserit. Meminerint igitur Decani vel Censores cujuscunque Collegii vel Aulæ sibi non licere cujusquam qui in hac parte deliquerit Gratiam in V. Domo Congregationis proponere, nisi lapso Termino, vel lapsis Terminis, prout supra Statutum est, post annos a tempore Matriculationis ejusdem ad primum quem ambit Gradum per Statuta usitate requisitos.

Nemo autem ad Primum Examen subeundum admittatur nisi qui Quæstionibus Magistrorum Scholarum in Parviso pro forma responderit. Testimonium Responsionis suæ in Parviso, sub Chirographo duorum e Magistris Scholarum, quilibet Candidatus per se vel per Tutorem suum coram Juniore Procuratore teneatur exhibere, eo ipso tempore quo et nomen suum inter Candidatos profitetur; neque Procuratori liceat, Testimonio isto non exhibito, quemquam in Candidatorum numerum referre.

Procurator autem Junior, ubi tandem, modo supra præscripto, de iis omnibus, qui sese Candidatos in Termino aliquo profiteri velint, certior factus fuerit, teneatur statim nomina eorum secundum usitatam seriem Literarum disposita in Schedulam referre; deinde, Schedulam istam Chirographo suo munitam et typis mandatam, sub hoc titulo, [*Nomina Examinandorum Prima Examinatione Termino A. D.*] ad Vice-Cancellarium, ad singulos Collegiorum et Aularum Præfectos, ad Procuratorem Seniorem, ad singulos Moderatores, et ad cujuslibet Collegii vel Aulæ Refectorium tam publicum quam privatum Magistrorum deferri, et ostiis etiam Bibliothecæ Bodleianæ, Scholæ Metaphysices, et Apodyterii Venerabilis Domus Convocationis affigi, curet: quæ omnia ita agenda sunt, ut tres dies integri inter Schedulam hanc publici juris factam et Examinationem inchoandam interjiciantur.

Et hæc Schedula Procuratoria, modo et forma præscriptis publicata, pro licentia, monitione, et notificatione generali, tam ab ipsis Moderatoribus, quam a Candidatis, habenda et accipienda est.

Insuper ad Moderatorem in Schola Literarum Græcarum et Latinarum Seniorem Schedulas rerum et librorum, in quibus unusquisque Candidatus sese examinandum profitetur, Procurator Junior eodem tempore deferri curet.

§. 4. *De Materie, Loco, Forma et Modo Primæ Examinationis.*

——Nomina quoque cæterorum omnium qui Moderatoribus satisfecerint huic Schedulæ, et ista secundum seriem Literarum disposita, subjiciantur.

Nomina cæterorum omnium qui Moderatoribus satisfecerunt:

A. B. e Coll.
C. D. e Coll.
E. F. ex Aul.
G. H. e Coll.
I. J. ex Aul. &c. &c. &c.

§. 5. DE EXAMINATIONE PUBLICA SECUNDA.

Quod autem ad Secundam Examinationem attinet eorum qui primum Gradum ambiunt, sunto——Scholæ; quarum Prima, Schola Literarum Humaniorum appelletur, Secunda, Schola Scientiarum Mathematicarum et Physicarum, Tertia, Schola Scientiæ Naturalis.

Statuimus ut nemo pro primo gradu supplicet, nisi in Schola Literarum Humaniorum, et deinde in una qualibet ex cæteris Scholis, in eodem vel in sequenti quodam Termino, examen subierit; et in utraque Schola Examinatoribus publicis satisfecerit. Statuimus etiam ut nemo Gratiam cujusquam qui examen subire debuerit, unquam proponat, nisi prius Testimonium Examinatorum Publicorum in Literis Humanioribus de Candidato suo, et deinde Testimonium Examinatorum Publicorum in quavis alia Schola, palam in Domo Congregationis recitaverit.

§. 7. *De Examinationibus habendis et de Candidatorum Admissione.*

—— Nemo ad hoc Examen subeundum admittatur, nisi qui Moderatoribus satisfecerit; nemo qui non duos Professores, vel Prælectores publicos, et unam ad minimum utriusque lectionum seriem integram audiverit. Iis tantum perhibeant Testimonium Professores vel Prælectores quos et præsentes fuisse et attento

animo audivisse crediderint. Quamvis autem Studentibus incumbat Lectiones omnes in utraque serie audire, non tamen illi denegari volumus testimonium qui semel, vel etiam bis, si Lectionum series plures quam octo Lectiones comprehenderit, valetudine, aut alia gravi causa, Professori seu Prælectori approbanda, impeditus, Lectionibus haud interfuerit. Et quo unumquemque adfuisse liquido appareat, auditores singuli nomina sua in Tabulis penes Professorem seu Prælectorem adservandis, propriis manibus inserant. Testimonii vero hæc esto formula:

A. B. e Coll. vel Aul. *Lectiones meas per Terminum anni* *secundum Statuta audivit.*

Ita Testor *C. D.* *Professor* vel *Prælector.*

Auditores vero qui Lectionum auditarum Testimonium ambiant, unum saltem diem ante inchoandam Lectionum seriem, nomina sua inscribant in Tabulis penes singulos Professores seu Prælectores adservandis. Professores autem, et Prælectores, nomina eorum omnium quibus Testimonium perhibuerint in Libris ad hunc usum destinatis, et in Terminos rite distributis inserant. Hos libros omnes custodiendos Registrario Universitatis committimus, ut si aliquando id res exegerit, ad illos recurrere sit in promptu.

Quæ quidem Professorum, seu Prælectorum Testimonia, atque insuper Testimonium sub Chirographo trium Moderatorum, quilibet Candidatus, una cum Testimonio Matriculationis suæ, per se vel per Tutorem suum, coram Procuratore Seniore, eo ipso tempore quo et nomen suum inter Candidatos profitetur, exhibeat; neque liceat Procuratori, Testimoniis istis non exhibitis, Candidatum in numerum Examinandorum referre.

§. 8. *De Materie, Loco, Forma et Modo* EXAMINATIONIS *Secundæ.*

——Statim post confectam in Literis Humanioribus Examinationem eorum qui in Scholam Scientiæ Naturalis descendere velint, illorum omnium nomina qui, in ista Schola examinandi, Examinatoribus publicis in Literis Humanioribus satisfecerint, in novam

Schedulam referantur. Quam quidem Schedulam Examinator in Literis Humanioribus senior manu sua signatam, una cum Schedulis rerum et librorum in quibus Candidati in Schola Scientiæ Naturalis sint examinandi, ad Examinatores in ista Schola deferri curet. Hunc autem Titulum præ se ferat Schedula, *Nomina Examinandorum in Scientia Naturali.*

Examinatori in Literis Humanioribus Seniori incumbat insuper, ut in aliam Schedulam, ad eosdem Examinatores deferendam, nomina referat Candidatorum, qui duodevicesimum Terminum a Matriculatione sua excesserint.

Quod autem ad illos spectat qui testimonio digni habiti in Schola Literarum Humaniorum, Scholam Scientiarum Mathematicarum et Physicarum, adire velint, omnia eodem modo, eadem cura, agantur, mutatis tamen mutandis, prout rei ratio postulabit.

Examinatores autem in Scientia Naturali, post Schedulam istam ad se delatam, diem publicæ Examinationi in hac Scientia intra dies octo habendæ constituant; et de eo die Academiam certiorem faciant Schedula monitoria ad Collegiorum et Aularum Præfectos deferenda, et ad portam insuper Refectorii vel Promptuarii cujusque Collegii et Aulæ affigenda, sub hac forma:

Examinatio in Scientia Naturali die habenda est.

A. B. } *Examinatores*
C. D. } *in Scientia*
E. F. } *Naturali.*

Die autem constituto, in locum Examinationi assignatum se conferant Examinatores isti, ibique hujusmodi Candidatos, modo infra definiendo pridie citatos, pro rei ratione examinent.

In hac Schola nullus Candidatus Testimonio dignus habeatur, nisi Principiis Philosophiæ Mechanicæ, Chemiæ, et Physiologiæ, vel trium harum Scientiæ Naturalis partium duabus saltem sit imbutus, et insuper in Disciplina quadam Physica quæ ex Philosophia Mechanica pendet, ita profecerit ut Examinatoribus satisfaciat.

Candidatis vero honorem aliquem in hac Schola petentibus, necesse sit, ut in unaquaque Scientiæ Naturalis supra dicta parte sint instituti, necnon etiam ut e Disciplinis Physicis, quarum materies in qualibet Scientiæ Naturalis partium prædictarum continetur, unam ad minimum elegerint in qua se instructos atque peritos Examinatoribus exhibeant.

Examinatores similiter Mathematici, post Schedulas ab Examinatoribus in Literis Humanioribus ad se delatas, diem Examinationi in Scientiis Mathematicis et Physicis intra dies quindecim habendæ constituant; diem constitutum Academicis significent; et quum advenerit, Candidatis citatis, in Schola sibi assignata opus aggrediantur.

In hac autem Schola materies Examinationis sit Mathematica non ea tantum quæ Mixta, sed ea etiam quæ Pura dicitur.

Nulli Candidato in hac Schola Testimonium concedatur, nisi adhibuerit ad minimum illam Geometriæ planæ partem quæ ab Euclide in primo et sequentibus, usque ad sextum inclusum, libris tractata est: vel, si id malit, primam Algebraicæ partem. Cum autem nonnullæ planæ Geometriæ partes sint quæ Algebraicæ ope commode explicantur, utram partes istas tractandi sequi malint rationem, Candidatorum sit optio.

Inter Examinandum vero si quis Candidatus ex illis qui nullum locum in tribus superioribus Classibus ambire videbantur, ita sese commendet ut honore aliquo dignus habeatur, idem ab Examinatoribus in unaquaque Schola vel statim in Quartam classem referatur; vel, si ita honoratus fuerit in Prima Examinatione ut, secundum ea quæ infra statuuntur, in tribus superioribus Classibus locum obtinere possit, et ita velint Examinatores et consentiat ipse, cum cæteris ad amplius et honorificentius examen subeundum admittatur: sub ea tamen lege, ut quæstionum jam antea ab illo enucleatarum ratio habeatur, et tandem, peracto examine, si laude insigniore parum dignus reperiatur, in Quarta Classe locum omnino sibi vindicet.

In unaquaque harum trium Scholarum, sicut et in Prima, Candidatos eo et numero et ordine citent, et eo modo exerceant

Examinatores quo, cum facilius tum accuratius, ingenium cujusque et eruditionem se exploraturos et perspecturos judicent.

In qualibet Examinatione, Candidatus quisque pridie ante sui examen habendum per Æditaum Universitatis citetur. Si quis vero ad examen subeundum in aliqua Schola citatus non responderit, nisi ex causa rationabili a Vice-Cancellario approbanda, omni loco in Examinatione istius Termini, quod ad hanc Scholam attinet, privetur; neque in sequente quovis Termino in hanc Scholam tanquam Candidatus admittatur, nisi iterum coram Procuratore Seniore nomen suum professus fuerit; et citetur proximus Candidatus, sub eadem lege, et sic deinceps. Quod si Vice-Cancellarius causam aliquam absentiæ ratam habuerit, alius locus in Schedula pro arbitrio Examinatorum isti Candidato assignetur.

Unoquoque autem die ubi visum fuerit Examinatoribus nullum alium Candidatum isto die examinare, palam declaret Examinator Senior diem Examinationi continuandæ destinatum. Et post finitam uniuscujusque diei Examinationem alii omnes Schola excedant præter ipsos Examinatores, qui de Candidatis inter se judicium ferant, ac quemcunque dignum invenerint, ei Testimonium perhibeant sub hac forma:

A. B. [die mensis et anni] *prout Statuta requirunt Examinatus, satisfecit nobis Examinatoribus.*

Ita testamur *C. D.* *E. F.* } *Examinatores Publici in Literis Humanioribus.*

vel

Ita testamur *I. K.* *L. M.* *N. O.* *P. Q.* } *Examinatores Publici in Literis Humanioribus.*

vel

Ita testamur *R. S.* *T. V.* *W. Y.* } *Examinatores Publici in Scientiis Mathematicis et Physicis* vel *Scientia Naturali.*

Quod si contingat aliquem hujusmodi Testimonio indignum reperiri, liceat tamen illi in sequentis alicujus Termini Examinatione Candidatum se iterum profiteri.

Examinatores omnes in Schola Scientiarum Mathematicarum et Physicarum, in Schola Scientiæ Naturalis, Candidatorum examini operam impigram impendere volumus. Statuimus autem Examinationem in his Scholis, non in scriptis tantummodo sed etiam viva voce agendam esse. Candidatis inter scribendum unus saltem ex Examinatoribus semper intersit et invigilet.

Quod si quis ex Moderatoribus vel ex Examinatoribus publicis propter infirmiorem valetudinem aut aliam causam perurgentem, a Vice-Cancellario et Procuratoribus absentiæ veniam sibi impetraverit, alius ex nominatione Vice-Cancellarii et Procuratorum, a Ven. Domo Convocationis approbandus, pro hac vice in illius locum substituatur. Nemini tamen istiusmodi venia ultra unam Examinationem prorogetur.

Liceat vero, tum Moderatoribus tum Examinatoribus, in omni hoc Examinationis negotio, aut Latino aut Anglicano idiomate uti; et quæcunque Candidati in scriptis præstiterint, ea etiam extra locum Examinationis inspicere et perpendere.

Continuetur autem Examinatio in unaquaque Schola (donec de omnibus Candidatis provisum fuerit) in diem ex die, nisi, ob causam aliquam rationabilem, Examinatoribus aliter visum fuerit; quod si evenerit, monentur Examinatores, ut de die quem continuandæ Examinationi destinaverint, Academiam certiorem faciant, Schedula monitoria ad Collegiorum et Aularum Præfectos deferenda, ad portam insuper Refectorii vel Promptuarii cujusque Collegii et Aulæ, et ad portam Scholæ Metaphysices, per Æditum Universitatis, ad minimum ante meridiem diei præcedentis affigenda. Formula vero Schedulæ hæc esto:

Examinatio Publica die in Schola habenda est.

A. B.
C. D. } *Examinatores.*
E. F.

Hora decima matutina in Examinatione uniuscujusque diei incipienda semper servetur, at Diebus Festis Examinatio non inchoetur nisi post concionem publice coram Universitate habitam.

Hoc semper animo infixum habeant Magistri Scholarum, Moderatores, Examinatores Publici, nos nihil triste aut asperum moliri. Lenitati ubique consultum volumus, modo ne sit ea, quæ Juniorum socordiæ patrocinari videatur. Nemo igitur non dignus testimonio habeatur qui in materie Examinationis modo præscripta satisfecerit illis quibus hoc munus commiserit Academia. Meminerint tamen hi viri nemini cujuslibet rei causa, vel perhibendum esse vel denegandum testimonium, nisi in quantum profectus sui documenta, inter ipsum examen præstiterit, aut non præstiterit.

Ne liceat Moderatori aut Examinatori Candidatum ex eadem Domo ex qua sit ipse examinare.

Peracta demum in unaquaque Schola Examinatione, Examinatores in ista Schola, Candidatorum omnium nomina, quam primum fieri poterit, in Classes distribuant, et in Schedulam quandam, forma infra præscribenda redigant.

Classium vero series —— esto, quarum Prima ad Literas Humaniores, Secunda ad Mathematicas et Physicas Scientias, Tertia ad Scientiam Naturalem, pertinere censenda est.

Et qui in unaquaque harum disciplinarum eo usque profecisse visi fuerint, ut insigniore laude digni censeantur, in Primam Classem referantur; proximi his in Secundam, in Tertiam aut in Quartam, prout de cujusque meritis judicium tulerint Examinatores. Nomina in unaquaque classe per usitatam seriem Literarum digerantur.

Huic Schedulæ subjiciantur nomina (et ista secundum seriem Literarum disposita) cæterorum omnium qui in unaquaque Schola Examinatoribus satisfecerint.

Nolumus Examinatorem vel in Testimoniis perhibendis, vel in hac Schedula ordinanda, de Candidato quovis suffragium vel judicium suum ferre, nisi cujus examini operam impigram impenderit.

Sin autem in Schedula hac ordinanda Examinatores pari utrinque suffragiorum numero in diversas sententias abierint, ea demum sententia rata esto, in qua fuerit Examinator Senior in unaquaque Schola, modo ne sit ex eadem domo unde Candidatus ipse de quo agatur: at si res ita sit, auctoritas simpliciter Senioris ad proxime Seniorem transferenda est. Quæ quidem Senioritas hoc modo æstimanda est; scilicet, Doctorum, juxta Ordinationes Tit. XI. §. 2. Baccalaureorum vero in quavis facultate, pariter ac Magistrorum, juxta prioritatem præsentationis suæ sive ad Gradum Magistri in Artibus, sive ad Baccalaureatum in Jure Civili, sive in Medicina.

Nullus autem Candidatus honore afficiatur qui Terminum a Matriculatione sua duodevicesimum excesserit.

——Nomina cæterorum omnium qui in unaquaque Schola Examinatoribus satisfecerunt:

A. B. e Coll.	*A. B. e Coll.*	*A. B. e Coll.*
C. D. e Coll.	*B. C. ex Aul.*	*E. F. ex Aul.*
E. F. e Coll.	*E. F. e Coll.*	*G. H. e Coll.*
G. H. ex Aul.	*L. M. e Coll.*	*L. M. e Coll.*
I. K. ex Aul.	*M. N. ex Aul.*	*O. P. ex Aul.*
L. M. e Coll.	*&c.*	*&c.*
N. O. ex Aul.		
P. Q. e Coll.		
R. S. ex Aul.		
T. V. e Coll.		
&c.		

§. 9. *De Officio ac Cura Vice-Cancellarii et Procuratorum circa Examinationes; et de Moderatoribus et Examinatoribus remunerandis.*

Quo Statutum hoc de examinandis Candidatis in futurum sancte et inviolabiliter observetur, Volumus ut unicuique Scholæ, sive in Prima sive in Secunda Examinatione Vice-Cancellarius et Procuratores, singuli semel ad minimum, intersint, exploraturi utrum omnia rite et secundum Statuta peragantur.

Si quis vero Moderator vel Examinator vel fatis concesserit, vel se officio suo abdicaverit, vel (quod absit) in gravissimo hoc mu-

nere obeundo ita se gesserit ut, ex Vice-Cancellarii, vel amborum Procuratorum, sententia, ab officio suo amoveatur, tanquam qui neque Matris Academiæ dignitati, neque juramenti sui obligationi, satisfecerit, alius in ejus locum, qui vices ejus suppleat in partem biennii nondum elapsam, forma et modo supra præfinitis, continuo subrogetur.

——Statutum hocce, quod ad Secundam Examinationem habendam spectat, vim et vigorem suum obtineat Termino Paschatis A. D. 1853. Interea omnia et singula, quæ Statutis A. D. 1830 et A. D. 1840 sancita sunt, rata permaneant.

Termino autem Hilarii A.D. 1852 Moderatores, et Termino Hilarii A. D. 1853 Examinatores Publici, forma et modo supra præfinitis, nominentur; illis tamen, quibus has Nominationes commisimus, quemlibet auctoritate Statutorum A. D. 1830 et A. D. 1840 designatum nominare fas sit. Perpetuis vero futuris temporibus Nominatio tam Moderatorum quam Examinatorum Termino Hilarii, in Congregatione post Diem Cinerum proxime habenda, et Termino Trinitatis, in prima Congregatione, Domui significetur; et, deinceps, peragantur etiam reliqua quæ ad illorum designationem spectant, prout superius ordinatum est. Moderatores autem et Examinatores sic designati Termino designationem suam proxime sequente munus suum ineant.

Præscribimus insuper, ut penes Moderatores, et, item, penes Examinatores Publicos, in Schola Metaphysices Libri adserventur, in quibus inserantur, unoquoque Examinationis die, nomina eorum omnium qui Testimonium obtinuerint; in libro autem penes Moderatores adservato inserantur quoque, finitis Examinationibus, Schedulæ nomina Candidatorum qui honore digni sint habiti continentes; ita ut si de istis rebus quæstio aliquando oriatur, ad hos Libros perpetuo possit appellari.

Quoniam vero usu venit, ut dies et horas negotiis Academicis destinatas mutare interdum commodius reperiatur, fas sit Venerabili Domui Congregationis, proponente Vice-Cancellario, dies aut horas hoc Statuto Examinationibus habendis assignatas mutare.

At Vice-Cancellarius ante triduum Academiam certiorem faciat, si quando hujusmodi rem ad Venerabilem Domum Congregationis referendam censuerit.

Si quis autem nondum Graduatus, auctoritate prioris alicujus Statuti examinatus, Examinatoribus Publicis satisfecerit, illi idem valeat Testimonium quo tunc dignus habitus fuerit, ac si examinatus fuisset prout in hoc Statuto requiritur.

De Statutis his rogandis consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos, die duodecimo mensis Februarii; relata sunt in Domo Congregationis die decimo quinto mensis Martii, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicata et confirmata sunt die vicesimo mensis Martii anno Domini 1849.

TITULUS XVI.

Corpus Statutorum p. 147. Addenda pp. 145. 171. 211. 237. 280. 337.

DE CONCIONIBUS.

§. 1. *De concionibus ante meridiem, diebus Dominicis intra Terminum, habendis.*

STATUTUM est, quod[a] quolibet die Dominico intra Terminum ante meridiem (nisi quatenus in his Statutis aliter provisum fuerit) Concio Anglice habeatur per Collegiorum Præfectos, per Decanum et Canonicos Ædis Christi, per quinque Theologiæ Professores, et per Hebraicæ Linguæ Professorem, ordine sequenti: cauto semper, quod his omnibus fas sit hasce concionandi vices inter se pro arbitrio commutare.

Ecclesiæ Christi.
Coll. Magdal.
Coll. Novi.

Ecclesiæ Christi.
Coll. Omnium Anim.
Coll. Merton.

Ecclesiæ Christi.
Coll. Corp. Christi.
Coll. Reginæ.

Ecclesiæ Christi.
Coll. S. Jo. Bapt.
Coll. Trinit.

Ecclesiæ Christi.
Coll. Ænei-Nas.
Coll. Oriel.

Reg. Profess. Theol.
Margaretæ Profess.
Reg. Profess. Ling. Heb.

Ecclesiæ Christi.
Coll. Wadham.
Coll. Lincoln.

Ecclesiæ Christi.
Coll. Univers.
Coll. Exon.

Ecclesiæ Christi.
Coll. Balliol.
Coll. Jesu.

Ecclesiæ Christi.
Coll. Pemb.
Coll. Vigorn.

Reg. Prof. Theol. Pastoral.
Reg. Profess. Hist. Eccles.
Prof. Exeg. S. Script.

[a] B. 117. b. L. 297. b.

Insuper placuit Universitati, quod[b] hæ Conciones a Collegiorum Præfectis et Professoribus supra dictis in Ecclesia B. Mariæ Virginis habeantur: Decano autem et Canonicis Ædis Christi, (nisi quando eorum aliquis Professoris nomine concionetur) aut etiam aliis ipsorum vices supplentibus, in Ecclesia Cathedrali Ædis Christi concionari sit permissum. Si quis secus fecerit, pœnam conciones omittentium incurrat.

§. 2. *De Concionibus habendis ante Meridiem diebus Dominicis extra Terminum, necnon Dominicis Quadragesimalibus et Diebus Festis ante Meridiem, ac Dominicis post meridiem per totum Annum.*

STATUTUM est, quod[c] extra Terminum, in quolibet die Dominico ante meridiem, (præterquam in Dominica Paschatis quando in singulis Collegiis conciones ante sacram Synaxin sunt habendæ,) necnon in Dominicis Quadragesimalibus ante meridiem[d] et in quolibet die Dominico post meridiem per totum annum, (excepto tempore magnæ Vacationis;) et in quolibet die festo per totum annum, (exceptis iis qui in tempore magnæ Vacationis occurrunt;) in Ecclesia Beatæ Mariæ Virginis, nisi quatenus in his Statutis aliter provisum fuerit, Concio vernaculo sermone habeatur. Has vero conciones seriatim peragere tenebuntur Sacræ Theologiæ Doctores et Sacræ Theologiæ Baccalaurei, Juris Civilis Doctores et Baccalaurei ac Artium Magistri, (sive in Theologia sive in Jure Civili studentes,) quotquot Presbyteri vel Diaconi fuerint; Magistri non ante duos annos ab Inceptione sua, Baccalaurei autem Juris non nisi post tres annos completos a suscepto Gradu: ita ut, cum ad simpliciter Juniorem Theologum deventum fuerit, ad Sacræ Theologiæ Doctores concionandi vices denuo revertantur. Proviso, quod tum Vice-Cancellarius et Procuratores pro tempore existentes, tum ii omnes qui Conciones ante meridiem diebus Dominicis intra Terminum habere tenentur, ab his vicibus seriatim obeundis semper excusentur.

[b] B. 117. b.
[c] L. 241. 247. 289.
[d] Vide clausulam novam in Convocatione decretam 14° die Junii, A.D. 1819.

§. 3. *De Concionibus Quadragesimalibus et in Dominica Paschatis post meridiem.*

STATUTUM est, quod solennis Concio quæ, in quolibet die Dominico durante Quadragesima, necnon in Dominica Paschatis post meridiem, ad Divi Petri in Oriente lingua vernacula haberi consuevit, in Ecclesia B. Mariæ Virginis in posterum habeatur; ad quas quidem Conciones habendas, viros idoneos nominandi ac designandi potestas penes Vice-Cancellarium sit: ita tamen ut eorum ratio imprimis habeatur, qui, per Statuta Collegiorum suorum, aliquam ex istis Concionibus in propriis personis habere adstringuntur.

Et quod nomina hujusmodi Concionatorum, quos privata Collegiorum suorum Statuta ad has Conciones adstringunt, Academiæ Registro inserantur, prout antiquitus obtinuit.

Insuper placuit Universitati clausulas illas abrogare, quæ ad Conciones apud D. Petri in Oriente habendas quocunque modo pertineant.

§. 4. *De Concionibus quibusdam extraordinariis ad Ecclesiam B. Mariæ.*

STATUTUM est, quod (præter illas Conciones quæ in diebus Dominicis et Festis a Collegiorum Præfectis, Doctoribus et Baccalaureis S. Theologiæ, et Magistris Artium, et Baccalaureis Juris, ut præfertur, seriatim præstandæ sunt,) aliæ quoque extra ordinem, certis et statis temporibus, in Ecclesia Beatæ Virginis Mariæ habeantur: nimirum in Festo Inaugurationis Regiæ; et quinto Novembris pro communi liberatione totius Reipublicæ a Proditione Sulphurea; trigesimo Januarii, die martyrii Caroli primi Regis; et vigesimo nono Maii, die gratiarum actionis pro Rege ac Regia familia restauratis. Quas Conciones, aliquis ad id muneris a Vice-Cancellario assignatus habebit.

Porro Concionibus hisce extraordinariis annumerandæ sunt Prælectiones octo Theologicæ, quas, supremo Testamento suo, vir Rev. Johannes Bampton, A.M. in Ecclesia B. Mariæ, intra initium

ultimi mensis Termini Hilarii atque finem tertiæ septimanæ Termini Trinitatis, quolibet anno, haberi mandavit. Statuit autem et declarat Academia, quod hæ Prælectiones, sive Conciones, diebus Dominicis intra Terminum ante meridiem, intra tempus præstitutum, semper habeantur.

Necnon in Dominica Quinquagesimæ, et ultima mensis Junii Dominica, ante meridiem; ac in Dominica Pentecostes, tam ante, quam post meridiem; Conciones lingua vernacula habendæ sunt per aliquos ad id muneris a Vice-Cancellario specialiter deputatos. Item in die Dominico Comitiorum, cum ante, tum post meridiem, et in die Mercurii proxime post Comitia; et in utroque Conventu Comitatus, qui Assisæ vocantur; ad quas aliqui per Vice-Cancellarium specialiter sunt designandi. Et in initio cujusque Termini, ac in Die Cineris in Capite Jejunii, coram Baccalaureis Determinaturis, Caputia, (obverso Rhenone, seu pelle agnina,) gestantibus, et pro more in Scamnis Magistrorum sedentibus, Concio Latina habeatur, quam seriatim obire tenentur S. Theologiæ Professores, et alii in Theologia Graduati, sacris Ordinibus initiati; aut vice illorum alii per Vice-Cancellarium approbandi.

§. 5. *De Concionibus Anniversariis habendis extra Templum Beatæ Mariæ.*

CUM Collegiorum quorundam Statuta, et cum Benefactoribus Conventiones, requirant, ut in quibusdam Collegiis Conciones publice coram Universitate habeantur; Statutum est, quod, prout fieri consuevit, in Collegiis hic nominatis, statis quibusdam diebus, Conciones publicæ habeantur.

Nimirum in Ecclesia Cathedrali Ædis Christi, in Natali Domini, in die Passionis Dominicæ, et in Festo Ascensionis Dominicæ.

In Collegio Beatæ Mariæ Magdalenæ, in Festo S. Marci Evangelistæ, et in Festo S. Joannis Baptistæ.

In Collegio Novo, in Festo Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, et in Dominica Trinitatis.

In Collegio Mertonensi, in Festo Sanctorum Philippi et Jacobi, et in Dominica prima mensis Augusti.

§. 6. *De Concionatoribus approbandis.*

STATUTUM est, quod[e] in Ecclesia Beatæ Virginis Mariæ, aut alibi coram Universitate, nemo unquam concionari præsumat, nisi qui judicio Vice-Cancellarii approbatus fuerit; quique sacris insuper Ordinibus initiatus, saltem Gradum Magistri in Artibus ante duos annos, aut Baccalaurei in Jure Civili ante tres annos susceperit.

Si quis secus fecerit, mulctetur, toties quoties, quinque libris.

§. 7. *De præmonendis Concionaturis, et Pœna eorum qui deficiunt.*

STATUTUM est, quod concionaturi Anglice[f] ante duos saltem menses, Latine[g] vero ante tres menses, præmoneantur, per Bedellum superiorem Sacræ Theologiæ, si in Universitate præsentes fuerint; sin minus, schedula tempus quo quis concionaturus sit indicans penes Præfectum Ædis, ejusve Deputatum, aut Thesaurarium, sive Bursarium, qui pro tempore fuerit, relinquatur. Ad has autem conciones seriatim habendas præmoneantur non solum ii qui actu in Universitate commorantur, verum etiam quotquot nomina sua in Promptuarii libro Collegii cujusvis, vel Aulæ, inscripta habent. Unusquisque vero sic præmonitus tenetur, intra spatium unius mensis ab accepta monitione, schedula tradita Bedello superiori Sacræ Theologiæ per se, vel per Præfectum Ædis suæ ejusve Deputatum, aut Thesaurarium, sive Bursarium, palam renunciare, utrum, tempore destinato, propria persona officio suo sit functurus. Quod si ipse non sit concionaturus, et tempus, quo concionari debet, acciderit extra Terminum, vel alio quovis die intra Terminum præter diem Dominicum, tenetur insuper eadem schedula idoneum aliquem substitutum nominare, (a Vice-Cancellario approbandum,) qui vicibus ejus fungi et possit et velit. Sin vero die Dominico intra Terminum habenda sit concio, (exceptis tantum iis Concionibus, quas, juxta Statuta, extra Templum Beatæ Mariæ haberi sit permissum,) nemini, qua-

[e] KK. 314. b. [f] L. 241. b. et 289. [g] KK. 308. a.

cunque de causa, præter aliquem e selectis Concionatoribus, posthac designandis, locum ejus supplere fas esto.

Quod si quis rite præmonitus, et vices suas jam fere impleturus, morbo subito aut aliqua causa perurgenti impediatur, liceat Vice-Cancellario aliquem concionatorem habilem in ejus locum substituere.

Si quis autem sic præmonitus vel schedulam prædictam, intra tempus præstitutum, Bedello tradendam non curaverit; vel Concionem aut per se, aut per alium, uti præfertur, non habuerit; quinque libris Universitati mulctetur. Quam pœnam similiter incurrat Bedellus prædictus, si quem, culpa illius, (prout oportuit non præmonentis,) deficere contingat.

§. 8. *De selectis quibusdam Concionatoribus designandis.*

STATUTUM est, quod designentur decem Concionatores, selecti e numero Doctorum et Baccalaureorum in Sacra Theologia et in Jure Civili, ac Magistrorum in Artibus, qui, sacris Presbyteratus Ordinibus initiati, duos saltem annos ab Inceptione sua compleverint; vel, si Baccalaurei fuerint in Jure Civili, qui tribus saltem annis Gradu prædicto fuerint insigniti. Horum vero Concionatorum (non sine ipsorum consensu) designatio fiat per Vice-Cancellarium et Procuratores, Sacræ Theologiæ Professorem Regium, et Prælectorem Dominæ Margaretæ Comitissæ Richmondiæ, tribus saltem eorundem consentientibus, quorum unus semper sit Vice-Cancellarius. Proviso quod, statim post hujusmodi designationem, Concionatoris cujusque nomen sigillatim, frequenti Convocatione, suffragiis venerabilis istius Domus probandum, sive improbandum, permittatur.

Horum erit Concionatorum, seriatim, juxta senioritatis ordinem quantum fieri potest, (nisi aliter inter se convenerint,) Conciones diebus Dominicis intra Terminum, tam ante quam post meridiem in Ecclesia B. Mariæ habendas, eorum omnium loco peragere, qui, rite præmoniti, se partes suas impleturos esse Sacræ Theologiæ Bedello superiori ante mensem non renunciaverint; qui

quidem Bedellus prædictos Concionatores de qualibet hujusmodi concionandi vice, nulla mora interposita, certiores facere tenetur. Cauto semper, quod Collegiorum Præfectis, si qui inter Concionatores hosce selectos numerentur, quotiescunque illis concionari contigerit, fas sit, si velint, concionandi ante meridiem sibi jus vindicare.

Ex his decem Concionatoribus officio suo cedant quinque quotannis; prima vice sorte, vel comparatione inter seipsos facta; deinde qui eodem munere per duos annos functi fuerint; et subrogentur in eorum locum quinque alii, modo supra definito designandi, et a venerabili Domo Convocationis approbandi. Si quis vero ex hisce Concionatoribus fatis concesserit, vel se officio suo abdicaverit, alius in ejus locum, qui vices ejus suppleat in partem biennii nondum elapsam, forma supra definita continuo subrogetur.

Proviso semper, quod nemo, qui selecti Concionatoris officio per biennium integrum functus fuerit, in idem officium, nisi post annum alterum elapsum, iterum designetur.

§ 9. *De Concionatoribus remunerandis.*

STATUTUM est, quod, curante Vice-Cancellario, concionatoribus infra dictis statim post habitas conciones pro re nata hæ quæ sequuntur summæ per superiorem Sacræ Theologiæ Bedellum semper solventur:

Cuilibet concionem extraordinariam, vernaculo sermone, ad ecclesiam Beatæ Mariæ coram Universitate habenti (excepto prælectore Bamptoniano) sex libræ ac sex solidi;

Cuilibet e selectis concionatoribus ad Ecclesiam B. Mariæ coram Universitate concionem habenti, quinque libræ et quinque solidi;

Cuilibet die Dominico post meridiem vel die Festo intra terminum ad Ecclesiam B. Mariæ coram Universitate concionem habenti, quinque libræ et quinque solidi;

Denique, cuilibet die Dominico vel die Festo extra terminum ad Ecclesiam B. Mariæ coram Universitate concionem habenti, quatuor libræ ac quatuor solidi.

In hos autem usus præ cæteris assumantur,

1. Pecuniæ vulgo vocatæ "Gallery Culets."
2. Quod superest annuatim e pecuniis vulgo vocatis "School money," in usum Preli (Tit. xx. §. 4.) jam pridem assignatum, et hodie a Delegatis pro supervacaneo habitum.
3. Annui proventus e pecuniis ad concionatores remunerandos numerosius olim exactis, et in publici ærarii sortibus fœnore positis.

Porro, curet Vice-Cancellarius ut Bedello qui nunc est, pro studio ejus et labore, pensio, juxta Decretum Convocationis 14° Junii 1819 sancitum, e fisco Academiæ numeretur.

Cæterum, vacante tandem Bedelli officio, hanc pensionem judicio suo minuant Delegati ad rationes computandas assignati.

Statutum est etiam, quod de pecuniis omnibus ab Academia juxta hanc Ordinationem receptis et expensis Vice-Cancellarius quotannis rationem reddet.

§. 10. *De Commemoratione publicorum Universitatis Benefactorum, præ Concionibus solennibus intra Universitatem habendis.*

STATUTUM est, quod in Precatione ante Conciones Latinas cujusque Termini initiales; item in Concionibus ante et post meridiem in Comitiis; etiam in Festivitate Inaugurationis Regiæ, et coram Judicibus sive Justitiariis Assisarum; per quemcunque Universitatis nostræ Oxoniensis concionaturum, expressa et grata fiat Commemoratio publicorum Universitatis Oxoniensis Benefactorum; scilicet, Illustrissimi Principis *Humfredi* Glocestriæ Ducis, *Johannis Kempe* Cantuariensis Archiepiscopi, *Thomæ Kempe* Londinensis Episcopi, *Margaretæ* Comitissæ Richmondiæ, *Henrici* VII. et *Elizabethæ* Uxoris ejus, *Richardi Lichfield* Archidiaconi Middlesexiæ, *Thomæ Wolsey* Cardinalis et Archiepiscopi Eboracensis, *Henrici* VIII. *Mariæ* Reginæ, *Elizabethæ* Reginæ, *Jacobi* Regis, *Thomæ Bodley* Militis, *Henrici Saville* Militis, *Gulielmi Sedley* Militis, *Nicolai Kempe* Militis, *Thomæ White* S. Theologiæ Doctoris, *Gulielmi Cambden* Armigeri, *Richardi Tomlins* Armigeri,

Gulielmi Heather Musicæ Doctoris, *Caroli* I. Regis et Martyris, *Edvardi* Comitis de Clarendon, *Gulielmi Laud* et *Gilberti Sheldon* Archiepiscoporum Cantuariensium, *Henrici* Comitis de Danby, *Henrici Birkhead* Armigeri, *Georgii* I. Regis, *Johannis Radcliffe* Medicinæ Doctoris, *Nathanielis* Baronis Crewe Episcopi Dunelmensis, *Richardi Rawlinson* Juris Civilis Doctoris, *Caroli Viner* Armigeri, *Georgii Henrici* Comitis de Litchfield, *Caroli Godwyn* Sacræ Theologiæ Baccalaurei, *Johannis Bampton* Artium Magistri, *Francisci* Baronis Godolphin, *Johannis Sibthorpe* Medicinæ Doctoris, *Johannis Wills* S. Theologiæ Doctoris, *Georgii Aldrich* Medicinæ Doctoris, *Georgii* III. Regis, *Josephi Boden* Armigeri, *Annæ Kennicott* Viduæ, *Roberti Taylor* equitis aurati, *Johannis Ireland* S. Theologiæ Doctoris, *Henrici Mason* S. Theologiæ Doctoris, et *Francisci Douce* Armigeri: vel cujuscunque alterius, quem posthæc in Album Benefactorum referre Universitati placebit: sub pœna decem solidorum, toties quoties. Alias vero ipsos commemorare nemo teneatur.

§. 11. *De Offensionis et Dissensionis Materia in Concionibus evitanda.*

STATUTUM est, quod si quis pro Concione aliqua, intra Universitatem ejusve præcinctum habita, quicquam[h] Doctrinæ vel Disciplinæ Ecclesiæ Anglicanæ publice receptæ dissonum aut contrarium, aut publica auctoritate, ad tempus vel aliter, prohibitum, protulerit, sive protulisse ad ipso Vice-Cancellario suspectus, vel ab alio aliquo, rationabilem suspicionis causam afferente, delatus fuerit; quod postulanti Vice-Cancellario, sive ejus Deputato, Concionis suæ verum exemplar, eisdem terminis conscriptum, virtute juramenti tradet; vel, si prætendat se exemplar non habere, de iis, de quibus suspectus vel delatus fuit, directe virtute juramenti respondebit.

Deinde vero Vice-Cancellarius, sive ejus Deputatus, verbis sen-

[h] N. 41.

suve eorum, quæ in quæstionem vocantur, in medium prolatis, et rite perpensis, adhibito consilio sex aliorum S. Theologiæ Doctorum, (quorum unus sit S. Theologiæ Professor Regius, si Concioni interfuerit,) si quem criminis objecti reum invenerit, eum pro arbitrio vel a munere prædicandi intra præcinctum Universitatis suspendet; vel ad ea, quæ protulit, recantandum adiget. Sin verba ad seditionem aliquam in Universitate, vel Societate, sive Communitate aliqua excitandam, Vice-Cancellario tendere videantur, ipse solus Vice-Cancellarius[i], adscito sibi uno aliquo Sacræ Theologiæ Doctore, qui interfuit, incarceratione, mulcta pecuniaria, vel recognitione publica (prout ipsi videbitur) puniat: et prædictorum criminum suspectus perturbatæ pacis reus habeatur.

§. 12. *De Officiis Divinis, seu Precibus solennibus juxta Liturgiam Ecclesiæ Anglicanæ, et Concionibus publicis, frequentandis.*

STATUTUM est, quod ad Officia Divina, sive Preces solennes juxta Liturgiam Ecclesiæ Anglicanæ, et Conciones publice coram Universitate habendas, omnes Doctores, Magistri, Graduati et Scholares, diligenter accedant, et eisdem debita cum reverentia et attentione, quoad peractæ fuerint, a principio usque ad finem intersint; nec quisquam[k], dum ejusmodi Divina Officia et Conciones coram Universitate habentur, ad aliam Ecclesiam, vel Ecclesias, divagetur; sub pœna quod si quis secus fecerit, tribus solidis ac quatuor denariis mulctetur.

Nemo autem unquam, cujuscunque demum Gradus et conditionis fuerit, vel cuilibet istorum cœtui, qui ab Ecclesiæ Anglicanæ Doctrina vel Disciplina dissentiunt, sese quovismodo immisceat; vel Concionibus, aut Divinis Officiis quibuscunque, intersit, nisi quæ palam habeantur in locis ab auctoritate Episcopali (prout in Ecclesia Anglicana recepta est) ad hos usus destinatis.

At si quis contra hoc Statutum deliquisse deprehensus fuerit, mulctetur, prima vice, sex solidis et octo denariis; secunda vice,

[i] KK. 314. b. [k] N. 41.

tredecim solidis ac quatuor denariis, atque insuper a Vice-Cancellario, assidentibus ipsi Procuratoribus et Ædium Præfectis in conventu suo ordinario, serio admoneatur; tertia autem vice, ab Academia in perpetuum amoveatur.

Denique Statutum est, quod in Termino Michaelis, mense scilicet Novembris, quolibet anno, modo supra præfinito, selectorum Concionatorum designatio semper fiat.

Omnes insuper, qui Termino Michaelis proxime sequenti concionari debent, ante duos menses præmoneantur; ac schedulam, forma supra præfinita, intra mensem ab incepta monitione, Sacræ Theologiæ Bedello superiori tradere teneantur.

De Statutis his rogandis consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die vicesimo mensis Novembris; publicatum est in Domo Congregationis die duodetricesimo mensis Novembris, juxta statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die tertio mensis Decembris, Anno Domini 1849.

TITULUS VI.

DE TEMPORE AD GRADUS CAPESSENDOS REQUISITO ET EXERCITIIS PRO FORMA PRÆSTANDIS.

SECTIO I.

DE TEMPORE ET EXERCITIIS REQUISITIS AD GRADUM BACCALAUREI IN ARTIBUS.

[Placuit Universitati Tit. VI. Sect. I. §§. 2. 3. 4. 5 abrogare et in eorum loca §§. 2. 3. 4. 5, qui sequuntur subrogare.]

§. 2. *De Exercitiis præstandis pro Gradu Baccalaurei in Artibus.*

Statutum est, ut priusquam quis ad Gradum Baccalaurei in Artibus admittatur, in Parviso semel Quæstionibus Magistrorum Scholarum respondeat. Corpus Stat. p. 25. Addend. pp. 175. 322.

2 Responsionibus autem hisce assignentur Terminus Hilarii a die Lunæ post primam Dominicam mensis Februarii, et Terminus Trinitatis a die Lunæ post Dominicam Trinitatis. Quod si forte initium Responsionum in diem Festum inciderit earumdem inchoatio in diem proximum differatur. Qui autem in utrovis horum Terminorum responsuri sunt, nomina sua, vel per se, vel per Tutores suos, coram Procuratore Juniore profiteantur, in Libro penes ipsum asservato, et in Terminos hosce rite distributo, inserenda; hac tamen lege, nequis serius quam triduo (ita ut tres dies integri supersint) ante Responsiones inchoandas Procuratorem de hac re adeat. Quo etiam tempore teneatur unusquisque Candidatus Schedulam,

nomine suo signatam, rerum et librorum in quibus se responsurum profitetur, Procuratoris in manus tradere. Has vero Schedulas ad Magistrum Scholarum seniorem Procurator deferri curet.

Vide Tit. VI. Sect. I. §. 1. Corp. Stat. p 25. Addend. p. 174.

3 Nemini autem Responsio sua cedat pro forma ante inchoatum a tempore matriculationis suæ tertium, nec post finitum septimum Terminum; exceptis iis quibus indulget Academia, ut integro triennio in Studiis Academicis completo ad Gradum promoveantur. Horum unicuique Responsio sua cedat pro forma post inchoatum secundum terminum et ante sextum finitum.

4 Si quis autem infirma valetudine aut alia gravi causa impeditus intra Terminos supra præfinitos non responderit, illi tamen liceat, cum consensu Vice-Cancellarii et Procuratorum, sequenti aliquo Termino respondere. Sin aliquis Vice-Cancellario et Procuratoribus in hac parte minus satisfecerit, illi tamen aditum ad Gradus omnino interdicere nolumus. Suspendatur vero a Gradu per unum Terminum aut plures, pro numero scilicet Terminorum quibus sese, post finitum a tempore matriculationis suæ sextum Terminum, ad respondendum sistere omiserit. Meminerint igitur Decani vel Censores Collegii cujuscunque vel Aulæ, sibi non licere cujusquam, qui in hac parte deliquerit gratiam in V. Domo Congregationis proponere, nisi lapso Termino, vel lapsis Terminis, prout supra statutum est, post annos a tempore matriculationis ejusdem ad primum quem ambit gradum, per Statuta usitate requisitos.

5 Procurator autem Junior, ubi tandem, modo supra præscripto, de iis omnibus qui in Termino aliquo respondere velint, certior factus fuerit, statim nomina eorum secundum seriem Literarum disposita in Schedulam referat; deinde Schedulam istam Chirographo suo munitam, et typis mandatam, sub hoc titulo,

[*Ordo* Respondentium *Termino* A. D.]

ad Vice-Cancellarium, ad singulos Collegiorum et Aularum Præfectos, ad Procuratorem Seniorem, ad singulos Magistros Scholarum, et ad cujuslibet Collegii vel Aulæ Refectorium tam publicum quam privatum Magistrorum deferri, et ostiis etiam Bibliothecæ

Bodleianæ, Scholæ Metaphysices, et Apodyterii Venerabilis Domus Convocationis affigi curet: quæ omnia ita agenda sunt, ut, si fieri potest, duo dies integri inter Schedulam hanc publici juris factam et Responsiones inchoandas interjiciantur.

6 Et hæc Schedula Procuratoria, modo et forma præscriptis publicata, pro omni qualicunque licentia, monitione, et notificatione, tam ab ipsis Scholarum Magistris, quam a Respondentibus, habenda et accipienda est.

§. 3. *De Forma et Modo Responsionum.*

Responsionibus habendis assignetur Schola Metaphysices, vel alius quicunque locus intra septa Scholarum, a Vice-Cancellario et Procuratoribus assignandis. Magistri Scholarum ibi se conferant diebus in Terminis Hilarii et Trinitatis supra præscriptis, et hora decima matutina; et deinde continuentur Responsiones (donec de omnibus Respondentibus provisum fuerit) de die in diem, nisi ob causam aliquam rationabilem Magistris Scholarum aliter visum fuerit; si vero talis causa orta fuerit, monentur Magistri ut de die quem continuandis RESPONSIONIBUS destinaverint Academiam certiorem faciant, Schedula monitoria ad Collegiorum et Aularum Præfectos deferenda, ad portam insuper Refectorii vel Promptuarii cujusque Collegii et Aulæ, et ad portam Scholæ Metaphysices, per Æditum Universitatis ad minimum ante meridiem diei præcedentis affigenda. Formula vero Schedulæ hæc esto:

Responsiones in Parviso in diem——prorogantur.
A. B.
C. D.

2 Hora decima matutina in Responsionibus uniuscujusque diei incipiendis servetur. Diebus autem Festis Responsiones non incipiantur nisi post concionem publice coram Universitate habitam.

3 Respondentes eo et numero et ordine citent Magistri Scholarum quo cum majore operæ compendio se officio suo satisfacturos fore arbitrentur.

4 Qui citatus non adfuerit, nisi ex causa rationabili a Vice-Cancellario approbanda, omni loco in Responsionibus istius Termini privetur; neque ad respondendum in alio Termino admittatur, nisi iterum coram Procuratore Juniore nomen suum professus fuerit; et citetur proximus, sub eadem lege, et sic deinceps. Quod si Vice-Cancellarius causam aliquam absentiæ ratam habuerit, extremus tamen locus in Schedula isti Respondenti assignetur.

5 Quæstiones autem in quibus exercendi sunt Respondentes ad Literas Humaniores, ad Arithmeticam, ad Algebraicam et ad Euclidis Elementa Geometriæ spectent. Per Literas vero Humaniores, quod ad has Responsiones attinet, intelligimus Linguas Græcam et Romanam. Adhibentor igitur semper duo Scriptores melioris ævi et notæ, hoc est unus in utraque lingua, quorum fida requiratur interpretatio. Scriptores integros haud exigimus; id enim in primis spectandum esse volumus ut in explicandis ad accuratam Grammaticæ normam utriusque linguæ principiis, Respondentes Magistris Scholarum omnino satisfaciant.

6 Magistris Scholarum insuper explorandum incumbit, qua quisque polleat facultate animi sui sensa lingua Latina explicandi: id quod explorare poterunt, porrecto aliquo libro, lingua vernacula conscripto, e quo Respondens oblatum quemcunque locum lingua Latina reddat; aut alio quocunque demum modo, prout ipsis commodius visum fuerit.

7 Iisdem autem quæstionibus, sive ad Elementa Disciplinarum Mathematicarum, sive ad Grammaticam pertineant, excutiendis, iisdem locis e Scriptoribus antiquis et nostratibus, Latine, Anglice, pro rei ratione, reddendis, vel alio quocunque demum modo, Magistris Scholarum liceat complures simul pertentare. Et ut hæc Responsionum pars cautius et integrius peragatur, quæstiones istæ, et loci quicunque ab una lingua in alteram reddendi Respondentibus proponantur, omnium et singulorum Magistrorum Scholarum, si commode fieri poterit, judicio subjiciantur et approbentur. Quinetiam si propter loci augustias, vel quamcunque aliam ob causam, expedire videatur, Candidati ad scribendum in aliam Scholam seorsim transferantur, vel si res aliter commode effici nequeat, in

cæteris Responsiones aliquantum intermittantur. Candidatis vero inter scribendum unus saltem e Magistris Scholarum semper intersit et invigilet.

8 Respondentis uniuscujusque examen scriptis inchoatum viva voce omnino peragatur. Ne plures autem quam sedecim eodem die ad viva voce respondendum admittantur.

9 Cæterum quod ad Geometriam et Algebraicam attinet, Magistris Scholarum liberum esto vel in utraque disciplina, vel in una tantum, quæstiones suas proponere.

10 In omni hoc negotio, liceat aut Latino aut Anglicano idiomate uti, prout Magistris Scholarum magis expedire videbitur.

11 Unoquoque autem die, ubi visum fuerit Magistris Scholarum nullum alium Respondentem isto die citare, palam declaret Magister Scholarum Senior diem Responsionibus continuandis destinatum. Et post finitas Responsiones uniuscujusque diei alii omnes Schola excedant præter ipsos Magistros Scholarum, qui de Respondentibus inter se judicium ferant, ac quemcunque dignum invenerint, et Testimonium, (in quo Testimonio notentur res et libri a Candidato adhibiti) perhibeant sub hac forma; mutatis tamen mutandis, prout rei ratio exegerit.

A. B. [Herod. Thalia, Melpomene; Virgil. Georg.; Euclid. lib. I. II. adhibitis;] [Soph. Œdip. Col., Antig.; Cic. In Verrem Orat. I. II.; Algebr. adhibitis] [die mensis et anni] Quæstionibus Magistrorum Scholarum in Parviso pro forma respondit.

Ita testamur { *C. D.* / *E. F.* }

12 Quod si forte contingat aliquem ejusmodi Testimonio indignum reperiri, illi tamen liceat in Responsionibus proxime sequentibus nomen suum coram Juniore Procuratore iterum profiteri, et sic deinceps.

§. 4. *De Officio ac Cura Vice-Cancellarii et Procuratorum circa Responsiones in Parviso.*

Quo Statutum hoc in futurum sancte et inviolabiliter observetur, volumus ut, in unoquoque Termino Responsionibus destinato, Vice-

Cancellarius et Procuratores, singuli semel ad minimum, hisce Exercitiis intersint, exploraturi utrum omnia rite et secundum Statuta peragantur.

2 Scholaris etiam unusquisque, cum inter Respondentes refertur a Procuratore Juniore, persolvat quindecim Solidos. Hæ autem pecuniæ, finito anno, a Procuratore ad Vice-Cancellarium deferantur.

3 Volumus insuper, ut Registrum penes Magistros Scholarum in Schola Metaphysices adservetur, in quo eorum omnium qui Testimonium obtinuerint, non tantum nomina unoquoque die inserantur, sed etiam res et libri in quibus unusquisque responderit; ita ut, si de istis quæstio aliquando oriatur, ad hoc Registrum perpetuo possit appellari.

4 Quoniam vero usu venit, ut dies et horas negotiis Academicis destinatas mutare interdum commodius reperiatur, fas sit Venerabili Domui Congregationis, proponente Vice-Cancellario, dies aut horas in hoc Statuto Responsionibus habendis assignatas mutare. Vice-Cancellarius autem, ante triduum Academiam certiorem faciat, si quando hujusmodi rem ad Venerabilem Domum Congregationis referendam censuerit.

§. 5. *De tempore intra quod habendi sunt Sophistæ Generales.*

Statutum est, ut Scholares in facultate Artium, qui Quæstionibus Magistrorum Scholarum in Parviso responderint, post duos demum annos in Universitate completos, et non antea, Sophistæ Generales, intermissa eos creandi formula, habeantur.

2 Denique Statutum hoc vim et effectum suum obtineat Termino Hilarii, anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo primo. In illius autem Termini Responsionibus, quæ coram Magistris Scholarum in Termino Trinitatis A. D. 1850 nominatis, habendæ sunt, Respondentes qui post Terminum Michaelis A. D 1849 exactum in Matriculam Universitatis relati fuerint, agant omnia juxta formam hujusce statuti; cæteris vero qui ante Terminum Michaelis A. D. 1849 exactum in Matriculam Universitatis relati fuerint, liberum esto respondere et nomina sua coram Procuratore profiteri, vel juxta formam hujusce Statuti,

vel juxta formam Statuti ante Terminum Hilarii A. D. 1851 vim Legis habentis. Nec in sequentibus responsionibus eadem denegetur facultas iis, si qui sint responsuri, qui ante Terminum Michaelis A. D. 1849 exactum in Matriculam Universitatis redacti fuerint.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die duodecimo mensis Februarii ; relatum est in Domo Congregationis die decimo quinto mensis Martii, juxta Statuti in ea parte exigentiam triduo ante Convocationem habendam ; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo mensis Martii anno Domini 1849.

3 Si quis autem in Matriculam Universitatis receptus ante Terminum Paschatis A. D. 1850 exactum, se ante Terminum sextum a Matriculatione sua (quod in Statuto A. D. 1840 condito non permittitur) ad respondendum coram Magistris Scholarum sistere velit, juxta formam illius Statuti, in Responsionibus in Termino Trinitatis et Termino Michaelis A. D. 1850 habendis, id illi licitum fore statuimus, dummodo Terminum tertium a Matriculatione sua inceperit, nec hujusmodi candidato obstet quod Responsionibus non interfuerit ; et si Testimonio dignus habitus fuerit, hoc testimonium idem illi valeat ac si juxta formam hujusce Statuti respondisset.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die octavo mensis Aprilis ; relatum est in Domo Congregationis die decimo mensis ejusdem, triduo ante Convocationem habendam ; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo quarto mensis Aprilis anno Domini 1850.

TITULUS IX.

SECTIO II.

DE EXAMINANDIS GRADUUM CANDIDATIS.

[Placuit Universitati hæc Statuta sancire; scilicet]

§. 1. *De Examinationibus habendis.*

Corp. Statutorum p. 71. Addenda pp. 115, 157, 185, 198, 213.

Quo innotescat certius Congregationi Regentium eruditio, et in bonis literis progressus eorum qui primum sibi Gradum, sive in Artibus, sive in Jure Civili, sive in Medicina petunt; Statutum est ut unusquisque nondum Graduatus antequam ad supplicandum pro Gratia admittatur, bis examen subeat.

2 Compluribus autem de Causis, præsertim ut accuratius apud nos excolantur Literæ Græcæ et Latinæ; ut, maturius et sæpius in probationem industriæ Junioribus vocatis, mali otii et socordiæ occasiones ex aliqua parte recidantur; ut, distributa in plures Examinationes studiorum ratione, magis proficiant in omni præstituta bonarum Literarum parte adolescentes impigri; ut Disciplinis nonnullis, quæ in curriculo Academico honorem debitum vix hodie referre videntur, locus inveniatur; ut, denique, ex Prælectorum publicorum Lectionibus fructus percipiantur uberiores, Universitati placuit Statuta de ista re A. D. 1830 et A. D. 1840 condita abrogare, et hocce Statutum in eorum locum subrogare.

Si quis igitur ad primum Gradum promoveri cupit, se, modo et forma infra præscribendis, examinandum sistat, antequam ad supplicandum admittatur.

§. 2. *De Moderatoribus in Prima Examinatione designandis et Juramento onerandis.*

Quod ad Primam Examinationem attinet, septem sunto Moderatores, quorum omnium et singulorum munus erit Candidatos in Literis Græcis et Latinis examinare. Qui tamen Moderatores, ut de uberiore quorundam Candidatorum, tum in Literis Græcis et Latinis, tum in Disciplinis Mathematicis, profectu exactior fiat perscrutatio, in duas tandem Scholas distribuendi sunt; quatuor, scilicet, in Scholam Literarum Græcarum et Latinarum, tres, itidem, in Scholam Disciplinarum Mathematicarum. Hi vero Moderatores sint ex eorum numero qui vel aliquando in Artibus inceperint, vel Baccalaureatu saltem in Jure Civili, aut in Medicina, insigniti fuerint.

2 Moderatores a Vice-Cancellario et utroque Procuratore, ex ipsorum consensu, nominentur; ita ut prima nominatio sit penes Vice-Cancellarium, secunda penes Procuratorem Seniorem, tertia penes Procuratorem Juniorem; et hic ordo nominationum in perpetuum servetur.

3 Et ut omnia in hoc negotio cautius fiant et integrius, ista Nominatio primum quidem in Congregatione Domui significetur; deinde in proxima Congregatione Moderatorum nomina sigillatim suffragiis Regentium permittantur: et tandem, post tres dies, in frequenti Convocatione, eodem modo a Domo approbanda demum, seu improbanda, proponantur. Moderatorum autem ita fiat designatio, ut duo Moderatores ex eodem Collegio vel Aula nunquam in eadem Schola simul existant.

4 Ex hisce Moderatoribus officio suo cedant quotannis duo in Schola Literarum Græcarum et Latinarum; in Schola autem Disciplinarum Mathematicarum, alternatim vel unus vel duo, prout res exegerit, ii nempe qui priores ad officium suum nominati fuerint; ita ut e numero septenario cuique Moderatori post exactum biennium officii sui sit terminus. Subrogentur autem in eorum locum tot alii quot ad numerum septenarium explendum sufficiant, ab iisdem viris, modo et ordine supra definitis, nomi-

nandi, et sub forma etiam supra definita, a Venerabili Domo Convocationis pariter et Congregationis approbandi.

5 Cautum etiam sit, ut nemo, qui Moderatoris officio per biennium integrum functus fuerit, eodem officio in eadem Schola, nisi post annum elapsum, iterum fungatur.

6 Attamen post Moderatores hosce primum designatos, donec eo res processerit ut Moderatores suo quisque ordine vicissim cedant, Juniorum erit loco cedere, nisi aliter Moderatores inter se statuant.

7 Moderatores singuli intra Scholarum præcinctus, singulis diebus Examinationis, Procuratoribus absentibus, Procuratoria auctoritate muniantur; atque insuper, durante officio suo, si modo in Artibus, vel in Medicina, vel in Jure Civili inceperint, sint Regentes ad placitum. Omnes autem et singuli in Domo Congregationis, antequam munus suum ineant, per Procuratorem Seniorem Juramento onerentur in hæc verba:

Domine Doctor, vel *Magister*, vel *Domine, tu jurabis te munus et officium Moderatoris, sedulo et fideliter, sepositis omni odio et amicitia, spe et timore, pro virili exsecuturum, forma et modo per statuta requisitis.* Resp. *Juro.*

§. 3. *De Prima Examinatione habenda, et de Candidatorum admissione.*

Hisce Examinationibus habendis assignentur Terminus Michaelis et Terminus Paschatis. Termino autem Michaelis, octavo die mensis Novembris; et Termino Paschatis, die Jovis Dominicam tertiam post Festum Paschatis proxime sequente, inchoentur. Quod si forte initium alicujus Examinationis in diem Festum inciderit, inchoatio ejusdem in diem proximum differatur. Quod ad has Examinationes habendas attinet Terminus Paschatis et Terminus Trinitatis pro uno Termino reputentur.

2 Qui autem examen subituri sunt, nomina sua vel per se, vel per Tutores suos, coram Procuratore Juniore profiteantur, in Libro penes Procuratorem Juniorem asservato, et in Terminos hosce

rite distributo, inserenda: quo etiam tempore, teneatur Candidatus unusquisque Schedulam nomine suo signatam rerum et librorum in quibus sese examinandum profitetur, in Procuratoris manus tradere; hac tamen lege ne quis serius quam sexto die ante Examinationem inchoandam Procuratorem de his rebus adeat.

3 Nemini autem examen suum cedat pro forma, qui vel ante inchoatum a tempore Matriculationis suæ Terminum Octavum, vel post finitum Duodecimum se examinandum stiterit; exceptis iis quibus indulget Academia ut, integro triennio in studiis Academicis completo, ad Gradum promoveantur. Hisce liceat post inchoatum Sextum Terminum, et ante Decimum finitum, examen subire.

4 Si quis autem infirma valetudine aut alia gravi causa impeditus, intra Terminos supra præfinitos non subierit examen primum, illi tamen liceat cum consensu Vice-Cancellarii et Procuratorum, sequente aliquo Termino sese examinandum sistere. Sin aliquis Vice-Cancellario et Procuratoribus in hac parte minus satisfecerit, illi tamen aditum ad Gradus omnino præcludere nolumus. Suspendatur vero a Gradu, per unum Terminum aut plures, pro numero scilicet Terminorum quibus sese, post finitum a tempore Matriculationis suæ undecimum Terminum, ad Primum Examen subeundum sistere omiserit. Meminerint igitur Decani vel Censores cujuscunque Collegii vel Aulæ sibi non licere cujusquam qui in hac parte deliquerit Gratiam in V. Domo Congregationis proponere, nisi lapso Termino, vel lapsis Terminis, prout supra Statutum est, post annos a tempore Matriculationis ejusdem ad primum quem ambit Gradum per Statuta usitate requisitos.

5 Nemo autem ad Primum Examen subeundum admittatur nisi qui Quæstionibus Magistrorum Scholarum in Parviso pro forma responderit. Testimonium Responsionis suæ in Parviso, sub Chirographo duorum e Magistris Scholarum, quilibet Candidatus per se vel per Tutorem suum coram Juniore Procuratore teneatur exhibere, eo ipso tempore quo et nomen suum inter Candidatos profitetur; neque Procuratori liceat, Testimonio isto non exhibito, quemquam in Candidatorum numerum referre.

6 Procurator autem Junior, ubi tandem, modo supra præscripto, de iis omnibus, qui sese Candidatos in Termino aliquo profiteri velint, certior factus fuerit, teneatur statim nomina eorum secundum usitatam seriem Literarum disposita in Schedulam referre; deinde, Schedulam istam Chirographo suo munitam et typis mandatam, sub hoc titulo, [*Nomina Examinandorum Prima Examinatione Termino A. D.*] ad Vice-Cancellarium, ad singulos Collegiorum et Aularum Præfectos, ad Procuratorem Seniorem, ad singulos Moderatores, et ad cujuslibet Collegii vel Aulæ Refectorium tam publicum quam privatum Magistrorum deferri, et ostiis etiam Bibliothecæ Bodleianæ, Scholæ Metaphysices, et Apodyterii Venerabilis Domus Convocationis affigi, curet: quæ omnia ita agenda sunt, ut tres dies integri inter Schedulam hanc publici juris factam et Examinationem inchoandam interjiciantur.

7 Et hæc Schedula Procuratoria, modo et forma præscriptis publicata, pro licentia, monitione, et notificatione generali, tam ab ipsis Moderatoribus, quam a Candidatis, habenda et accipienda est

8 Insuper ad Moderatorem in Schola Literarum Græcarum e Latinarum Seniorem Schedulas rerum et librorum, in quibus unusquisque Candidatus sese examinandum profitetur, Procurator Junior eodem tempore deferri curet.

§. 4. *De Materie, Loco, Forma et Modo Primæ Examinationis.*

Instituatur Examinatio in SS. Evangeliis Græcis, in Literis Humanioribus, et in Disciplinis Mathematicis.

2 Adhibentor semper SS. Evangelia Græca e quibus locus aliquis Candidato interpretandus proponatur; et deinde Quæstiones tam ad Grammaticam et ad sermonis proprietatem, quam ad horum SS. librorum materiem pertinentes, excutiantur.

3 Per Literas vero Humaniores, quod ad hanc Examinationem attinet, intelligimus Literas Græcas et Latinas, prout a scriptoribus melioris ævi et notæ posteris traditæ sunt. Poetis autem et Oratoribus locum præcipuum assignari volumus; Homerus ille, Virgilius, Demosthenes, Tullius in primis colantur. Dialecticam

quoque hisce literis adjungimus, atque in eadem profectum laudabilem, ad honorem consequendum, aliquid momenti habere volumus.

4 Adhibentor igitur duo ad minimum scriptores melioris ævi et notæ, alter scilicet Græcus alter Latinus, quorum alter sit Poeta, alter Orator. Nec cuiquam liceat Candidato, nisi in quatuor ad minimum scriptoribus se sistat examinandum, in hac Examinatione eosdem libros, quos coram Magistris Scholarum adhibuerit, aut omnino libros ab iisdem auctoribus scriptos, adhibere. Moderatores autem, ut perspectum habeant utrum in hac parte Statuto satisfactum fuerit, nec ne, conferant Schedulam ab unoquoque Candidato in Procuratoris manus traditam, et ad Moderatorem Seniorem delatam, cum iis quæ de eodem Candidato in Registris Magistrorum Scholarum in Schola Metaphysices adservatis, consignata fuerint.

5 In explicandis ad accuratam Grammaticæ normam utriusque linguæ principiis Candidati Moderatoribus omnino satisfaciant. Moderatoribus insuper explorandum incumbit, qua quisque polleat facultate animi sui sensa lingua Latina explicandi. Id quod explorare poterunt, porrecto aliquo libro, lingua vernacula conscripto, e quo oblatum quemcunque locum lingua Latina reddat Candidatus; aut alio quocunque demum modo quo sibi commodius satisfacturos Moderatores probabile sit.

6 Cæterum quod ad Literas Græcas et Latinas et ad Disciplinas Mathematicas attinet, Moderatoribus liberum esto quemlibet Candidatum vel in hisce universis vel in aliqua parte eorum, (prout ipsis satius visum fuerit) examinare; modo ut duo isti Scriptores Græci et Romani semper adhibeantur. A Candidatis autem honorem summum in Literis Græcis et Latinis petentibus Dialecticam semper requiri volumus. Quod ad cæteros attinet, illis liberum esto vel Dialecticam vel Algebraicam adhibere. Algebraicæ tamen tres ad minimum Euclidis Geometriæ libri semper adjungantur.

7 Examinationibus habendis assignentur Schola Metaphysices et Schola Musices. Liceat tamen Vice-Cancellario et Procurato-

ribus, locum aliquem alium vel plures, si opus fuerit, assignare, modo de hac re Academiam triduo ante certiorem fecerint.

8 Postquam igitur Moderator in Literis Græcis et Latinis Senior Schedulas istas rerum et librorum, in quibus Candidatus unusquisque sese examinandum profiteatur, a Procuratore Juniore acceperit, protinus reliquos Moderatores sibi adsciscat, quo facilius, istarum Schedularum ratione habita, Candidati omnes in duplicem seriem referantur. In primam scilicet referantur ii, qui nullum, in alteram, qui honorem aliquem in Schola Literarum Græcarum et Latinarum ambire videantur. Quam quidem seriem duplicem, manu scriptam, Moderatorum omnium chirographo munitam, et in Scholis adservandam, inspiciendi Candidatis, si quando opus erit, facultas detur.

9 Terminis autem Michaelis et Paschatis, diebus supra præscriptis, hora decima matutina in Scholas publicas se conferant septem illi Moderatores, atque ibi, prout inter ipsos convenerit, tres in Schola Metaphysices, tres itidem in Schola Musices, de die in diem Examinationi continuam operam impendant. Qui superest Moderator, pro re nata, Candidatis, dum ab iis aliquid sit in scriptis præstandum, invigilet. Dein sex illi Moderatores, quorum tres in utraque Schola uniuscujusque diei Examinationi adesse volumus, Candidatos in primam seriem antehac relatos statim ad examen subeundum citent. Nec tantum viva voce Candidatos, aut sigillatim, examinare liceat, sed eo et ordine, et numero, et modo, quo se melius, et cum majore operæ compendio, officio suo satisfacturos fore Moderatores arbitrentur; immo etiam, compluribus simul eosdem locos, Anglice, Latine, pro rei ratione reddendos, easdem quæstiones, ad rem criticam et ad Grammaticæ principia pertinentes, in scriptis enucleandas semper proponant.

10 Inter examinandum vero si quis Candidatus ita sese commendet ut honore dignus esse videatur, idem a Moderatoribus in utravis Schola, si consentiat ipse, cum cæteris in alteram seriem relatis, vel cum illis quorum nomina, (ut infra præscribetur,) ad Moderatores in Schola Mathematicæ sint deferenda, ad amplius et honorificentius examen subeundum admittatur.

11 Peracta demum eorum Examinatione qui in primam seriem fuerint relati, deinceps ad reliquos examinandos procedatur. Horum Examinationi quatuor illos in Literis Græcis et Latinis Moderatores adesse atque operam impigram impendere volumus; nisi quis propter infirmiorem valetudinem, aut aliam causam perurgentem, a Vice-Cancellario et Procuratoribus absentiæ veniam sibi impetraverit.

12 Ad examen subeundum ordine priores citentur ii, qui sese in Schola Mathematicæ examinandos sistere velint; postea reliqui, eo verumtamen et numero et ordine, quo cum facilius tum accuratius Moderatores cujusque ingenium et eruditionem se exploraturos et perspecturos judicent.

13 Iisdem quæstionibus, sive ad SS. Evangelia sive ad auctores profanos, sive ad Grammaticam et rem criticam, sive ad literarum Græcarum aut Latinarum peritiam generatim pertineant, excutiendis, iisdem locis e scriptoribus antiquis aut nostratibus, Græce, Latine, Anglice, pro rei ratione, reddendis, liceat Candidatos honorem aliquem ambientes complures simul pertentare; ita tamen ut saluberrimus ille viva voce examinandi modus in uniuscujusque Examinatione nunquam non obtineat.

14 Ab hujusmodi Candidatis non tantum scriptorum ad Grammaticæ normam exigatur interpretatio, sed etiam, iis semper proponantur loci quidam sermonis elegantia insigniores ex auctoribus Græcis pariter et Latinis, in linguam vernaculam reddendi; et si quis Candidatus fidus idem ac disertus interpres repertus fuerit, hoc illi in honorum distributione non parum prodesse volumus. Liceat quoque Candidatis versibus, tum Græcis, tum Latinis scribendis, culti et felicis ingenii specimen Moderatoribus exhibere. Philologiæ et rei Criticæ nunquam non habeatur ratio.

15 Et ut hæc Examinationis pars cautius et integrius peragatur, quæstiones istæ, et res, quæcunque in scriptis tractandæ Candidatis proponantur, omnium et singulorum Moderatorum, si commode fieri poterit, judicio subjiciantur et approbentur. Quinetiam si propter loci angustias, vel quamcunque ob causam expedire videatur, Candidati ad scribendum in aliam Scholam seorsim

transferantur, vel si res aliter effici nequeat, in cæteris Examinatio aliquantum intermittatur. Candidatis vero inter scribendum unus saltem e septem Moderatoribus semper intersit et invigilet.

16 In qualibet Examinatione, Candidatus quisque, pridie ante sui examen habendum, per Æditurum Universitatis, citetur. Si quis vero ad examen subeundum citatus non responderit, nisi ex causa rationabili a Vice-Cancellario approbanda, omni loco in Examinatione istius Termini privetur; neque ad aliam aliquam Examinationem tanquam Candidatus admittatur, nisi iterum coram Procuratore Juniore nomen suum professus fuerit; et citetur proximus Candidatus, sub eadem lege, et sic deinceps. Quod si Vice-Cancellarius causam aliquam absentiæ ratam habuerit, alius locus in Schedula pro arbitrio Moderatorum isti Candidato assignetur.

17 Unoquoque autem die ubi visum fuerit Moderatoribus nullum alium Candidatum isto die examinare, palam declaret Moderator Senior diem Examinationi continuandæ destinatum. Et post finitam uniuscujusque diei Examinationem alii omnes Schola excedant præter ipsos Moderatores, qui de Candidatis inter se judicium ferant, ac quemcunque dignum invenerint, ei Testimonium perhibeant sub hac forma:

A. B. [die mensis et anni] *examinatus prout Statuta requirunt satisfecit nobis Moderatoribus.*

Ita testamur { *C. D.*, *E. F.*, *G. H.* } *Moderatores.*

vel

Ita testamur { *I. K.*, *C. D.*, *L. M.*, *E. F.* } *Moderatores in Literarum Græcarum et Latinarum Schola.*

18 Quod si forte contingat aliquem hujusmodi Testimonio indignum reperiri, liceat tamen illi in proxima Examinatione Candidatum se iterum profiteri.

19 Interea vero, statim post confectam in Literis Græcis et Latinis Examinationem eorum qui in Disciplinis Mathematicis honorem ambiant, Candidatorum omnium quorumcunque nomina, qui Scholam Mathematicæ adituri in Literis Græcis et Latinis satisfecerint Moderatoribus, in novam Schedulam referantur. Quam quidem Schedulam Moderator in Literis Græcis et Latinis Senior suo chirographo munitam ad Moderatores in Schola Mathematicæ eodem die deferri curet, sub hoc titulo: *Nomina Examinandorum in Disciplinis Mathematicis.*

20 Moderatores in Schola Mathematicæ, post Schedulam istam ad se delatam, diem publicæ Examinationi in istis disciplinis intra quatuordecim dies habendæ constituant. De eo autem Academiam certiorem faciant Schedula monitoria ad Collegiorum et Aularum Præfectos deferenda, et ad portam insuper Refectorii vel Promptuarii cujusque Collegii et Aulæ affigenda, sub hac forma:

Examinatio Prima in Disciplinis Mathematicis die habenda est.

A.B. } *Moderatores*
C.D. } *in Disciplinarum*
E.F. } *Mathematicarum Schola.*

21 Die constituto in locum Examinationi Mathematicæ assignatum se conferant Moderatores, ibique hujusmodi Candidatos modo præfinito pridie citatos examinent, et post finitam uniuscujusque diei Examinationem de illorum meritis privatim inter se judicium ferant.

22 Materies autem hujus Examinationis sit ea tantum Mathematica, quæ vocatur Pura.

23 Tres Moderatores Mathematicos uniuscujusque Candidati examini omnino operam impigram impendere volumus: Statuimus etiam, uti in his quoque disciplinis Examinatio non in scriptis tantummodo, sed, quantum commode fieri poterit, viva voce agatur. Si vero post examen viva voce peractum, supersit aliquid scriptis a quolibet Candidato præstandum, unus ex his Moderatoribus

(absentiæ vicibus juxta Senioritatem, nisi aliter ipsis visum fuerit, inter se constitutis) in Schola semper adesse teneatur.

24 Continuetur autem Examinatio in unaquaque Schola (donec de omnibus Candidatis provisum fuerit) de die in diem nisi ob causam aliquam rationabilem Moderatoribus aliter visum fuerit; quod si evenerit, monentur Moderatores, ut de die quem continuandæ Examinationi destinaverint Academiam certiorem faciant Schedula monitoria ad Collegiorum et Aularum Præfectos deferenda, ad portam insuper Refectorii vel Promptuarii cujusque Collegii et Aulæ, et ad portam Scholæ Metaphysices per Æditauum Universitatis ad minimum ante meridiem diei præcedentis affigenda. Formula vero Schedulæ hæc esto:

Examinatio Prima die habenda est.

A. B.
C. D. } *Moderatores.*
E. F.

25 Hora decima matutina in Examinatione uniuscujusque diei incipienda semper servetur; at diebus Festis Examinatio non inchoetur nisi post concionem publice coram Universitate habitam.

26 Peracta demum in utravis Schola Examinatione, Moderatores in ista Schola eo ipso die, si fieri poterit, sin minus, postridie, Candidatorum omnium nomina in Schedulam quandam, forma infra præscribenda, redigant.

27 Honorum vero series duplex esto; quarum altera ad Literas Græcas et Latinas, altera ad Mathematicas Disciplinas, pertinere censenda est.

28 Et qui, vel in his, vel in illis, eo usque profecisse visi fuerint ut insigniore laude digni censeantur, in Primum istius Seriei ordinem referendi sunt; proximi his in Secundum, prout de cujusque meritis judicium tulerint Moderatores. Nomina autem in utroque ordine per usitatam seriem Literarum digerantur. Nomina quoque cæterorum omnium qui Moderatoribus satisfecerint huic

Schedulæ, et ista secundum seriem Literarum disposita, subjiciantur.

Forma autem Schedulæ hæc esto:

NOMINA CANDIDATORUM

QUI TERMINO A. D.

IN EXAMINATIONE PRIMA PUBLICA *PROGRESSUS LAUDABILES FECISSE VISI SUNT*, SECUNDUM SERIEM LITERARUM DISPOSITA

I°.

MODERATORIBUS SE MAXIME COMMENDAVERUNT,

IN LITERIS GRÆCIS ET LATINIS,	IN DISCIPLINIS MATHEMATICIS,
A. B. ex Aul.	*A. B. e Coll.*
C. D. e Coll.	*C. D. e Coll.*
E. F. e Coll.	*E. F. ex Aul.*

II°.

MODERATORIBUS SE EGREGIE COMMENDAVERUNT,

A. B. e Coll.	*A. B. ex Aul.*
C. D. e Coll.	*C. D. e Coll*
E. F. ex Aul.	*E. F. e Coll.*

A. B., *C. D.*, *E. F.*, *G.H.* } *Moderatores in Literarum Græcarum et Latinarum Schola.*

I. K., *L.M.*, *N. O.* } *Moderatores in Disciplinarum Mathematicarum Schola.*

Nomina cæterorum omnium qui Moderatoribus satisfecerunt:

A.B. e Coll.
C.D. e Coll.
E. F. ex Aul. &c. &c.

29 Statutum est ut neque in Testimoniis perhibendis, neque in hac Schedula ordinanda, Moderator de Candidato quovis suffragium vel judicium suum ferat, nisi cujus examini operam impigram impenderit.

30 Sin autem in Schedula hac ordinanda Moderatores pari utrinque suffragiorum numero in diversas sententias abierint, ea demum sententia rata esto, in qua Moderator Senior fuerit, modo ne sit ex eadem domo unde Candidatus ipse de quo agatur: si autem res ita se habeat, auctoritas simpliciter Senioris ad proxime Seniorem transferenda est. Quæ quidem Senioritas hoc modo æstimanda est; scilicet, Doctorum, juxta Ordinationes Tit. XI. §. 2. Baccalaureorum vero in quavis facultate, pariter ac Magistrorum, juxta prioritatem præsentationis suæ sive ad Gradum Magistri in Artibus, sive ad Baccalaureatum in Jure Civili, sive in Medicina.

31 Denique hanc Schedulam, propriis omnium Moderatorum nominibus signatam, et typis mandatam, ad Dominum Cancellarium, ad Vice-Cancellarium, ad singulos Collegiorum et Aularum Præfectos, ad utrumque Procuratorem, necnon ad cujusque Collegii et Aulæ Refectorium, tam publicum quam privatum Magistrorum, Moderator Senior in Schola Disciplinarum Mathematicarum deferri curet.

32 Attamen ne moræ aliquid Candidatorum justæ expectationi interponatur, volumus ut, priusquam hujus Schedulæ duplex et numeris omnibus absoluta series in lucem prodeat, eorum nomina vulgentur, qui in Literis Græcis et Latinis sese Moderatoribus commendaverint. Idcirco, cujusque Termini peracta in Literis Græcis et Latinis Examinatione, Moderator in ea Schola Senior, Schedulam eorum nomina complectentem qui honore aliquo digni in ordines juxta formam supra præscriptam relati fuerint, Moderatorum chirographis munitam, ad portam Scholæ Metaphysices, et ad portam Apodyterii Domus Convocationis affigi curet.

33 Volumus insuper uti Statutum hocce, quod ad Moderatorum Nominationem, Termino Hilarii, quod autem ad Examinationes habendas attinet, Termino Paschatis, A. D. 1852, vim et vigorem suum obtineat.

34 Si autem contigerit, aliquem qui in Universitatis Matriculam ante Terminum Hilarii A. D. 1850 receptus fuerit, Examen publicum ante Terminum Paschatis A. D. 1853 non subiisse, illi tamen liceat, dummodo per statuta nunc temporis legis vim habentia id fieri possit, se examinandum sistere coram Moderatoribus modo suprascripto nominatis; Moderatoribus autem fas sit Examinationem secundum formam Statuti A. D. 1830 conditi peragere; si vero Moderatoribus Candidatus satisfecerit, Testimonium illi sub hac forma perhibeant:

A. B. qui in Matriculam Universitatis ante Terminum Hilarii A. D. 1850 *receptus est, secundum formam Statuti A. D.* 1830 *conditi examinatus [die mensis et anni] satisfecit nobis Moderatoribus.*

Ita Testamur *A. B.*, *C. D.*, *E. F.* } *Moderatores.*

35 Hoc autem Testimonium Candidato pro primo Gradu cedat velut ac si ante Statutum hocce conditum Examinatoribus Publicis satisfecisset. Sed tali Candidato nullus locus in Honorum distributione assignetur. Quod vero ad ea spectat, quæ coram Procuratore Juniore ante exhibere tenetur quam nomen suum in Examinandorum Schedulam referatur, valeant quæ auctoritate Statuti A. D. 1830 conditi sanciuntur. Nomina hujusmodi Candidatorum, in speciali quadam schedula disposita, Procurator (re bene comperta) ad Moderatorem Seniorem deferri curet.

36 Statuimus etiam ut si quis in Termino Hilarii vel in Termino Paschatis A. D. 1849 in Matriculam Universitatis receptus, se examinandum sub forma hujus Statuti sistere velit, et veniam a Præfecto Domus suæ, et a Vice-Cancellario et Procuratoribus sibi impetraverit, illi liceat se Candidatum profiteri in Prima Examinatione vi hujus Statuti habenda, Termino Paschatis 1852, etiam si duodecimum Terminum a Matriculatione sua excesserit, dummodo Quæstionibus Magistrorum Scholarum in Parviso pro forma responderit; et cætera omnia observet quæ in hoc Statuto requiruntur.

§. 5. *De Examinatione publica secunda.*

Quod autem ad Secundam Examinationem attinet eorum qui primum Gradum ambiunt, quatuor sunto Scholæ; quarum Prima, Schola Literarum Humaniorum appelletur, Secunda, Schola Scientiarum Mathematicarum et Physicarum, Tertia, Schola Scientiæ Naturalis, et Quarta, Schola Jurisprudentiæ et Historiæ Modernæ.

2 Statuimus ut nemo pro primo gradu supplicet, nisi in Schola Literarum Humaniorum, et deinde in una qualibet ex cæteris Scholis, in eodem vel in sequenti aliquo Termino, examen subierit; et in utraque Schola Examinatoribus publicis satisfecerit. Statuimus etiam ut nemo Gratiam cujusquam qui examen subire debuerit, unquam proponat, nisi prius Testimonium Examinatorum Publicorum in Literis Humanioribus de Candidato suo, et deinde Testimonium Examinatorum Publicorum in quavis alia Schola, palam in Domo Congregationis recitaverit.

§. 6. *De Examinatoribus designandis et Juramento onerandis.*

Examinatores Publici sunto tredecim; quorum quatuor in Schola Literarum Humaniorum, tres in Schola Scientiarum Mathematicarum et Physicarum, tres itidem in Schola Scientiæ Naturalis, tres denique in Schola Jurisprudentiæ et Historiæ Modernæ, Examinationibus impendant operam. Hi omnes a Vice-Cancellario et utroque Procuratore nominentur; ita ut prima nominatio in unaquaque Schola sit penes Vice-Cancellarium, secunda penes Procuratorem Seniorem, tertia penes Procuratorem Juniorem; et hic ordo nominationum in perpetuum servetur. Examinatorum autem designatio ita fiat, ut duo Examinatores ex eodem Collegio vel Aula in eadem Schola nunquam simul existant.

2 Omnes vero Examinatores ex ipsorum consensu nominentur, et sint ex illorum numero qui vel aliquando inceperint in Artibus, vel Baccalaureatu saltem in Jure Civili, aut in Medicina, insigniti fuerint. Omnium nomina V. Domui Convocationis, pariter ac Congregationis, modo et forma in ea parte hujusce Statuti, quæ ad Moderatorum designationem pertinet, præscriptis, significentur, et approbanda seu improbanda proponantur.

3 Ex hisce Examinatoribus officio suo cedant duo quotannis in Schola Prima; in cæteris autem Scholis alternatim vel unus vel duo, prout res exegerit, ii nempe qui primi ad officium suum nominati fuerint; ita ut Examinatori cuique post exactum biennium officii sui sit Terminus. Subrogentur autem in eorum locum tot alii quot ad justum numerum explendum sufficiant, ab iisdem viris modo et ordine supra definitis nominandi, et sub forma etiam supra definita a V. Domo Convocationis pariter ac Congregationis approbandi. Nemo autem qui Examinatoris officio per biennium functus fuerit eodem officio in eadem Schola, nisi post biennium elapsum, iterum fungatur.

4 Attamen donec eo res processerit ut Examinatores suo quisque ordine vicissim cedant, Juniorum erit loco cedere, nisi aliter Examinatores inter se statuant.

5 Examinatores singuli, intra Scholarum præcinctus, singulis diebus Examinationis Procuratoribus absentibus, Procuratoria auctoritate muniantur, atque insuper durante officio suo, si modo in Artibus, vel in Medicina, vel in Jure Civili inceperint, sint Regentes ad placitum. Omnes autem et singuli in Domo Congregationis, antequam munus suum ineant, per Seniorem Procuratorem juramento onerentur, in hæc verba:

Domine Doctor, vel *Magister*, vel *Domine, tu jurabis, te munus et officium Examinatoris Publici sedulo et fideliter, omni odio et amicitia, spe et timore, sepositis, pro virili exsecuturum, forma et modo per Statuta requisitis.* Resp. *Juro.*

§. 7. *De Examinationibus habendis et de Candidatorum Admissione.*

Examinationibus habendis assignentur Terminus Michaelis et Terminus Paschatis. In Termino Michaelis, Examinationes in Literis Humanioribus die vicesimo quarto mensis Octobris; et in Termino Paschatis, die Jovis Dominicam secundam post Festum Paschatis sequente incipiant; at si forte initium alicujus Examinationis in diem Festum inciderit, inchoatio ejusdem in diem

proximum differatur. Quod ad has Examinationes habendas attinet Terminus Paschatis et Terminus Trinitatis pro uno Termino reputentur.

2 Qui autem in alterutro horum Terminorum examen subituri sunt, nomina sua vel per se, vel per Tutores suos, coram Procuratore Seniore profiteantur, in Libro penes Procuratorem Seniorem asservato, et in Terminos hosce rite distributo, inserenda: quo etiam tempore, Candidatus unusquisque Schedulas, manu sua in fine signatas, rerum et librorum in quibus sese examinandum profitetur, Procuratoris in manus tradat; hac tamen lege, ne quis serius quam quinto die ante Examinationem inchoandam Procuratorem de his rebus adeat.

3 Nemini examen suum cedat pro forma, qui se examinandum stiterit ante inchoatum a tempore Matriculationis suæ quartum annum; exceptis iis quibus indulget Academia, ut integro triennio in studiis Academicis completo ad Gradum promoveantur. Hisce liceat post inchoatum tertium annum, a tempore Matriculationis suæ, Examen Secundum subire.

4 Nemo ad hoc Examen subeundum admittatur, nisi qui Moderatoribus satisfecerit; nemo qui non duos Professores, vel Prælectores publicos, et unam ad minimum utriusque lectionum seriem integram audiverit. Iis tantum perhibeant Testimonium Professores vel Prælectores quos et præsentes fuisse et attento animo audivisse crediderint. Quamvis autem Studentibus incumbat Lectiones omnes in utraque serie audire, non tamen illi denegari volumus testimonium qui semel, vel etiam bis, si Lectionum series plures quam octo Lectiones comprehenderit, valetudine, aut alia gravi causa, Professori seu Prælectori approbanda, impeditus, Lectionibus haud interfuerit. Et quo unumquemque adfuisse liquido appareat, auditores singuli nomina sua in Tabulis penes Professorem seu Prælectorem adservandis, propriis manibus inserant. Testimonii vero hæc esto formula:

A. B. e Col. vel *Aul.* *Lectiones meas per Terminum*
anni *secundum Statuta audivit.*
Ita Testor *C. D.* *Professor* vel *Prælector.*

5 Auditores vero qui Lectionum auditarum Testimonium ambiant, unum saltem diem ante inchoandam Lectionum seriem, nomina sua inscribant in Tabulis penes singulos Professores seu Prælectores adservandis. Professores autem, et Prælectores, nomina eorum omnium quibus Testimonium perhibuerint in Libris ad hunc usum destinatis, et in Terminos rite distributis inserant. Hos libros omnes custodiendos Registrario Universitatis committimus, ut si aliquando id res exegerit, ad illos recurrere sit in promptu.

6 Quæ quidem Professorum, seu Prælectorum Testimonia, atque insuper Testimonium sub Chirographo trium Moderatorum, quilibet Candidatus, una cum Testimonio Matriculationis suæ, per se vel per Tutorem suum, coram Procuratore Seniore, eo ipso tempore quo et nomen suum inter Candidatos profitetur, exhibeat; neque liceat Procuratori, Testimoniis istis non exhibitis, Candidatum in numerum Examinandorum referre.

7 Procurator autem Senior, ubi tandem, modo supra præscripto, de iis omnibus, qui sese examinandos in Termino aliquo profiteri velint, certior factus fuerit, eorum nomina statim in Schedulam referat, secundum ordinem literarum disposita; deinde Schedulam istam Chirographo suo munitam et typis mandatam sub hoc titulo [*Nomina Examinandorum Secunda Examinatione Termino A. D.*] ad Vice-Cancellarium, ad singulos Collegiorum et Aularum Præfectos, ad Procuratorem Juniorem, ad singulos Examinatores, et ad cujusque Collegii vel Aulæ Refectorium tam publicum quam privatum Magistrorum deferri, et ostiis etiam Bibliothecæ Bodleianæ, Scholæ Metaphysices, et Apodyterii Venerabilis Domus Convocationis affigi, curet: quæ omnia ita agenda sunt, ut tres dies integri inter Schedulam hanc publici juris factam et Examinationem inchoandam interjiciantur.

8 Et hæc Schedula Procuratoria, modo et forma præscriptis publicata, pro licentia, monitione, et notificatione generali, tam ab ipsis Examinatoribus, quam a Candidatis, habenda et accipienda est.

9 Procurator insuper in aliam Schedulam nomina referat Candidatorum omnium qui Terminum duodevicesimum ab ipsorum Matri-

culatione excesserint; et hanc Schedulam, manu scriptam, et nomine suo signatam, una cum Schedulis rerum et librorum in quibus unusquisque Candidatus sese examinandum profitetur, quam primum fieri poterit, ad Examinatorem in Literis Humanioribus Seniorem deferri curet.

§. 8. *De Materie, Loco, Forma et Modo Examinationis Secundæ.*

In Schola Literarum Humaniorum instituatur Examinatio in Rudimentis Religionis et in Literis Humanioribus.

2 Præ cæteris omnibus primum sibi locum vindicant Religionis Rudimenta. Meminerint Examinatores, et hanc sibi sanctam habeant juramenti sui interpretationem, defectum in hac re nullis aliis quibuscunque Candidatorum meritis compensari posse, ita ut qui in hac gravissima materie Examinatoribus non satisfecerit, nullum omnino Testimonium obtineat.

3 Adhibentor semper SS. Evangelia Græca, et Acta SS. Apostolorum, e quibus locus aliquis Candidato interpretandus proponatur; et Quæstiones ex ista interpretatione oriundæ, nec non Quæstiones ad Historiam, et ad Argumenta Librorum, tam Veteris quam Novi Testamenti pertinentes, excutiantur.

4 Adhibentor etiam Doctrinæ Articuli in Synodo Londini anno 1562 editi; in quibus, juxta Academiæ Statuta, a Tutoribus instituendi sunt omnes qui illorum tutelæ committuntur. De ipsis Dogmatibus breves sunto et dilucidæ Quæstiones; deinde ad locos S. Scripturæ provocetur, ex quibus Dogmati isti de quo agitur fides præcipue adstruenda sit.

5 Porro et Evidentiæ quas vocant, sive Probationes quibus innititur Religionis tam Naturalis quam Revelatæ veritas, in hac Examinatione locum sibi vindicent. Liceat insuper Candidatis qui locum aliquem in tribus superioribus Classibus ambiant, sese in una vel etiam in pluribus SS. Apostolorum Epistolis, et in aliqua Historiæ Ecclesiasticæ parte, examinandos profiteri.

6 Candidatorum autem complurium aut singulorum examen in scriptis, si ita placuerit Examinatoribus, inchoatum, ita continuari volumus ut Candidatus unusquisque viva voce quoque, in iis præsertim quæ ad Rudimenta Religionis spectant, semper examinetur.

7 Per Literas vero Humaniores, quoad ad hanc Scholam attinet, intelligimus non tantum linguas Græcam et Latinam, sed et Historias Græcam et Romanam, (eas videlicet quæ antiquæ habentur,) et quæ ad Historiam pertinent, Phronologiam, Geographiam, Antiquitates; Rhetoricam quoque et Poeticam; Moralem insuper et Politicam Scientiam, quatenus a scriptoribus veteribus derivandæ sint, quas tamen aliquando, prout expedire videbitur, ex neotericorum scriptis illustrari permittimus. Dialecticam, quam his literis adjungimus, a Candidatis Primam aut Secundam Classem petentibus semper adhiberi volumus. Et si quis in Dialectica se bene institutum probaverit, hoc in honorum distributione aliquantum momenti habeat.

8 Adhibentor, igitur, duo ad minimum Scriptores Græci et Romani melioris ævi et notæ, (unus scilicet in utraque lingua) quorum unus sit ex illis qui Philosophiam tractaverunt, alter Historicus. Nec cuiquam liceat Candidato, nisi in quatuor ad minimum scriptoribus se sistat examinandum, in hac Examinatione eosdem libros, quos coram Magistris Scholarum adhibuerit, aut omnino libros ab iisdem auctoribus scriptos, adhibere. Examinatores autem, ut perspectum habeant utrum in hac parte Statuto satisfactum fuerit, nec ne, conferant Schedulam ab unoquoque Candidato in Procuratoris manus traditam, et ad Examinatorem Seniorem delatam, cum iis quæ de eodem Candidato in Registris Magistrorum Scholarum in Schola Metaphysices adservatis, consignata fuerint.

9 Quo autem evidentius appareat Juniores, spretis socordiæ adjumentis, ex ipsis fontibus hausisse, locos nonnullos e scriptoribus allatis, seu in Scriptis, seu viva voce, in Linguam vernaculam vertant, et Quæstiones ad materiem librorum quos attulerit Candidatus, pertinentes tractent.

10 Candidatos autem honorem aliquem ambientes, complures aut singulos, quæstionibus enucleandis, dissertationibus Latine, Græce, Anglice, componendis, Scriptoribus interpretandis, quacunque demum ratione se cujusque ingenium et eruditionem melius exploraturos arbitrentur, Examinatores pertentent.

11 Examinationibus habendis assignentur Schola Metaphysices et

Schola Musices. Liceat tamen Vice-Cancellario et Procuratoribus, locum aliquem alium, vel plures, si opus fuerit, assignare, modo de hac re Academiam triduo ante certiorem fecerint.

12 Postquam igitur Examinator in Literis Humanioribus Senior Schedulas istas a Procuratore acceperit, protinus tres reliquos Examinatores sibi adsciscat, quo facilius, Schedularum ratione habita, Candidati in duplicem seriem referantur. In primam scilicet referantur ii, qui nullum, in alteram, qui aliquem locum in tribus Classibus superioribus in Schola Literarum Humaniorum ambire videantur. Quam quidem seriem duplicem, manu scriptam, Examinatorum omnium chirographo munitam, et in Scholis adservandam, inspiciendi Candidatis, si quando opus fuerit, facultas detur.

13 Terminis autem Michaelis et Paschatis, diebus supra præscriptis, hora decima matutina, in Scholas publicas se conferant quatuor illi Examinatores, atque ibi, prout inter ipsos convenerit, duo in Schola Metaphysices, duo itidem in Schola Musices, de die in diem examinent Candidatos in primam seriem antehac relatos, et modo infra præscribendo citatos, eo vero et numero et ordine, quo cum majore operæ compendio se officio suo satisfacturos fore arbitrentur.

14 Peracta demum eorum Examinatione qui in primam seriem fuerint relati, deinceps ad reliquos examinandos procedatur. Horum Examinationi quatuor illos in Literis Humanioribus Examinatores adesse atque operam impigram impendere volumus; nisi quis propter infirmiorem valetudinem, aut aliam causam perurgentem, a Vice-Cancellario et Procuratoribus absentiæ veniam sibi impetraverit.

15 Ad examen subeundum ii primi citentur qui in Schola Scientiæ Naturalis, his proximi qui in Schola Scientiarum Mathematicarum et Physicarum, deinde qui in Schola Jurisprudentiæ et Historiæ Modernæ, examinandos sese sistere debeant. Postremi examinentur qui eodem termino nullam aliam Scholam sint adituri.

16 Statim post confectam in Literis Humanioribus Examinationem eorum qui in Scholam Scientiæ Naturalis descendere velint, illorum omnium nomina qui, in ista Schola examinandi, Examinatoribus publicis in Literis Humanioribus satisfecerint, in novam

Schedulam referantur. Quam quidem Schedulam Examinator in Literis Humanioribus senior manu sua signatam, una cum Schedulis rerum et librorum in quibus Candidati in Schola Scientiæ Naturalis sint examinandi, ad Examinatores in ista Schola deferri curet. Hunc autem Titulum præ se ferat Schedula, *Nomina Examinandorum in Scientia Naturali.*

17 Examinatori in Literis Humanioribus Seniori incumbat insuper, ut in aliam Schedulam, ad eosdem Examinatores deferendam, nomina referat Candidatorum, qui duodevicesimum Terminum a Matriculatione sua excesserint.

18 Quod autem ad illos spectat qui testimonio digni habiti in Schola Literarum Humaniorum, Scholam Scientiarum Mathematicarum et Physicarum vel Scholam Jurisprudentiæ et Historiæ Modernæ, adire velint, omnia eodem modo, eadem cura, agantur, mutatis tamen mutandis, prout rei ratio postulabit.

19 Examinatores autem in Scientia Naturali, post Schedulam istam ad se delatam, diem publicæ Examinationi in hac Scientia intra dies octo habendæ constituant; et de eo die Academiam certiorem faciant Schedula monitoria ad Collegiorum et Aularum Præfectos deferenda, et ad portam insuper Refectorii vel Promptuarii cujusque Collegii et Aulæ affigenda, sub hac forma:

Examinatio in Scientia Naturali die habenda est.

A. B. } *Examinatores*
C. D. } *in Scientia*
E. F. } *Naturali.*

20 Die autem constituto, in locum Examinationi assignatum se conferant Examinatores isti, ibique hujusmodi Candidatos, modo infra definiendo pridie citatos, pro rei ratione examinent.

21 In hac Schola nullus Candidatus Testimonio dignus habeatur, nisi Principiis Philosophiæ Mechanicæ, Chemiæ, et Physiologiæ, vel trium harum Scientiæ Naturalis partium duabus saltem sit imbutus, et insuper in Disciplina quadam Physica quæ ex Philosophia Mechanica pendet, ita profecerit ut Examinatoribus satisfaciat.

22 Candidatis vero honorem aliquem in hac Schola petentibus, necesse sit, ut in unaquaque Scientiæ Naturalis supra dicta parte sint instituti, necnon etiam ut e Disciplinis Physicis, qua-

rum materies in qualibet Scientiæ Naturalis partium prædictarum continetur, unam ad minimum elegerint in qua se instructos atque peritos Examinatoribus exhibeant.

23 Examinatores similiter Mathematici, post Schedulas ab Examinatoribus in Literis Humanioribus ad se delatas, diem Examinationi in Scientiis Mathematicis et Physicis intra dies quindecim habendæ constituant; diem constitutum Academicis significent; et quum advenerit, Candidatis citatis, in Schola sibi assignata opus aggrediantur.

24 In hac autem Schola materies Examinationis sit Mathematica non ea tantum quæ Mixta, sed ea etiam quæ Pura dicitur.

25 Nulli Candidato in hac Schola Testimonium concedatur, nisi adhibuerit ad minimum illam Geometriæ planæ partem quæ ab Euclide in primo et sequentibus, usque ad sextum inclusum, libris tractata est: vel, si id malit, primam Algebraicæ partem. Cum autem nonnullæ planæ Geometriæ partes sint quæ Algebraicæ ope commode explicantur, utram partes istas tractandi sequi malint rationem, Candidatorum sit optio.

26 Nec aliter agant Examinatores in Schola Jurisprudentiæ et Historiæ Modernæ, cum ad illos Schedulæ præscriptæ delatæ fuerint. Diem Examinationi in istis Literis habendæ intra dies viginti præfiniant, Academiam rite moneant, die et loco præfinitis Examinationum initium faciant.

27 In Schola autem Jurisprudentiæ et Historiæ Modernæ hæc esto materies Examinationis; Historia recentiorum temporum usque ad annum a Christo nato millesimum septingentesimum octogesimum nonum; Jurisprudentia, et specialiter Leges Angliæ. Jus Civile, aut Jus, quod vocant, Belli et Pacis, ab omnibus primam, secundam, aut tertiam classem ambientibus semper requiri volumus. Celeberrimum etiam illud opus Philosophi nostratis Adami Smith, "de Gentium Opibus," candidatis adhibere liceat.

28 Nemini autem in hac Schola concedatur Testimonium, nisi qui, rerum in Anglia ab anno Salutis millesimo sexagesimo sexto usque ad annum millesimum quingentesimum nonum gestarum, et portionis illius Commentariorum Gulielmi Blackstone, editione probatissima semper adhibita, in qua de Rebus Immobilibus disseruit vir

doctissimus; vel rerum in Anglia ab anno Salutis millesimo quingentesimo nono usque ad annum millesimum septingentesimum secundum, et legum quæ apud nos Res Mobiles spectant et Personas, eodem Juris Consulto auctore, se peritum præbuerit. Candidatis tamen liceat, in locum hujus vel illius Juris Anglici partis, Institutiones Imperiales substituere.

29 Inter Examinandum vero si quis Candidatus ex illis qui nullum locum in tribus superioribus Classibus ambire videbantur, ita sese commendet ut honore aliquo dignus habeatur, idem ab Examinatoribus in unaquaque Schola vel statim in Quartam Classem referatur; vel, si ita velint Examinatores et consentiat ipse, cum cæteris ad amplius et honorificentius examen subeundum admittatur: sub ea tamen lege, ut quæstionum jam antea ab illo enucleatarum ratio habeatur, et tandem, peracto examine, si laude insigniore parum dignus reperiatur, in Quarta Classe locum omnino sibi vindicet.

30 In unaquaque harum trium Scholarum, sicut et in Prima, Candidatos eo et numero et ordine citent, et eo modo exerceant Examinatores quo, cum facilius tum accuratius, ingenium cujusque et eruditionem se exploraturos et perspecturos judicent.

31 In qualibet Examinatione, Candidatus quisque pridie ante sui examen habendum per Æditaum Universitatis citetur. Si quis vero ad examen subeundum in aliqua Schola citatus non responderit, nisi ex causa rationabili a Vice-Cancellario approbanda, omni loco in Examinatione istius Termini, quod ad hanc Scholam attinet, privetur; neque in sequente quovis Termino in hanc Scholam tanquam Candidatus admittatur, nisi iterum coram Procuratore Seniore nomen suum professus fuerit; et citetur proximus Candidatus, sub eadem lege, et sic deinceps. Quod si Vice-Cancellarius causam aliquam absentiæ ratam habuerit, alius locus in Schedula pro arbitrio Examinatorum isti Candidato assignetur.

32 Unoquoque autem die ubi visum fuerit Examinatoribus nullum alium Candidatum isto die examinare, palam declaret Examinator Senior diem Examinationi continuandæ destinatum. Et post finitam uniuscujusque diei Examinationem alii omnes Schola excedant præter ipsos Examinatores, qui de Candidatis inter se judi-

cium ferant, ac quemcunque dignum invenerint, ei Testimonium perhibeant sub hac forma:

A. B. [die mensis et anni] *prout Statuta requirunt Examinatus, satisfecit nobis Examinatoribus.*

Ita testamur	*C. D.* *E. F.*	*Examinatores Publici in Literis Humanioribus.*
vel		
Ita testamur	*I. K.* *L. M.* *N. O.* *P. Q.*	*Examinatores Publici in Literis Humanioribus.*
vel		
Ita testamur	*R. S.* *T. V.* *W. Y.*	*Examinatores Publici in Scientiis Mathematicis et Physicis* vel *Scientia Naturali* vel *Jurisprudentia et Historia Moderna.*

33 Quod si contingat aliquem hujusmodi Testimonio indignum reperiri, liceat tamen illi in sequentis alicujus Termini Examinatione Candidatum se iterum profiteri.

34 Examinatores omnes in Schola Scientiarum Mathematicarum et Physicarum, in Schola Scientiæ Naturalis, in Schola Jurisprudentiæ et Historiæ Modernæ, Candidatorum examini operam impigram impendere volumus. Statuimus autem Examinationem in his Scholis, non in scriptis tantummodo sed etiam viva voce agendam esse. Candidatis inter scribendum unus saltem ex Examinatoribus semper intersit et invigilet.

35 Quod si quis ex Moderatoribus vel ex Examinatoribus publicis propter infirmiorem valetudinem aut aliam causam perurgentem, a Vice-Cancellario et Procuratoribus absentiæ veniam sibi impetraverit, alius ex nominatione Vice-Cancellarii et Procuratorum, a Ven. Domo Convocationis approbandus, pro hac vice in illius locum substituatur. Nemini tamen istiusmodi venia ultra unam Examinationem prorogetur.

36 Liceat vero, tum Moderatoribus tum Examinatoribus, in omni hoc Examinationis negotio, aut Latino aut Anglicano idiomate uti;

et quæcunque Candidati in scriptis præstiterint, ea etiam extra locum Examinationis inspicere et perpendere.

37 Continuetur autem Examinatio in unaquaque Schola (donec de omnibus Candidatis provisum fuerit) in diem ex die, nisi, ob causam aliquam rationabilem, Examinatoribus aliter visum fuerit; quod si evenerit, monentur Examinatores, ut de die quem continuandæ Examinationi destinaverint, Academiam certiorem faciant, Schedula monitoria ad Collegiorum et Aularum Præfectos deferenda, ad portam insuper Refectorii vel Promptuarii cujusque Collegii et Aulæ, et ad portam Scholæ Metaphysices, per Ædituum Universitatis, ad minimum ante meridiem diei præcedentis affigenda. Formula vero Schedulæ hæc esto:

Examinatio Publica die in Schola habenda est.

A. B.
C. D. } *Examinatores.*
E. F.

38 Hora decima matutina in Examinatione uniuscujusque diei incipienda semper servetur, at Diebus Festis Examinatio non inchoetur nisi post concionem publice coram Universitate habitam.

39 Hoc semper animo infixum habeant Magistri Scholarum, Moderatores, Examinatores Publici, nos nihil triste aut asperum moliri. Lenitati ubique consultum volumus, modo ne sit ea, quæ Juniorum socordiæ patrocinari videatur. Nemo igitur non dignus testimonio habeatur qui in materie Examinationis modo præscripta satisfecerit illis quibus hoc munus commiserit Academia. Meminerint tamen hi viri nemini cujuslibet rei causa, vel perhibendum esse vel denegandum testimonium, nisi in quantum profectus sui documenta, inter ipsum examen præstiterit, aut non præstiterit.

40 Ne liceat Moderatori aut Examinatori Candidatum ex eadem Domo ex qua sit ipse examinare.

41 Peracta demum in unaquaque Schola Examinatione, Examinatores in ista Schola, Candidatorum omnium nomina, quam primum fieri poterit, in Classes distribuant, et in Schedulam quandam, forma infra præscribenda redigant.

42 Classium vero series quadruplex esto, quarum Prima ad Literas Humaniores, Secunda ad Mathematicas et Physicas Scientias, Ter-

tia ad Scientiam Naturalem, et Quarta denique ad Jurisprudentiam et Historiam Modernam pertinere censenda est.

43 Et qui in unaquaque harum disciplinarum eo usque profecisse visi fuerint, ut insigniore laude digni censeantur, in Primam Classem referantur; proximi his in Secundam, in Tertiam aut in Quartam, prout de cujusque meritis judicium tulerint Examinatores. Nomina in unaquaque Classe per usitatam seriem Literarum digerantur.

44 Huic Schedulæ subjiciantur nomina (et ista secundum seriem Literarum disposita) cæterorum omnium qui in unaquaque Schola Examinatoribus satisfecerint.

45 Nolumus Examinatorem vel in Testimoniis perhibendis, vel in hac Schedula ordinanda, de Candidato quovis suffragium vel judicium suum ferre, nisi cujus examini operam impigram impenderit.

46 Sin autem in Schedula hac ordinanda Examinatores pari utrinque suffragiorum numero in diversas sententias abierint, ea demum sententia rata esto, in qua fuerit Examinator Senior in unaquaque Schola, modo ne sit ex eadem domo unde Candidatus ipse de quo agatur: at si res ita sit, auctoritas simpliciter Senioris ad proxime Seniorem transferenda est. Quæ quidem Senioritas hoc modo æstimanda est; scilicet, Doctorum, juxta Ordinationes Tit. XI. §. 2. Baccalaureorum vero in quavis facultate, pariter ac Magistrorum, juxta prioritatem præsentationis suæ sive ad Gradum Magistri in Artibus, sive ad Baccalaureatum in Jure Civili, sive in Medicina.

47 Nullus autem Candidatus honore afficiatur qui Terminum a Matriculatione sua duodevicesimum excesserit.

48 Volumus, insuper, ut nomini cujuscunque Candidati, (sive in Classem quamlibet, sive in ordinem eorum qui Examinatoribus tantum satisfecerint, relatus fuerit,) notula adscribatur quædam, ex qua manifestum sit quem quisque locum in Prima Examinatione sit adeptus; ex. gr. si quis inter illos qui se Moderatoribus maxime commendaverint in Schola Literarum Græcarum et Latinarum admissus fuerit, ejus nomini adponatur litera majuscula *A*; et itidem litera *B*, illos denotet qui se iisdem Moderatoribus egregie commendaverint. Pari ratione, literis Græcis α, β, indicandus erit locus a Moderatoribus Scholæ Disciplinarum Mathematicarum Candidato assignatus, cujus nomen

alterutra harum literarum insignitum sit. Quid autem sibi velint hæ literæ, nota in fine Schedulæ addita, lectorem moneant Examinatores.

49 Forma Schedulæ hæc esto :

NOMINA CANDIDATORUM

QUI IN EXAMINATIONE PUBLICA SECUNDA, HONORE DIGNI SUNT HABITI

TERMINO A. D.

IN UNAQUAQUE CLASSE SECUNDUM ORDINEM LITERARUM DISPOSITA.

	IN LITERIS HUMANIORIBUS.	IN SCIENTIIS MATHEMATICIS ET PHYSICIS.	IN SCIENTIA NATURALI.	IN JURISPRUDENTIA ET HISTORIA MODERNA.
CLASS. I.	*A. B. e Coll.* A β * *C. D. e Coll.*	*A. B. e Coll.* β A *C. D. ex Aul.* α B	*A. B. e Coll.* β *C. D. ex Aul.*	*A. B. e Coll. A.B.* *C. D. ex Aul.*
CLASS. II.	*A. B. e Coll.* B α *C. D. e Coll.*	*B. D. e Coll.* *E. F. ex Aul.*	*E. F. e Coll.* A β *G. H. e Coll.*	*E. F. e Coll. B.A.* *G. H. e Coll.*
CLASS. III.	*A. B. e Coll.* *B. C. e Coll.* A α	*A. B. e Coll.* *C. D. ex Aul.*	*A. B. e Coll.* *C. D. e Coll.* A α	*A.B. ex Aul.* *C. D. e Coll.*
CLASS. IV.	*A. B. e Coll.* *B. C. e Coll.* *D. F. e Coll.*	*A. B. ex Aul.* β A *B. C. e Coll.* α β *E. F. ex Aul.*	*A. B. e Coll.* *C. D. ex Aul.* *E. F. e Coll.*	*A. B. ex Aul.* *C. D. e Coll.* *E. F. e Coll.*
	A. B. C. D. E. F. G. H. Examinatores in Literis Humanioribus.	*A. B. C. D. E. F.* Examinatores in Scientiis Mathematicis et Physicis.	*A. B. C. D. E. F.* Examinatores in Scientia Naturali.	*A. B. C. D. E. F.* Examinatores in Jurisprudentia et Historia Moderna.

Nomina cæterorum omnium qui in unaquaque Schola Examinatoribus satisfecerunt.

A. B. e Coll. A	*A. B. e Coll.* β A	*A. B. e Coll.* β	*A. B. e Coll.* A
C. D. e Coll.	*B. C. ex Aul.* α β	*E. F. ex Aul.*	*C. D. ex Aul.* β
E. F. e Coll. B	*E. F. e Coll.*	*G. H. e Coll.* α	*E. F. ex Aul.*
G. H. ex Aul.	*L. M. e Coll.*	*L. M. e Coll.*	*G. H. e Coll.*
I. K. ex Aul.	*M. N. ex Aul.*	*O. P. ex Aul.*	*&c.*
L. M. e Coll.	*&c.*	*&c.*	
N. O. ex Aul. α			
P. Q. e Coll.			
R. S. ex Aul.			
T. V. e Coll.			
&c.			

* *Litera A denotantur illi qui in Examinatione Prima se maxime, litera autem B illi qui se egregie, Moderatoribus Scholæ Literarum Græcarum et Latinarum commendaverunt. Pari ratione, literis Græcis α. β indicatur locus a Moderatoribus Scholæ Disciplinarum Mathematicarum assignatus Candidato, cujus nomen alterutra harum literarum insignitum est.*

50 Denique hanc Schedulam, propriis omnium Examinatorum nominibus signatam, et typis mandatam, ad Dominum Cancellarium, ad Vice-Cancellarium, ad singulos Collegiorum et Aularum Præfectos, ad utrumque Procuratorem, necnon ad cujusque Collegii et Aulæ Refectorium, tam publicum quam privatum Magistrorum, Examinator Senior in Literis Humanioribus deferri curet.

51 Attamen ne moræ aliquid Candidatorum justæ expectationi interponatur, volumus ut, priusquam hujus Schedulæ quadruplex et numeris omnibus absoluta series in lucem prodeat, eorum nomina vulgentur, qui in Schola qualibet Examinatoribus sese commendaverint. Idcirco, Examinatione in Schola quacunque peracta, Examinator in ea Schola Senior, Schedulam, eorum nomina complectentem qui honore aliquo digni, in Classes, juxta formam supra præscriptam, relati fuerint, Examinatorum chirographis munitam, ad portam Scholæ Metaphysices, et ad portam Apodyterii Domus Convocationis affigi curet.

§. 9. *De Officio ac Cura Vice-Cancellarii et Procuratorum circa examinationes; et de Moderatoribus et Examinatoribus remunerandis.*

Quo Statutum hoc de examinandis Candidatis in futurum sancte et inviolabiliter observetur, Volumus ut unicuique Scholæ, sive in Prima sive in Secunda Examinatione Vice-Cancellarius et Procuratores, singuli semel ad minimum, intersint, exploraturi utrum omnia rite et secundum Statuta peragantur.

2 Si quis vero Moderator vel Examinator vel fatis concesserit, vel se officio suo abdicaverit, vel (quod absit) in gravissimo hoc munere obeundo ita se gesserit ut, ex Vice-Cancellarii, vel amborum Procuratorum, sententia, ab officio suo amoveatur, tanquam qui neque Matris Academiæ dignitati, neque juramenti sui obligationi, satisfecerit, alius in ejus locum, qui vices ejus suppleat in partem biennii nondum elapsam, forma et modo supra præfinitis, continuo subrogetur.

3 Et quo Moderatoribus et Examinatoribus accedant non modo Gratiæ, quas illis usque aget habebitque Academia maximas, sed

et remunerationes quædam pecuniariæ, Statutum est, ut Candidatus unusquisque, cum inter examinandos refertur, tum in Prima, tum in Secunda Examinatione, persolvat xxi solidos; hæ vero pecuniæ a Procuratoribus ad Vice-Cancellarium deferantur; qui, aliis insuper, quantum opus fuerit, e Cista Academica Pecuniis depromptis, id semper curet, ut unicuique Moderatori in Schola Disciplinarum Mathematicarum annua sexaginta librarum, et unicuique Moderatori in Schola Literarum Græcarum et Latinarum octoginta librarum, unicuique autem Examinatori in Literis Humanioribus annua centum librarum, et unicuique cæterorum Examinatorum annua quinquaginta librarum pensio persolvatur.

4 Statutum hocce, quod ad Secundam Examinationem habendam spectat, vim et vigorem suum obtineat Termino Paschatis A. D. 1853. Interea omnia et singula, quæ Statutis A. D. 1830 et A. D. 1840 sancita sunt, rata permaneant.

5 Termino autem Hilarii A.D. 1852 Moderatores, et Termino Hilarii A. D. 1853 Examinatores Publici, forma et modo supra præfinitis, nominentur; illis tamen, quibus has Nominationes commisimus, quemlibet auctoritate Statutorum A. D. 1830 et A. D. 1840 designatum nominare fas sit. Perpetuis vero futuris temporibus Nominatio tam Moderatorum quam Examinatorum Termino Hilarii, in Congregatione post Diem Cinerum proxime habenda, et Termino Trinitatis, in prima Congregatione, Domui significetur; et, deinceps, peragantur etiam reliqua quæ ad illorum designationem spectant, prout superius ordinatum est. Moderatores autem et Examinatores sic designati Termino designationem suam proxime sequente munus suum ineant.

6 Præscribimus insuper, ut penes Moderatores, et, item, penes Examinatores Publicos, in Schola Metaphysices Libri adserventur, in quibus inserantur, unoquoque Examinationis die, nomina eorum omnium qui Testimonium obtinuerint; in libro autem penes Moderatores adservato inserantur quoque, finitis Examinationibus, Schedulæ nomina Candidatorum qui honore digni sint habiti continentes; ita ut si de istis rebus quæstio aliquando oriatur, ad hos Libros perpetuo possit appellari.

7 Quoniam vero usu venit, ut dies et horas negotiis Academicis destinatas mutare interdum commodius reperiatur, fas sit Venerabili Domui Congregationis, proponente Vice-Cancellario, dies aut horas hoc Statuto Examinationibus habendis assignatas mutare. At Vice-Cancellarius ante triduum Academiam certiorem faciat, si quando hujusmodi rem ad Venerabilem Domum Congregationis referendam censuerit.

8 Si quis autem nondum Graduatus, auctoritate prioris alicujus Statuti examinatus, Examinatoribus Publicis satisfecerit, illi idem valeat Testimonium quo tunc dignus habitus fuerit, ac si examinatus fuisset prout in hoc Statuto requiritur.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos his diebus, viz.:	12° *Februarii* 1849. 20° *Novembris* 1849. 15° *Aprilis* 1850. 8° *Maii* 1850.
Relatum est in Domo Congregationis his diebus, viz.	15° *Martii* 1849. 4° *Decembris* 1849. 19° *Aprilis* 1850. 10° *Maii* 1850.
In Convocatione publicatum hisce deinceps diebus:	20° *Martii* 1849. 7° *Decembris* 1849. 23° *Aprilis* 1850.

Tandem est confirmatum .... *die* 14° *Maii* 1850.

TITULUS VI.

SECTIO IV.

DE TEMPORE ET EXERCITIIS REQUISITIS AD GRADUS IN JURE CIVILI CAPESSENDOS.

§. 1. *Quot anni in Studio Juris Civilis ponendi requirantur ad Gradum Baccalaurei in Jure Civili.*

STATUTUM est, ut qui ad Baccalaureatum in Jure Civili promoveri cupit, priusquam eum gradum consequatur, si sit Magister in Artibus, per tres annos integros (a die admissionis suæ ad regendum numerandos), Juris Civilis studio operam dedisse teneatur.

Corpus Statut. p. 40. Addenda pp. 112, 309.

2 Si quis vero non sit Magister in Artibus, per quinquennium completum studio Juris Civilis operam dedisse teneatur. Porro per Biennium in Academia Humanioribus Literis incumbat, priusquam Quinquennium in studio juris ponere incipiat; nisi per Statuta Collegii, in quo moratur, citius ad Juris studium se convertere teneatur.

§. 2. *De Examinatione pro Gradu Baccalaurei in Jure Civili, et de Examinatoribus designandis et juramento onerandis.*

Statutum est, ut qui ad Baccalaureatum in Jure Civili promoveri cupit, priusquam ad supplicandum pro Gratia admittatur, per unum saltem terminum Lecturis Prof. Reg. intersit, et postea examen subeat. Proviso semper, ut nemo se examinandum sistat ante absolutum a tempore matriculationis suæ vigesimum quartum terminum, et qui Publicam Examinationem pro gradu A. B. non subierit: exceptis tamen iis, qui per statuta alicujus collegii in quo morantur citius quam ceteri ad gradum Baccalaurei in Jure Civili promoveri tenentur, quibus liceat post absolutum a tempore matriculationis suæ terminum vigesimum se examinandos sistere.

2 Huic igitur rei quo melius prospiciatur, placuit Academiæ ut tres in facultate Juris Civilis Examinatores constituantur: scilicet, Juris Civilis Professor Regius, Juris Anglicani Professor Vinerianus, necnon alius Doctor in Jure Civili, vel etiam Bacca-

laureus qui quatuor annos ab admissione sua ad gradum J. C. B. compleverit, a Vice-Cancellario nominandus, et deinceps a domo Convocationis approbandus. Quod si alteruter ex Professoribus supra dictis propter gravem aliquam causam absentiæ veniam a Vice-Cancellario impetraverit, alium quendam Doctorem vel Baccalaureum Juris Civilis, ut supra, Vice-Cancellarius in ejus locum substituat.

3 Singuli autem Examinatores antequam munera sua adeant, coram Vice-Cancellario, exigente Seniore Procuratore juramentum præstent in hæc verba:

Domine Doctor, tu jurabis, quod munus et officium Examinatoris publici in Facultate Juris Civilis sedulo et fideliter pro virili exequeris, forma et modo per Statuta requisitis. Resp. *Juro.*

Item, *tu jurabis, quod, sepositis omni odio et amicitia, timore et spe, neque indigno cuivis testimonium perhibebis, neque digno denegabis.* Resp. *Juro.*

Item, *tu jurabis, quod nullo modo revelabis suffragium quod vel ipse tuleris, vel alius quivis examinator tulerit, de testimonio alicui perhibendo vel denegando.* Resp. *Juro.*

§. 3. *De tempore, loco, et modo Examinationis.*

Semel quolibet anno, videlicet in pleno termino Trinitatis, Examinatio in Jure Civili habeatur.

2 Huic Examinationi liceat Examinatoribus cum consensu Vice-Cancellarii locum aliquem idoneum assignare, de qua re, et de tempore Examinationis habendæ, Prof. Reg. Academiam certiorem faciat decimo quarto die ad minimum ante Examinationem inchoandam.

3 Instituatur Examen in *Justiniani Institutionum Juris Civilis Libris quatuor*, vel in aliqua parte eorum, prout Examinatoribus magis expedire videbitur. Adhibeatur etiam opus quoddam vel Institutiones supra dictas vel Scientiam Juris civilis illustrans: ex. gra. *Jo. Gottl. Heineccii Recitationes in Elementa Juris Civilis secundum Ordinem Institutionum*, vel, *Arnoldi Vinnii in Quatuor Libros Institutionum Imperialium Commentarius*, vel aliquod aliud hujusmodi opus, de quo adhibendo Professor Regius ante sex menses Universitatem certiorem fecerit.

4 Cujuslibet Candidati examen partim viva voce, partim scriptis peragatur, et quantum fieri poterit, uno decursu, vel saltem sine diei intervallo, absolvatur. Omnes Examinatores uniuscujusque examini per integrum tempus intersint, nisi aliquid in scriptis præstandum sit, quo in casu unus tantummodo interesse teneatur.

5 Inter examinandum aut Latino aut Anglicano idiomate uti liceat, prout Examinatoribus magis expedire videbitur.

6 Peracta demum Examinatione, Examinatores de Candidatis singulis inter se judicium ferant, et quemcunque dignum invenerint, ei testimonium perhibeant sub hac forma:

A. B. [die mensis et anni] *pro gradu Baccalaurei in Jure Civili examinatus prout Statuta requirunt, satisfecit nobis Examinatoribus.*

Ita testamur { *A. B.* / *C. D.* / *E. F.* }

7 Nomina quoque eorum qui Examinatoribus satisfecerint in Registrum peculiare inserantur penes Registrarium Universitatis, finita quaque Examinatione, adservandum.

8 Quod si contingat aliquem hujusmodi Testimonio indignum reperiri, liceat illi in aliqua sequenti Examinatione Candidatum se iterum profiteri.

9 Huic Examinationi intersint, si voluerint, omnes Juris Civilis Studiosi, necnon Magistri Artium, et omnes gradu superiore insigniti.

10 Unusquisque Candidatus examen subiturus, Juris Civilis Professorem Regium hac de re certiorem facere teneatur decimo die ad minimum ante diem Examinationi habendæ destinatum, et eodem tempore exhibeat literas certificatorias, quibus constet eum examen pro Gradu A. B. subiisse, nec non per unum saltem terminum Professoris Regii Lecturis interfuisse.

§. 4. *De Examinatoribus remunerandis.*

Statutum est, ut Candidatus unusquisque triduo ante Examinationem inchoandam, nomen suum in registro peculiari, penes Bedellum superiorem Fac. Jurisprudentiæ adservando, inserendum curet, et simul summam viginti solidorum in manus Bedelli ejusdem persolvat Vice-Cancellario tradendam, qui pecuniis aliis in-

super, si opus fuerit, e Cista Academica deprompti, Examinatione finita, Examinatoribus singulis pensionem decem librarum eroget.

§. 5. *Quot anni in Studio Juris Civilis ponendi ad Incipiendum in Jure Civili requirantur.*

Statutum est, ut qui ad Doctoratum in Jure Civili promoveri cupit, si postquam in Artibus inceperit Gradum Baccalaurei in Jure Civili susceperit, quatuor annos integros, (numerandos a die admissionis suæ ad Gradum prædictum,) studio Juris Civilis incumbat, priusquam ad Incipiendum in eadem Facultate admittatur.

2 Alioqui si Baccalaureus in Jure Civili fuerit antequam incipiat in Artibus, (sive Statutis privati Collegii sic exigentibus, sive sua ipsius optione factum fuerit,) quinque annos integros in studio Juris Civilis ponere teneatur, priusquam incipere permittatur.

3 Qui vero in Curiis Ecclesiasticis et Maritimis Regni se exercere statuerit, illi conceditur, (modo in Gratia proponenda causa exponatur, et Declaratio per supplicantem ante admissionem ad Gradum coram Seniore Procuratore facta fuerit,) si Baccalaureus in Jure Civili fuerit, ut post quatuor annos integros in studio Juris Civilis positos, ad Incipiendum in eadem Facultate admittatur.

Formula Declarationis hæc esto:

"Tu declarabis, te hunc Gradum Doctoris ambire eo animo, "ut in numerum et Collegium Advocatorum Londinensium in "Curiis Ecclesiasticis et Maritimis hujusce Regni se exercentium, "bona fide admittaris; et admissus in iisdem Curiis te realiter "exerceas." *Resp.* "Eo animo hunc gradum ambio."

§. 6. *Exercitium pro gradu Doctoris in Jure Civili præstandum.*

Statutum est, ut Baccalaureus Juris Civilis priusquam ad Incipiendum in eadem Facultate admittatur, Dissertationem a se conscriptam de thesi quavis ad Jus Civile pertinente, prius a Professore approbata, publice intra Scholarum præcinctus coram Prof. Reg. recitare, eique ejusdem dissertationis exemplar, finita lectione, tradere teneatur.

TITULUS IX.

SECTIO III.

§. 4. *Formulæ speciales Gratiarum ad singulos Gradus pertinentium.*

* * * * *

Pro Gradu Baccalaurei Juris Civilis.

Supplicat &c. A. B. Magister Facultatis Artium e Collegio O. quatenus, tres annos a tempore admissionis suæ ad regendum in studio Juris Civilis posuerit; per unum saltem terminum Lecturis Professoris Regii J. C. interfuerit; examen pro Gradu J. C. B. subierit; et reliqua præstiterit omnia quæ per Statuta requiruntur, (nisi quatenus secum dispensatum fuerit); ut hæc sibi sufficiant, quo admittatur ad lectionem cujuslibet libri Institutionum Imperialium.

Corpus Statut. p. 81. Addenda pp. 131, 247, 248.

Si non inceperit in Artibus, nec per Statuta Collegii sui Juris studio deputatus fuerit.

Supplicat &c. A. B. Scholaris in Facultate Juris, e Collegio O. in quo, non in domo aliqua privata, per integrum tempus ad Gradum Baccalaurei in Jure Civili per Statuta requisitum, ipsum cubile et victum continuo sumpsisse scio; (vel, *si tempus non in uno aliquo Collegio vel Aula compleverit*, in quo partim, partim in Collegio vel Aula A.) quatenus, post biennium positum in studio humaniorum Literarum, quinque annos in studio Juris Civilis posuerit; Examinatoribus Publicis satisfecerit; per unum saltem terminum Lecturis Prof. Reg. J. C. interfuerit; examen pro Gradu J. C. B. subierit; et reliqua compleverit omnia quæ per Statuta requiruntur, &c. *ut supra.*

Si non inceperit in Artibus, et per Statuta Collegii sui, statim a primo ad Academiam adventu, Juris studio deputatus fuerit.

Supplicat, &c. A. B. Scholaris in Facultate Juris e Collegio M. &c.; quatenus, quinque annos in studio Juris Civilis posuerit; Examinatoribus Publicis satisfecerit; per unum saltem terminum Lecturis Prof. Reg. J. C. interfuerit; examen pro Gradu J. C. B. subierit, &c. *ut supra.*

Pro Gradu Inceptoris in Jure Civili.

Supplicat, &c. B. C. Baccalaureus in Jure Civili e Coll. M. quatenus, post susceptum Baccalaureatus Gradum quatuor annos in studio Juris Civilis posuerit; dissertationem scripserit et coram Professore recitaverit; et reliqua omnia præstiterit quæ per Statuta requiruntur; (nisi quatenus secum dispensatum fuerit,) ut hæc sibi sufficiant, quo admittatur ad Incipiendum in eadem Facultate.

Si non inceperit in Artibus, priusquam Baccalaureus in Jure foret.

Supplicat, &c. B. C. Baccalaureus in Jure Civili e Collegio N. quatenus, post susceptum Baccalaureatus Gradum, quinque annos in studio Juris Civilis posuerit; &c.

Statutum hocce vim et vigorem suum non obtineat ante Terminum Trinitatis A. D. 1852. Interim antiqua exercitia rata permaneant.

De Statutis his rogandis consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die tertio mensis Februarii; relata sunt in Domo Congregationis die vicesimo mensis Februarii, juxta Statuti in ea parte exigentiam, triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicata et confirmata sunt die vicesimo quinto ejusdem mensis Februarii anno Domini 1851.

TITULUS VI.

SECTIO I. §. 5.

Cum orta Quæstio fuerit, utrum Juniores, quibus indulsit Academia (Stat. Tit. VI. Sect. I. §. 5.) ut secundum formam Statuti A.D. 1808 sancitam respondeant, nomina coram Procuratore profiteri et examen subire teneantur iisdem diebus, et eodem modo, quo ea agere debeant cæteri Respondentes; ad tollendam hanc et omnes hujusmodi dubitationes, expresse præcipimus, ut, materia Examinationis et formula Testimonii exceptis, omnia quæ ad illos quoque Respondentes attinent, secundum Statuti Novi formam peragantur.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die tertio mensis Martii; relatum est in Domo Congregationis die decimo tertio mensis Martii, juxta Statuti in ea parte exigentiam triduo ante Convocationem habendam; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die duodevigesimo mensis Martii anno Domini 1851.

TITULUS XV.

DE MORIBUS CONFORMANDIS.

Sect. 14. *De Vehiculis.*

Statutum est, quod Scholares omnes ab usu Vehiculorum, quibus invehi solent ipsi aurigantes, quocunque nomine dicta sint, prorsus abstineant, nisi cui propter infirmam valetudinem aut rationabilem aliquam causam licentia, cum consensu Præfecti Domus suæ aut ejus vicem gerentis, a Procuratoribus concessa sit. Quod si quis secus fecerit pro prima vice centum solidis, vel ad minimum viginti solidis, Universitati mulctetur; pro secunda vice centum, vel ad minimum quadraginta, solidis Universitati mulctetur, vel si visum fuerit per unum Terminum ab Universitate banniatur; pro tertia per annum integrum, vel ad minimum per unum Terminum ab Universitate banniatur. Si quis autem quarta vice hac in parte deliquerit, ab Universitate expellatur. Proviso semper, quod nomina singulorum, quibus aliquam pœnam hoc Statuto sancitam vel Vice-Cancellarius vel Procuratores irrogaverint, in Registro quodam peculiari, penes Procuratores asservando, inserantur.

Corp. Stat. p. 145, 335.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die quinto mensis Maii, relatum est in Domo Congregationis die decimo quinto mensis ejusdem; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo ejusdem mensis Maii Anno Domini MDCCCLI.

TITULUS IV.

DE LECTORIBUS PUBLICIS.

SECTIO III.

DE PRÆLECTORIBUS NONNULLIS REMUNERANDIS.

Cum Universitati placuerit (Stat. Tit. IX. Sect. II. §. 7. 2) ut Scholaris unusquisque, antequam ad Examen pro Gradu A.B. subeundum admittatur, duos Professores vel Prælectores Publicos audire teneatur; et cum plurimum intersit ut Professores ac Prælectores singuli per majorem saltem anni partem in Universitate commorentur, quo melius munere suo ipsi fungantur, et quo fructus uberiores a prælectionibus frequentandis percipiant Scholares; cum Prælectores insuper nonnulli Salariis nimis arctis dotati sint, et æquum omnino sit ut iis justior quodammodo accedat remuneratio: Statutum est, ut Pensiones hæ quæ sequuntur Prælectoribus infra dictis, ad augenda eorum stipendia, sub conditionibus tamen infra præscriptis, ab Academia annuatim persolvantur:

2 Percipiat Prælector Philosophiæ Experimentalis summam 170 *lib.*,—et Prælector Philosophiæ Moralis, per Thomam White S.T.P. institutus, summam 150 *lib.*, quorum uterque per tres Terminos in Universitate quotannis commoretur, tres Lectionum series, unam scilicet in unoquoque Termino legat, et ab auditoribus suis singulis mercedem, ultra decem solidos pro unaquaque Lectionum serie, non exigat.

3 Licebit tamen Prælectori Philosophiæ Experimentalis, hodie in vicinia Universitatis habitanti, ut stipendii sui incrementum percipiat, modo ne longius discedat, neve in cæteris officio suo desit.

4 Proviso semper, ut si quis Prælector duarum supra dictarum Lecturarum munere simul fungatur, alterutrius tantum incrementum percipiat.

5 Insuper, quod ad hoc Statutum attinet, Terminus Paschatis et Terminus S. S. Trinitatis pro uno Termino reputentur.

6 Pecuniæ vero, quibus opus sit ad has Pensiones Prælectoribus supradictis, solvendas, assumantur ex annuis reditibus nummorum, quos Delegati Preli in publicos usus Academiæ transferendos curaverunt.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die secundo mensis Junii; relatum est in Domo Congregationis die duodecimo mensis ejusdem, tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo septimo mensis Junii Anno Domini MDCCCLI.

TITULUS IV.

DE LECTORIBUS PUBLICIS.

SECTIO III.

DE PRÆLECTORIBUS NONNULLIS REMUNERANDIS.

Cum Universitati placuerit (Stat. Tit. IX. Sect. II. §. 7. 4) ut Scholaris unusquisque, antequam ad Examen pro Gradu A.B. subeundum admittatur, duos Professores vel Prælectores Publicos audire teneatur; et cum plurimum intersit ut Professores ac Prælectores singuli per majorem saltem anni partem in Universitate commorentur, quo melius munere suo ipsi fungantur, et quo fructus uberiores a prælectionibus frequentandis percipiant Scholares; cum Prælectores insuper nonnulli Salariis nimis arctis dotati sint, et æquum omnino sit ut iis justior quodammodo accedat remuneratio: Statutum est, ut Pensiones hæ quæ sequuntur Prælectoribus infra dictis, ad augenda eorum stipendia, sub conditionibus tamen infra præscriptis, ab Academia annuatim persolvantur:

Corp. Stat. Addend. p. 398, 421.

2 Videlicet, Prælectori Mineralogiæ summa 150 *lib.*,—Prælectori Geologiæ summa 150 *lib.*,—Prælectori Chemiæ, per Georgium Aldrich M.D. instituto, summa 71 *lib.* 10 *sol.*, unicuique sub hisce conditionibus, ut in Universitate commoretur quotannis per duodecim ad minimum septimanas, quarum sex sint in uno aliquo Termino et sex in altero Termino, et singulis hisce Terminis duas ad minus lectiones in unaquaque septimana habeat.

3 Percipiat Prælector Philosophiæ Experimentalis summam 170 *lib.*,—et Prælector Philosophiæ Moralis, per Thomam White S.T.P. institutus, summam 150 *lib.*, quorum uterque per tres Terminos in Universitate quotannis commoretur, tres Lectionum series, unam scilicet in unoquoque Termino, legat.

4 Prælectoribus autem his prædictis non licebit mercedem ultra summam viginti solidorum ab auditoribus suis exigere; quibus

semel solutis, liberum iis esto in posterum Lectionibus in eadem materie habendis, quotiescunque voluerint, interesse.

5 Licebit tamen Prælectori Philosophiæ Experimentalis, hodie in vicinia Universitatis habitanti, ut stipendii sui incrementum percipiat, modo ne longius discedat, neve in cæteris officio suo desit.

6 Proviso semper, ut si quis Prælector duarum supra dictarum Lecturarum munere simul fungatur, alterutrius tantum incrementum percipiat.

7 Insuper, quod ad hoc Statutum attinet, Terminus Paschatis et Terminus S. S. Trinitatis pro uno Termino reputentur.

8 Pecuniæ vero, quibus opus sit ad has Pensiones Prælectoribus supradictis, solvendas, assumantur ex annuis reditibus nummorum, quos Delegati Preli in publicos usus Academiæ transferendos curaverunt.

9 Prælectori porro Historiarum Camdeniano persolvatur, ad incrementum stipendii sui, summa 160 *lib.* annuatim e proventibus Prædiorum, quibus ex Munificentia Fundatoris celeberrimi fruitur Academia; modo per sex ad minimum septimanas in utroque duorum Terminorum in Universitate quotannis commoretur, duas Lectionum series, unam scilicet in utroque Termino, legat, et reliquas conditiones, quibus Prælectores prædicti tenentur, subeat.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die vicesimo primo mensis Novembris; relatum est in Domo Congregationis die vicesimo septimo mensis ejusdem, tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die secundo mensis Decembris Anno Domini MDCCCLI.

TITULUS VI.

DE TEMPORE AD GRADUS CAPESSENDOS REQUISITO ET EXERCITIIS PRO FORMA PRÆSTANDIS.

SECTIO I.

DE TEMPORE ET EXERCITIIS REQUISITIS AD GRADUM BACCALAUREI IN ARTIBUS.

§. 3. *De Forma et Modo Responsionum.*

Responsionibus habendis assignetur Schola Metaphysices, vel alius quicunque locus intra septa Scholarum, a Vice-Cancellario et Procuratoribus assignandis. Magistri Scholarum ibi se conferant diebus in Terminis Hilarii et Trinitatis supra præscriptis, et hora decima matutina; et deinde continuentur Responsiones (donec de omnibus Respondentibus provisum fuerit) de die in diem, nisi ob causam aliquam rationabilem Magistris Scholarum aliter visum fuerit; si vero talis causa orta fuerit, moneutur Magistri ut de die quem continuandis Responsionibus destinaverint Academiam certiorem faciant, Schedula monitoria ad Collegiorum et Aularum Præfectos deferenda, ad portam insuper Refectorii vel Promptuarii cujusque Collegii et Aulæ, et ad portam Scholæ Metaphysices, per Æedituum Universitatis ad minimum ante meridiem diei præcedentis affigenda. Formula vero Schedulæ hæc esto:

Corpus Stat. p. 25. Addend. pp. 175. 322.

Responsiones in Parviso in diem——prorogantur.

A. B.

C. D.

2 Hora decima matutina in Responsionibus uniuscujusque diei incipiendis servetur. Diebus autem Festis Responsiones non incipiantur nisi post concionem publice coram Universitate habitam.

3 Respondentes eo et numero et ordine citent Magistri Scholarum quo cum majore operæ compendio se officio suo satisfacturos fore arbitrentur.

4 Qui citatus non adfuerit, nisi ex causa rationabili a Vice-Cancellario approbanda, omni loco in Responsionibus istius Termini privetur; neque ad respondendum in alio Termino admittatur, nisi iterum coram Procuratore Juniore nomen suum professus fuerit; et citetur proximus, sub eadem lege, et sic deinceps. Quod si Vice-Cancellarius causam aliquam absentiæ ratam habuerit, extremus tamen locus in Schedula isti Respondenti assignetur.

5 Quæstiones autem in quibus exercendi sunt Respondentes ad Literas Humaniores, ad Arithmeticam, ad Algebraicam et ad Euclidis Elementa Geometriæ spectent. Per Literas vero Humaniores, quod ad has Responsiones attinet, intelligimus Linguas Græcam et Romanam. Adhibentor igitur semper duo Scriptores melioris ævi et notæ, hoc est unus in utraque lingua, quorum fida requiratur interpretatio. Scriptores integros haud exigimus; id enim in primis spectandum esse volumus ut in explicandis ad accuratam Grammaticæ normam utriusque linguæ principiis, Respondentes Magistris Scholarum omnino satisfaciant.

6 Magistris Scholarum insuper explorandum incumbit, qua quisque polleat facultate animi sui sensa lingua Latina explicandi: id quod explorare poterunt, porrecto aliquo libro, lingua vernacula conscripto, e quo Respondens oblatum quemcunque locum lingua Latina reddat; aut alio quocunque demum modo, prout ipsis commodius visum fuerit.

7 Iisdem autem quæstionibus, sive ad Elementa Disciplinarum Mathematicarum, sive ad Grammaticam pertineant, excutiendis, iisdem locis e Scriptoribus antiquis et nostratibus, Latine, Anglice, pro rei ratione, reddendis, vel alio quocunque demum modo, Magistris Scholarum liceat complures simul pertentare. Et ut hæc Responsionum pars cautius et integrius peragatur, quæstiones istæ, et loci quicunque ab una lingua in alteram reddendi Respondentibus proponantur, omnium et singulorum Magistrorum Scholarum,

si commode fieri poterit, judicio subjiciantur et approbentur. Quinetiam si propter loci angustias, vel quamcunque aliam ob causam, expedire videatur, Candidati ad scribendum in aliam Scholam seorsim transferantur, vel si res aliter commode effici nequeat, in cæteris Responsiones aliquantum intermittantur. Candidatis vero inter scribendum unus saltem e Magistris Scholarum, vel si necesse fuerit, e Procuratorum Deputatis, quibus etiam, monente Vice-Cancellario, incumbat hoc munus subire, semper intersit et invigilet.

8 Respondentis uniuscujusque examen scriptis inchoatum viva voce omnino peragatur. Ne plures autem quam sedecim eodem die ad viva voce respondendum admittantur.

9 Cæterum quod ad Geometriam et Algebraicam attinet, Magistris Scholarum liberum esto vel in utraque disciplina, vel in una tantum, quæstiones suas proponere.

10 In omni hoc negotio, liceat aut Latino aut Anglicano idiomate uti, prout Magistris Scholarum magis expedire videbitur.

11 Unoquoque autem die, ubi visum fuerit Magistris Scholarum nullum alium Respondentem isto die citare, palam declaret Magister Scholarum Senior diem Responsionibus continuandis destinatum. Et post finitas Responsiones uniuscujusque diei alii omnes Schola excedant præter ipsos Magistros Scholarum, qui de Respondentibus inter se judicium ferant, ac quemcunque dignum invenerint, et Testimonium, (in quo Testimonio notentur res et libri a Candidato adhibiti) perhibeant sub hac forma; mutatis tamen mutandis, prout rei ratio exegerit.

A. B. [Herod. Thalia, Melpomene; Virgil. Georg.; Euclid. lib. I. II. adhibitis;] [Soph. Œdip. Col., Antig.; Cic. In Verrem Orat. I. II.; Algebr. adhibitis] [die mensis et anni] Quæstionibus Magistrorum Scholarum in Parviso pro forma respondit.

Ita testamur { *C. D.* / *E. F.* }

12 Quod si forte contingat aliquem ejusmodi Testimonio indignum reperiri, illi tamen liceat in Responsionibus proxime sequentibus

nomen suum coram Juniore Procuratore iterum profiteri, et sic deinceps.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die decimo quinto mensis Martii; relatum est in Domo Congregationis die duodevigesimo mensis ejusdem, tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo tertio mensis Martii Anno Domini MDCCCLII.

SUPPLEMENTUM AD TIT. IV.

DE LECTORIBUS PUBLICIS.

SECTIO I.

STATUTA SPECIALIA AD LECTORES PERTINENTIA.

§. 31. *De Professore Linguarum Recentium Europearum Tayloriano.*

Professor Taylorianus secundum ordinationes hac in parte sancitas legat.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die undetricesimo mensis Novembris, relatum est in Domo Congregationis die secundo mensis Decembris; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die quarto ejusdem mensis Decembris Anno Domini MDCCCLII.

FORMA STATUTORUM

DISPOSITIONEM PECUNIARUM, ET PROVENTUUM,

A BENEFACTIONE SPECTATISSIMI VIRI

CAROLI VINER ARMIGERI

ORIUNDORUM, CONCERNENTIUM.

Append. Stat. p. 50.

CUM Vir egregius Carolus Viner Armiger, pro summo ejus erga Patriam, Academiam, et Juris Anglicani studium affectu, Nobis, Cancellario, Magistris, et Scholaribus Universitatis Oxoniensis ingentem Librorum (quos ipse luculenter contexuit) thesaurum, aliosque Proventus et Pecunias, supremis tabulis legaverit, Nosque etiam Testamenti sui Curatores constituerit, ea tamen lege et conditione, ut de Pecuniis inde succrescentibus imprimis fundaretur, et stipendio satis amplo dotaretur, Lectura in Jure Anglicano; quam quidem Lecturam ita provide temperari et institutis nostris accommodari voluit, ut non amplius in futurum Juventus Academica, Legum patriarum prorsus rudis et ignara, ad publica munera obeunda præpropere sese accingeret: ac deinde ordinaverit, quod tot Socii et Scholares, ejusdem Juris studiosi, constituerentur, quot de residuo Proventuum eorundem, ejusdem Academiæ judicio, commode sustentari possent; placuit Academiæ decernere et statuere modo et forma sequentibus.

CAP. I.

De Rationibus servandis, et annuo Computo faciendo.

Imprimis statuimus et ordinamus quod Rationes omnium Redituum et Proventuum, atque etiam Expensarum, ad hanc Funda-

tionem spectantium, a Vice-Cancellario seorsim in Libro peculiari serventur; et quod Computus earundem annuatim in Termino Sancti Michaelis per statos Computorum Delegatos, una cum Prælectore pro tempore existente, audiatur; ac deinceps in eodem Termino Prælector, vel, eo absente, quilibet dictorum Delegatorum, venerabili Domui Convocationis, quæ hujus Ratiocinii sit conditio, renuntiet.

CAP. II.

De Prælectoris Electione, Conditionibus, et Stipendio.

Insuper Statutum est, quod de Reditibus et Proventibus prædictis imprimis Lectura in Jure Anglicano intra hanc Academiam fundetur et stabiliatur; quodque Prælector hujusmodi Lecturæ (prima ejus Muneris institutione, et quotiescunque in posterum vacaverit) per Domum Convocationis modo et forma per statuta
2 Universitatis requisitis eligatur. Et quod hujusmodi Prælector tempore Electionis suæ sit ad minimum Magister Artium, aut Bacealaureus in Jure Civili, in Universitate Oxoniensi constitutus, qui decem Annos a tempore Matriculationis suæ compleverit; atque insuper Advocatus in Jure Anglicano (quem Barristerium, vel Apprenticum ad Legem, forenses nuncupant) qui quatuor annos
3 ab Admissione sua ad Causas agendas numeraverit. Quodque dictus Prælector percipiat annuatim ducentas Libras de Reditibus et Proventibus prædictis, in fine cujusque Termini S. S. Trinitatis solvendas.

CAP. III.

De Officio Prælectoris.

Statutum est, quod dictus Prælector, intra annum ab electione Addend. p. 195.
sua, in pleno Termino, præmissa decem dierum publica monitione, in Schola Naturalis Philosophiæ (aut in alio quovis loco cum approbatione Vice-Cancellarii) solennem Lecturam sermone
2 vernaculo conceptam legat. Statutum est insuper, quod quotannis (incipiendo a fine Termini S. S. Trinitatis) Prælectionum seriem de Jure Anglicano, in Schola huic usui destinata, (aut in alio quovis

loco cum approbatione Domini Vice-Cancellarii,) per se, vel idoneum Deputatum, vernaculo sermone diligenter legere teneatur.
3 Qui quidem Deputatus, si Prælectorem per breve aliquod tempus ægritudine laborare, aliave de causa extra Academiam morari, contigerit, a Vice-Cancellario et Procuratoribus approbetur; sin vero causa aliqua diutina Prælector impediatur quo minus officium suum in hac parte præstare possit, tam causa deputandi, quam Deputatus ipse, per Domum Convocationis quotannis ap-
4 probetur. Dicta Prælectionum series constet viginti quatuor ad minimum Prælectionibus, quæ viginti quatuor discretis diebus in pleno Termino semper legantur, atque ita commodis intervallis distinguantur, ut non plures quam quatuor Prælectiones singulis
5 septimanis habeantur. Porro Scholares hujus fundationis hisce Prælectionibus gratis intersint: ceteri omnes solutis viginti so-
6 lidis. Præmittatur etiam publica monitio quatuordecim ad minimum dierum, antequam Prælectionum series inchoetur. Quod si, post publicam istam monitionem, vel unus aliquis Scholaris hujusce Fundationis, vel tres alii Academici, quicunque demum fuerint, tanquam Auditores nomina sua profiteantur, dictus Prælector hanc Prælectionum seriem legere omnino tenebitur.

7 Mulcta vero Prælectoris dictam Prælectionum seriem intra annum, modo prædicto, non legentis, sit totum istius anni stipendium: quæ quidem mulcta ad pecuniarum cumulum in usus hujusce fundationis reservatum illico transferatur.

8 Cauto semper, quod onus probandi ipsi Prælectori incumbat; neque fas sit Vice-Cancellario ullam stipendii partem persolvere, nisi dictus Prælector prius probaverit se officio suo satisfecisse.

CAP. IV.

De Causis amovendi Prælectorem.

Insuper Statutum est, quod quilibet Prælector ad terminum vitæ naturalis munere suo gaudeat, nisi ita graviter (quod absit) deliquerit, ut per Statuta Academica in pœnam Bannitionis inciderit; vel nisi Professionem Juris, aliam Professionem in se suscipiendo,

deseruerit; vel nisi negligentiæ manifestæ per Vice-Cancellarium et Procuratores semel admonitus, officio suo iterum insigniter defuerit. Quibus omnibus, vel eorum aliquo, allegatis et probatis, dictus Prælector, sic ut præmittitur male se gerens, ipso facto munere suo privetur per Vice-Cancellarium, cum consensu Domus Convocationis.

CAP. V.

De Stipendio et Numero Sociorum et Scholarium.

Statutum est, ut post cessionem eorum qui nunc hoc munere fruuntur de Residuo redituum et proventuum prædictorum *unus* Socius et *quinque* Scholares intra hanc Universitatem constituantur: qui quidem Socius percipiat annuatim *centum Libras* in fine cujusque Termini SS. Trinitatis solvendas. Scholaris vero unusquisque percipiat annuatim *triginta et quinque Libras* eodem
2 tempore solvendas. Hæc vero stipendia, crescentibus reditibus, per Domum Convocationis augeantur, deficientibus autem reditibus minuantur. Quod si quis Scholaris quacunque de causa, quinquennio (de quo infra c. 8.) non absoluto, officio cesserit, stipendii quod supererit in pecuniarum cumulum prædictum transferatur.

CAP. VI.

De Electione et Conditionibus Sociorum.

Statutum est, ut Socius prædictus per Domum Convocationis Addend. p. 196.
modo et forma per Statuta Universitatis requisitis eligatur, et quod tempore electionis suæ sit cœlebs, et vel Magister Artium, vel Baccalaureus in Jure Civili, in Universitate Oxoniensi constitutus, et alicujus Collegii, vel Aulæ, intra eandem Scholaris, seu Studens. In omni vero electione præferantur isti, qui sint, vel qui aliquando fuerint, Scholares hujus fundationis, modo sint habiles et idonei, et
2 judicio Convocationis approbati. Quilibet præterea Socius, qui tempore electionis suæ non fuerit Advocatus in Jure Anglicano,
3 intra unum post electionem annum Advocatus fiat. Præterea in Academia per duodecim hebdomadas ad minimum quotannis commoretur (quarum hebdomadum sex sint in uno Termino et

sex in altero Termino) ita ut studiosos Juris Anglicani adjuvare possit Lectiones habendo sive privatim docendo secundum voluntatem Fundatoris supremis ejus tabulis enunciatam: quibus Lectionibus Scholares hujus fundationis gratis intersint: ab omnibus aliis tantum mercedis exigatur quantum Vice-Cancellario et Professoribus Juris Regio et Vineriano expedire videbitur. Et nisi talis commoratio sub chirographo Præfecti Domus suæ Vice-Cancellario quotannis certior fiat, Socius sic ut præfertur non commorans toto ejus anni stipendio mulctetur, et mulcta hujusmodi in prædictum pecuniarum cumulum transferatur.

CAP. VII.

De Conditionibus Scholarium.

Addend. p. 197. Statutum est, ut quilibet Scholaris forma et modo infra præscriptis eligatur, et ut tempore electionis suæ sit cœlebs et alicujus Collegii vel Aulæ intra hanc Universitatem Scholaris seu Studens, qui menses calendares ad minimum viginti et quatuor a tempore matriculationis suæ compleverit, quique sex annos ab
2 eodem tempore non excesserit. Quilibet præterea Scholaris intra sex menses post electionem nomen suum registro Hospitii alicujus jurisconsultorum Londinensium inscribi curet, nisi id prius inscriptum fuerit; cujus rei testimonium Vice-Cancellario exhibere teneatur antequam stipendium percipiat.

3 Quilibet præterea Scholaris Gradum Baccalaurei in Jure Civili quam cito commode poterit (sive prius incipiendo in Artibus, sive aliter, prout ipsi visum fuerit) capessat. Antequam vero Gradum Magistri in Artibus, vel Baccalaurei in Jure Civili, susceperit, intra annos secundum et octavum a matriculatione sua teneatur Prælectorem in Jure Anglicano per duas Prælectionum series diligenter audire; quam auditionem sub chirographo suo testabitur dictus Prælector; neque licebit cuiquam Gratiam alicujus Scholaris pro Gradu Artium Magistri, vel Baccalaurei in Jure Civili, proponere, nisi prius Testimonium istud in venerabili Domo Congregationis
4 palam recitetur. In Academia demum quotannis (incipiendo a

fine Termini S. S. Trinitatis) per octodecim septimanas, tempore Terminorum Academicorum numerandas, personaliter commoretur, donec quatuor annos a tempore Matriculationis suæ in Academia compleverit; ac deinde per sex septimanas annuatim, eodem modo numerandas, donec Gradum Magistri in Artibus, vel Baccalaurei in Jure Civili, capessiverit. Et nisi talis commoratio sub chirographo Præfecti Domus suæ quotannis Vice-Cancellario certior fiat, Scholaris sic ut præfertur non commorans toto ejus anni stipendio muletetur, et muleta hujusmodi in prædictum pecuniarum cumulum transferatur.

CAP. VIII.

De Causis amovendi Socios et Scholares.

Statutum est, ut quilibet Socius in posterum eligendus beneficio suo cedat postquam quinque annos a tempore electionis suæ compleverit, nisi ven. Domui Convocationis placebit ut per alterum quinquennium ei liceat hoc beneficio frui, cauto tamen ne quis ultra decennium hoc munere ornetur: Scholaris autem unusquisque beneficio cedat post quinquennium absolutum, iis exceptis qui
2 nunc hoc beneficio fruuntur. Atque etiam penitus priventur tum socius tum scholares si contra bonos mores vel Statuta Academiæ insigniter peccaverint, si per unius anni spatium in Academia personaliter commorari modo et forma præscriptis neglexerint, Socius vero si per Vice-Cancellarium et Procuratores debite præmonitus Advocatus in Jure Anglicano intra tempus prædictum non fuerit renuntiatus, si denique professionem Juris aliam professionem in se suscipiendo deseruerit, Scholaris autem si matrimonium contraxerit: quibus omnibus, vel eorum aliquo, allegatis et probatis, Vice-Cancellarius cum consensu Domus Convocationis, Socii, vel Scholaris, sic delinquentis, beneficium ipso facto vacare denuntiabit.

CAP. IX.

De Tempore et Modo Electionis Scholarium.

Statutum est, ut quotannis in Termino S. Michaelis, die a Vice-Cancellario constituenda, unus Scholaris eligatur, et non plures,

post examinationem habendam eo consilio ut qui dignissimus sit
2 ceteris candidatis præferatur. Candidatus unusquisque, venia prius a præfecto domus in qua commoratur impetrata, nomen suum apud superiorem Bedellum in J. C. profiteatur triduo ad minimum
3 ante examinationem habendam. Electores et examinatores sunto Vice-Cancellarius, Professor Juris Civilis Regius, Professor Vinerianus, Professor Historiarum Camdenianus, Historiæ modernæ Professor Regius, necnon ii qui examinationi pro gradu A. B. in
4 schola jurisprudentiæ et historiæ modernæ præsunt. Ex hisce tres ad minimum, (quorum unus sit, si fieri possit, aliquis e Professoribus prædictis) examinationi dent operam, et Scholarem eligant, vel si malint, alios, cum consensu Vice-Cancellarii, e Magistris Artium vel Baccalaureis in Jure Civili ad id munus
5 obeundum sufficiant. Materies examinationis sit Jus Civile, Jus Belli ac Pacis, Jus Naturæ ac Gentium, ac speciatim Leges Angliæ, Historia recentiorum temporum ac præsertim Magnæ Britanniæ et Hiberniæ.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die tricesimo primo mensis Januarii, relatum est in Domo Congregationis die tertio mensis Martii: tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die octavo ejusdem mensis Martii Anno Domini MDCCCLIII.

TIT. VI. Sect. 1. §. 4.

De Officio ac Cura Vice-Cancellarii et Procuratorum circa Responsiones in Parviso. Addenda, p. 179. p. 347.

In Sect. I. §. 4. Claus. 2. Placuit Universitati abrogare "quindecim" et subrogare "viginti."

STATUTUM NOVUM DE DISCIPLINA THEOLOGICA. Addenda, p. 329.

In §. 2. Claus. 1. Placuit Universitati abrogare

"Scholares in S. Theologia habendi sunt ii, qui, postquam Examen publicum in Artibus secundum Statuta subierint, nomina sua ad quemlibet Professorum prædictorum detulerint."

et subrogare

"Scholares in S. Theologia habendi sunt ii, qui postquam Examinatoribus publicis in Schola Literarum Humaniorum secundum Statuta satisfecerint nomina sua ad quemlibet Professorum prædictorum detulerint."

De Statutis his rogandis consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die nono mensis Maii, publicatum est in Domo Congregationis die decimo quarto ejusdem mensis Maii: tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo octavo ejusdem mensis Maii Anno Domini MDCCCLIII.

Tit. X. Sect. II.

DE NEGOTIIS IN DOMO CONVOCATIONIS TRACTANDIS.

§. 4. *De materia dispensabili, in qua Convocationi dispensandi potestas permissa est.*

Placuit Universitati clausulam quæ sequitur abrogare.

Vel si qui, olim hujus Universitatis Alumni, perspectæ probitatis et eruditionis viri, quique per xv aut xvi Annorum spatium (computandum ab admissione sua ad Regendum) Theologiæ operam navarunt (iidemque spatium xxx milliarium ab Universitate remoti) præstitis prius omnibus Exercitiis, Gradus accumulare, sive simul capessere, desiderent. Corp. Stat. p. 121.

Et in ejus locum subrogare.

Vel si qui hujus Universitatis Alumni perspectæ probitatis et eruditionis viri, quique per xv annorum spatium (computandum ab admissione sua ad Regendum) Theologiæ operam navarunt, præstitis prius pro utrovis Gradu requisitis Exercitiis, Gradus cumulare, sive simul capessere, desiderent.

Tit. X. Sect. II.

§. 5. *De materia indispensabili, in qua Convocationi dispensare non permittitur.*

Placuit Universitati clausulam quæ sequitur abrogare.

Quarto, ne Dispensatio proponatur, ut quisquam Collegii Præfectus, Socius, vel Capellanus, vel in Aula aliqua commorans, vel intra quinquaginta milliaria ab Universitate habitans (exceptis iis, qui in studio Theologiæ xv per xvi Annos posuerunt, quibuscum, si ultra xxx milliaria ab Universitate habitent, quo Gradibus Cumulandis dispensare licebit) ad Cumulandos Gradus, vel ad Gradum Baccalaurei, et Magistri, seu Doctoris, simul suscipiendum, admittatur. Corp. Stat. p. 122.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die decimo tertio mensis Februarii, publicatum est in Domo Congregationis die decimo sexto ejusdem mensis Februarii: tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo primo ejusdem mensis Februarii, Anno Domini MDCCCLIV.

STATUTUM DE PROFESSORE LINGUÆ ET LITERARUM LATINARUM.

CUM Academiæ magnopere intersit ut Lingua et Literæ Latinæ diligenter inter nos excolantur, et ut juventus studiosa in ista bonarum artium parte sedulo instituatur, visum est Universitati Professorem Linguæ et Literarum Latinarum constituere.

1. Professor sit vel in Artibus Magister, vel Juris Civilis vel Medicinæ Baccalaureus, vel superiore aliquo gradu insignitus.

2. Professor in unoquoque termino per octo hebdomadas intra fines Universitatis commoretur, et duas ad minimum Lectiones sermone vernaculo quotannis legat, nec quidquam mercedis ab iis exigat qui lectionibus his solennibus interesse velint.

3. Professor insuper viginti quatuor ad minimum Lectiones in usum Juniorum in unoquoque Termino legat, quas in duas series ei distribuere liceat, ita tamen ut ex duodecim saltem lectionibus unaquæque series constet. De die, hora, et loco quibus habendæ sint tam Lectiones solennes quam Lectiones in usum Juniorum, Academiam modo consueto certiorem Professor faciat.

4. In Lectionibus rem criticam, quod ad Linguam et Literas Latinas pertinet, diligenter tractet Professor; Linguæ Latinæ Origines ab ipsis fontibus repetat; Linguam Latinam cum aliis Linguis comparet, et ad Philosophiæ rationes explicet. Optimæ notæ Scriptores cum Junioribus legat; auditorum acumen in interpretandis Scriptoribus exerceat, profectum quæstionibus statim enucleandis ad examen revocet, diligentiam stimulet et judicium colat locos ex Poetis nostratibus vel pedestris sermonis Scriptoribus Latine vertendos proponendo, vel etiam argumenta de quibus, suopte ingenio freti, aut soluta oratione disserant aut versus componant.

5. Cum autem Præsidens et Socii Collegii Corporis Christi palam declaraverint sese in animo habere Prælectionem ad hoc munus a Ricardo Fox Fundatore suo ad communem omnium usum constitutam ita instaurare, ut ex bonis Collegii Corporis Christi (seu Socii

nomine seu alio quocunque modo) Professor hic noster statim ab electione sua summam trecentarum librarum, et, si posthac licuerit, summam sexcentarum librarum percipiat.

Professor a Vice-Cancellario, ab utroque Procuratore, a Præsidente et aliquo e Sociis Collegii Corporis Christi ad hoc munus deputato, a Professore Græcæ Linguæ Regio, a Prælectore Historices Camdeniano, ab Oratore Publico, a Professore Poetices, ab Examinatore publico Seniore in Literis Humanioribus, et a Moderatore seniore in Literarum Græcarum et Latinarum Schola, eligatur; et ille in quem major pars suffragantium consenserit, electus a Vice-Cancellario pronuntietur.

6. A singulis Auditoribus pro una serie lectionum eandem mercedem percipiat Professor quam cæteri Prælectores (Stat. Tit. IV. Sect. III. § 4). Alumni autem Collegii Corporis Christi gratis omnino instruantur.

Ut autem Professori præter honoraria ab auditoribus percipienda aliquid certi et stati emolumenti accedat, Statuimus ut decem millia librarum, e pecuniis a Delegatis Preli in usum Universitatis anno millesimo octingentesimo quinquagesimo primo translatis et fidei publicæ commissis, seponantur, et ut ex annuo earundem proventu talis summa a Vice-Cancellario Professori annuatim pendatur quæ summam totalem librarum sexcentarum non excedat, pecuniarum quas a Collegio Corporis Christi perceperit ratione habita.

Liceat tamen Præsidenti et Sociis Collegii Corporis Christi Professorem prædictum in societatem Collegii sui, si velint, cooptare, et summam totalem sexcentarum librarum eidem assignare sub his conditionibus scilicet ut e pecuniis academicis nihil omnino percipiat, nec alterius cujusvis Collegii sit Socius.

Neque liceat Professori salarium suum exigere, nisi prius testimonium ad hanc formam redactum Vice-Cancellario in manus tradiderit: "Ego *A. B.* Linguæ et Literarum Latinarum Professor in unoquoque Termino anni præteriti per octo hebdomadas intra Universitatem commoratus sum et Lectiones secundum Statuta legi [*nisi quatenus mecum dispensatum est*]. Ita testor *A. B.*"

7. Si autem evenerit ut Professor valetudine impediatur, aut li-

centiam extra Universitatem diutius commorandi propter causam probabilem a Vice-Cancellario impetraverit, tunc Vice-Cancellario Deputatum, cum approbatione eorum quibus electionem Professoris permisimus, nominare liceat. Decernant etiam ii quantum ex Professoris emolumentis Deputato sit percipiendum. Iis quoque, vel majori eorum parti, potestatem concedimus Professorem partes suas negligentem vel Academiam pravis moribus dedecorantem, ex officio suo, proponente Vice-Cancellario, sine ulla appellatione, ejiciendi.

Professor primus Termino S. Trinitatis A. D. 1854 eligatur. Quoties autem in posterum officium vacare contigerit Electio novi Professoris intra sex Hebdomadas habeatur, nisi inde eventurum sit ut tempus Electionis in aliquam Vacationem incidat, in quo casu usque ad primam Hebdomadam in pleno Termino proxime sequente Electio prorogetur.

8. Quod ad hoc Statutum pertinet Terminus Paschatis et Terminus S. Trinitatis pro uno Termino reputentur.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Termino die vicesimo mensis Februarii, relatum est in Domo Congregationis die vicesimo tertio ejusdem mensis Februarii: tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo quarto mensis Martii Anno Domini MDCCCLIV.

TITULUS XVII.

DE OFFICIARIIS UNIVERSITATIS.

SECTIO V.

[Placuit Universitati Tit. XVII. Sect. V. §§. 1. 2. abrogare et in eorum loca §§. 1. 2. qui sequuntur subrogare.]

§. 1. *De Nominatione et Officio Magistrorum Scholarum.*

MAGISTRI Scholarum quatuor sunto, quorum unus a Domino Vice-Cancellario, unus ab utroque Procuratore, primo die Termini Trinitatis, quartus vero a Domino Vice-Cancellario primo die Termini Michaelis, in venerabili domo Convocationis, ex Magistris in Artibus qui ad regendum admissi fuerint quotannis nominetur; exceptis semper iis, qui Procuratorum Deputati in Termino Paschatis proxime præcedenti nominati fuerint. Proviso semper, quod nemo, qui Magistri Scholarum officio per biennium functus fuerit, in idem officium, nisi post annum elapsum, iterum nominetur. Cauto etiam, quod nemo Magistri Scholarum et Moderatoris sive Examinatoris Publici officio simul fungetur. Corp. Stat. p. 165. Add. pp. 192. 193.

2 Hi Magistri Scholarum priusquam officium suum ineant, in Domo Convocationis per Seniorem Procuratorem Juramento onerentur sub hac forma: Magister, tu jurabis quod ea omnia et singula quæ ad officium Magistri Scholarum spectant bene et fideliter, omnimoda partialitate seposita, durante tuo Officio exequeris.

3 Horum igitur munus esto in Scholarium RESPONSIONIBUS in Parviso Quæstiones proponere, secundum Statuti de hisce RESPONSIONIBUS sanciti vim et vigorem; item Quadragesimalibus Baccalaureorum Determinantium LECTIONIBUS præesse, juxta Statuti de hac re sanciti exigentiam; ita ut Baccalaureorum Determinantium LECTIONIBUS in singulis Scholis unus saltem ex Magistris Scholarum, RESPONSIONIBUS autem Scholarium in Parviso bini ad mini-

mum per integrum tempus intersint, et, quantum in ipsis est, ne quid vel in LECTIONIBUS, vel in RESPONSIONIBUS, contra bonos mores aut pacem Universitatis peccetur, provideant.

4 Magistri autem Scholarum, in absentia Procuratorum, singulis diebus Exercitiis hisce destinatis, intra Scholarum præcinctus Procuratoriam habeant potestatem.

§. 2. *De Magistris Scholarum et Procuratorum Deputatis remunerandis.*

Quo Scholarum Magistris et Procuratorum Deputatis debitæ accedant remunerationes, Statutum est quod, post annum finitum, Dominus Vice-Cancellarius, acceptis a Procuratore Juniore et Seniore Scholarum Magistro pecuniis quas ei in manus tradere tenentur, et aliis insuper, quantum opus fuerit, e Cista Academica depromptis, (iis scilicet quæ per Decretum Convocationis anno 1802 sancitum ab Academicis exiguntur,) id semper curabit, ut unicuique e quatuor Scholarum Magistris annua sexaginta Librarum pensio, et unicuique e Procuratorum quatuor Deputatis annua octoginta Librarum pensio, persolvatur.

2 Proviso semper, quod in pensionibus hisce solvendis pecuniarum earum ratio habeatur, quæ jam Magistris Scholarum, et Procuratorum Deputatis, vel ex legatione Benefactorum, vel ex Decreto Convocationis, vel alio quocunque nomine debentur; ita ut, connumeratis omnibus, pensiones istæ modum supra præscriptum non excedant.

TITULUS VI.

DE TEMPORE AD GRADUS CAPESSENDOS REQUISITO, ET EXERCITIIS PRO FORMA PRÆSTANDIS.

SECTIO I.

DE TEMPORE ET EXERCITIIS REQUISITIS AD GRADUM BACCALAUREI IN ARTIBUS.

[Placuit Universitati Tit. VI. Sect. I. §. 2. 2. et §. 3. 1. emendare.]

§. 2. *De Exercitiis præstandis pro Gradu Baccalaurei in Artibus.*

2. Responsionibus autem hisce assignentur Terminus Michaelis a die Decembris quinto, Terminus Hilarii a die Lunæ quartam Dominicam Quadragesimalem proxime sequente, et Terminus Trinitatis a die Jovis proxime sequente Dominicam primam post Dominicam Trinitatis. Quod si forte initium Responsionum in diem Festum inciderit earumdem inchoatio in diem proximum differatur. Qui autem in aliquo horum Terminorum responsuri sunt, nomina sua, vel per se, vel per Tutores suos, coram Procuratore Juniore profiteantur, in Libro penes ipsum asservato, et in Terminos hosce rite distributo, inserenda; hac tamen lege, nequis serius quam triduo (ita ut tres dies integri supersint) ante Responsiones inchoandas Procuratorem de hac re adeat. Quo etiam tempore teneatur unusquisque Candidatus Schedulam, nomine suo signatam, rerum et librorum in quibus se responsurum profitetur, Procuratoris in manus tradere. Has vero Schedulas ad Magistrum Scholarum seniorem Procurator deferri curet.

Corp. Stat. p. 25. Add. pp. 175. 322. 343. 375.

§. 3. *De Forma et Modo Responsionum.*

1. Habeantur Responsiones in Schola Metaphysices et Schola Grammatices et Historiæ vel in aliis quibuscunque locis intra septa Scholarum, a Vice-Cancellario et Procuratoribus assignandis. Terminis autem et diebus suprascriptis hora decima matutina in Scholas publicas se conferant quatuor illi Scholarum Magistri, atque ibi,

prout inter ipsos convenerit, duo in utraque Schola, Responsionibus operam impendant; et deinde continuentur Responsiones (donec de omnibus Respondentibus provisum fuerit) de die in diem, nisi ob causam aliquam rationabilem Magistris Scholarum aliter visum fuerit; si vero talis causa orta fuerit, monentur Magistri ut de die quem continuandis RESPONSIONIBUS destinaverint Academiam certiorem faciant, Schedula monitoria ad Collegiorum et Aularum Præfectos deferenda, ad portam insuper Refectorii vel Promptuarii cujusque Collegii et Aulæ, et ad portam Scholæ Metaphysices, per Æditiuum Universitatis ad minimum ante meridiem diei præcedentis affigenda. Formula vero Schedulæ hæc esto:

Responsiones in Parviso in diem —— proroguntur.
A. B.
C. D.

TITULUS IX.

DE CONGREGATIONIBUS MAGISTRORUM REGENTIUM.

SECTIO II.

DE EXAMINANDIS GRADUUM CANDIDATIS.

[Placuit Universitati hæc Statuta sancire, scilicet]

§. 1. *De Congregationibus Magistrorum Regentium.*

Corp. Stat. p. 71. Add. pp. 115. 157. 185. 198. 213. 382.

Quo innotescat certius Congregationi Regentium eruditio, et in bonis literis progressus eorum qui primum sibi Gradum, sive in Artibus, sive in Jure Civili, sive in Medicina petunt; Statutum est ut unusquisque nondum Graduatus antequam ad supplicandum pro Gratia admittatur, bis examen subeat.

2 Compluribus autem de Causis, præsertim ut accuratius apud nos excolantur Literæ Græcæ et Latinæ; ut, maturius et sæpius in probationem industriæ Junioribus vocatis, mali otii et socordiæ occasiones ex aliqua parte recidantur; ut, distributa in plures Examinationes studiorum ratione, magis proficiant in omni præstituta bona-

rum Literarum parte adolescentes impigri; ut Disciplinis nonnullis, quæ in curriculo Academico honorem debitum vix hodie referre videntur, locus inveniatur; ut, denique, ex Prælectorum publicorum Lectionibus fructus percipiantur uberiores, Universitati placuit Statuta de ista re A. D. 1830 et A. D. 1840 condita abrogare, et hocce Statutum in eorum locum subrogare.

3 Si quis igitur ad primum Gradum promoveri cupit, se, modo et forma infra præscribendis, examinandum sistat, antequam ad supplicandum admittatur.

§. 2. *De Moderatoribus in Prima Examinatione designandis et Juramento onerandis.*

Quod ad Primam Examinationem attinet, septem sunto Moderatores, quorum omnium et singulorum munus erit Candidatos in Literis Græcis et Latinis examinare. Qui tamen Moderatores, ut de uberiore quorundam Candidatorum, tum in Literis Græcis et Latinis, tum in Disciplinis Mathematicis, profectu exactior fiat perscrutatio, in duas tandem Scholas distribuendi sunt; quatuor, scilicet, in Scholam Literarum Græcarum et Latinarum, tres, itidem, in Scholam Disciplinarum Mathematicarum. Hi vero Moderatores sint ex eorum numero qui vel aliquando in Artibus inceperint, vel Baccalaureatu saltem in Jure Civili, aut in Medicina, insigniti fuerint.

2 Moderatores a Vice-Cancellario et utroque Procuratore, ex ipsorum consensu, nominentur; ita ut prima nominatio sit penes Vice-Cancellarium, secunda penes Procuratorem Seniorem, tertia penes Procuratorem Juniorem; et hic ordo nominationum in perpetuum servetur.

3 Et ut omnia in hoc negotio cautius fiant et integrius, ista Nominatio primum quidem in Congregatione Domui significetur; deinde in proxima Congregatione Moderatorum nomina sigillatim suffragiis Regentium permittantur: et tandem, post tres dies, in frequenti Convocatione, eodem modo a Domo approbanda demum, seu improbanda, proponantur. Moderatorum autem ita fiat de-

signatio, ut duo Moderatores ex eodem Collegio vel Aula nunquam in eadem Schola simul existant.

4 Ex hisce Moderatoribus officio suo cedant quotannis duo in Schola Literarum Græcarum et Latinarum; in Schola autem Disciplinarum Mathematicarum, alternatim vel unus vel duo, prout res exegerit, ii nempe qui priores ad officium suum nominati fuerint; ita ut e numero septenario cuique Moderatori post exactum biennium officii sui sit terminus. Subrogentur autem in eorum locum tot alii quot ad numerum septenarium explendum sufficiant, ab iisdem viris, modo et ordine supra definitis, nominandi, et sub forma etiam supra definita, a Venerabili Domo Convocationis pariter et Congregationis approbandi.

5 Cautum etiam sit, ut nemo, qui Moderatoris officio per biennium integrum functus fuerit, eodem officio in eadem Schola, nisi post annum elapsum, iterum fungatur.

6 Attamen post Moderatores hosce primum designatos, donec eo res processerit ut Moderatores suo quisque ordine vicissim cedant, Juniorum erit loco cedere, nisi aliter Moderatores inter se statuant.

7 Moderatores singuli intra Scholarum præcinctus, singulis diebus Examinationis, Procuratoribus absentibus, Procuratoria auctoritate muniantur; atque insuper, durante officio suo, si modo in Artibus, vel in Medicina, vel in Jure Civili inceperint, sint Regentes ad placitum. Omnes autem et singuli in Domo Congregationis, antequam munus suum ineant, per Procuratorem Seniorem Juramento onerentur in hæc verba:

Domine Doctor, vel *Magister*, vel *Domine*, *tu jurabis te munus et officium Moderatoris, sedulo et fideliter, sepositis omni odio et amicitia, spe et timore, pro virili exsecuturum, forma et modo per statuta requisitis.* Resp. *Juro.*

§. 3. *De Prima Examinatione habenda, et de Candidatorum admissione.*

Hisce Examinationibus habendis assignentur Terminus Michaelis et Terminus Paschatis. Termino autem Michaelis, vicesimo die

mensis Novembris; et Termino Paschatis, die Mercurii Dominicam primam post Festum Paschatis proxime sequente, inchoentur. Quod si forte initium alicujus Examinationis in diem Festum inciderit, inchoatio ejusdem in diem proximum differatur. Quod ad has Examinationes habendas attinet Terminus Paschatis et Terminus Trinitatis pro uno Termino reputentur.

2 Qui autem examen subituri sunt, nomina sua vel per se, vel per Tutores suos, coram Procuratore Juniore profiteantur, in Libro penes Procuratorem Juniorem asservato, et in Terminos hosce rite distributo, inserenda: quo etiam tempore, teneatur Candidatus unusquisque Schedulam nomine suo signatam rerum et librorum in quibus sese examinandum profitetur, in Procuratoris manus tradere; hac tamen lege ne quis serius quam sexto die ante Examinationem inchoandam Procuratorem de his rebus adeat.

3 Nemini autem examen suum cedat pro forma, qui vel ante inchoatum a tempore Matriculationis suæ Terminum Octavum, vel post finitum Duodecimum se examinandum stiterit; exceptis iis quibus indulget Academia ut, integro triennio in studiis Academicis completo, ad Gradum promoveantur. Hisce liceat post inchoatum Sextum Terminum, et ante Decimum finitum, examen subire.

4 Si quis autem infirma valetudine aut alia gravi causa impeditus, intra Terminos supra præfinitos non subierit examen primum, illi tamen liceat cum consensu Vice-Cancellarii et Procuratorum, sequente aliquo Termino sese examinandum sistere. Sin aliquis Vice-Cancellario et Procuratoribus in hac parte minus satisfecerit, illi tamen aditum ad Gradus omnino præcludere nolumus. Suspendatur vero a Gradu, per unum Terminum aut plures, pro numero scilicet Terminorum quibus sese, post finitum a tempore Matriculationis suæ undecimum Terminum, ad Primum Examen subeundum sistere omiserit. Meminerint igitur Decani vel Censores cujuscunque Collegii vel Aulæ sibi non licere cujusquam qui in hac parte deliquerit Gratiam in V. Domo Congregationis proponere, nisi lapso Termino, vel lapsis Terminis, prout supra Statutum est, post annos a tempore Matriculationis ejusdem ad primum quem ambit Gradum per Statuta usitate requisitos.

5 Nemo autem ad Primum Examen subeundum admittatur nisi qui Quæstionibus Magistrorum Scholarum in Parviso pro forma responderit. Testimonium Responsionis suæ in Parviso, sub Chirographo duorum e Magistris Scholarum, quilibet Candidatus per se vel per Tutorem suum coram Juniore Procuratore teneatur exhibere, eo ipso tempore quo et nomen suum inter Candidatos profitetur; neque Procuratori liceat, Testimonio isto non exhibito, quemquam in Candidatorum numerum referre.

6 Procurator autem Junior, ubi tandem, modo supra præscripto, de iis omnibus, qui sese Candidatos in Termino aliquo profiteri velint, certior factus fuerit, teneatur statim nomina eorum secundum usitatam seriem Literarum disposita in Schedulam referre; deinde, Schedulam istam Chirographo suo munitam et typis mandatam, sub hoc titulo, [*Nomina Examinandorum Prima Examinatione Termino A. D.*] ad Vice-Cancellarium, ad singulos Collegiorum et Aularum Præfectos, ad Procuratorem Seniorem, ad singulos Moderatores, et ad cujuslibet Collegii vel Aulæ Refectorium tam publicum quam privatum Magistrorum deferri, et ostiis etiam Bibliothecæ Bodleianæ, Scholæ Metaphysices, et Apodyterii Venerabilis Domus Convocationis affigi, curet: quæ omnia ita agenda sunt, ut tres dies integri inter Schedulam hanc publici juris factam et Examinationem inchoandam interjiciantur.

7 Et hæc Schedula Procuratoria, modo et forma præscriptis publicata, pro licentia, monitione, et notificatione generali, tam ab ipsis Moderatoribus, quam a Candidatis, habenda et accipienda est.

8 Insuper ad Moderatorem in Schola Literarum Græcarum et Latinarum Seniorem Schedulas rerum et librorum, in quibus unusquisque Candidatus sese examinandum profitetur, Procurator Junior eodem tempore deferri curet.

§. 4. *De Materie, Loco, Forma et Modo Primæ Examinationis.*

Instituatur Examinatio in SS. Evangeliis Græcis, in Literis Humanioribus, et in Disciplinis Mathematicis.

2 Adhibentor semper SS. Evangelia Græca e quibus locus aliquis Candidato interpretandus proponatur; et deinde Quæstiones tam

ad Grammaticam et ad sermonis proprietatem, quam ad horum SS. librorum materiem pertinentes, excutiantur.

3 Per Literas vero Humaniores, quod ad hanc Examinationem attinet, intelligimus Literas Græcas et Latinas, prout a scriptoribus melioris ævi et notæ posteris traditæ sunt. Poetis autem et Oratoribus locum præcipuum assignari volumus; Homerus ille, Virgilius, Demosthenes, Tullius in primis colantur. Dialecticam quoque hisce literis adjungimus, atque in eadem profectum laudabilem, ad honorem consequendum, aliquid momenti habere volumus.

4 Adhibentor igitur duo ad minimum scriptores melioris ævi et notæ, alter scilicet Græcus alter Latinus, quorum alter sit Poeta, alter Orator. Nec cuiquam liceat Candidato, nisi in quatuor ad minimum scriptoribus se sistat examinandum, in hac Examinatione eosdem libros, quos coram Magistris Scholarum adhibuerit, aut omnino libros ab iisdem auctoribus scriptos, adhibere. Moderatores autem, ut perspectum habeant utrum in hac parte Statuto satisfactum fuerit, nec ne, conferant Schedulam ab unoquoque Candidato in Procuratoris manus traditam, et ad Moderatorem Seniorem delatam, cum iis quæ de eodem Candidato in Registris Magistrorum Scholarum in Schola Metaphysices adservatis, consignata fuerint.

5 In explicandis ad accuratam Grammaticæ normam utriusque linguæ principiis Candidati Moderatoribus omnino satisfaciant. Moderatoribus insuper explorandum incumbit, qua quisque polleat facultate animi sui sensa lingua Latina explicandi. Id quod explorare poterunt, porrecto aliquo libro, lingua vernacula conscripto, e quo oblatum quemcunque locum lingua Latina reddat Candidatus; aut alio quocunque demum modo quo sibi commodius satisfacturos Moderatores probabile sit.

6 Cæterum quod ad Literas Græcas et Latinas et ad Disciplinas Mathematicas attinet, Moderatoribus liberum esto quemlibet Candidatum vel in hisce universis vel in aliqua parte eorum, (prout ipsis satius visum fuerit) examinare; modo ut duo isti Scriptores Græci et Romani semper adhibeantur. A Candidatis autem honorem summum in Literis Græcis et Latinis petentibus

Dialecticam semper requiri volumus. Quod ad cæteros attinet, illis liberum esto vel Dialecticam vel Algebraicam adhibere. Algebraicæ tamen tres ad minimum Euclidis Geometriæ libri semper adjungantur.

7 Examinationibus habendis assignentur Schola Metaphysices et Schola Musices. Liceat tamen Vice-Cancellario et Procuratoribus, locum aliquem alium vel plures, si opus fuerit, assignare, modo de hac re Academiam triduo ante certiorem fecerint.

8 Postquam igitur Moderator in Literis Græcis et Latinis Senior Schedulas istas rerum et librorum, in quibus Candidatus unusquisque sese examinandum profiteatur, a Procuratore Juniore acceperit, protinus reliquos Moderatores sibi adsciscat, quo facilius, istarum Schedularum ratione habita, Candidati omnes in duplicem seriem referantur. In primam scilicet referantur ii, qui nullum, in alteram, qui honorem aliquem in Schola Literarum Græcarum et Latinarum ambire videantur. Quam quidem seriem duplicem, manu scriptam, Moderatorum omnium chirographo munitam, et in Scholis adservandam, inspiciendi Candidatis, si quando opus erit, facultas detur.

9 Terminis autem Michaelis et Paschatis, diebus supra præscriptis, hora decima matutina in Scholas publicas se conferant septem illi Moderatores, atque ibi, prout inter ipsos convenerit, tres in Schola Metaphysices, tres itidem in Schola Musices, de die in diem Examinationi continuam operam impendant. Qui superest Moderator, pro re nata, Candidatis, dum ab iis aliquid sit in scriptis præstandum, invigilet. Dein sex illi Moderatores, quorum tres in utraque Schola uniuscujusque diei Examinationi adesse volumus, Candidatos in primam seriem antehac relatos statim ad examen subeundum citent. Nec tantum viva voce Candidatos, aut sigillatim, examinare liceat, sed eo et ordine, et numero, et modo, quo se melius, et cum majore operæ compendio, officio suo satisfacturos fore Moderatores arbitrentur; immo etiam, compluribus simul eosdem locos, Anglice, Latine, pro rei ratione reddendos, easdem quæstiones, ad rem criticam et ad Grammaticæ principia pertinentes, in scriptis enucleandas semper proponant.

10 Inter examinandum vero si quis Candidatus ita sese commendet

ut honore dignus esse videatur, idem a Moderatoribus in utravis Schola, si consentiat ipse, cum cæteris in alteram seriem relatis, vel cum illis quorum nomina, (ut infra præscribetur,) ad Moderatores in Schola Mathematicæ sint deferenda, ad amplius et honorificentius examen subeundum admittatur.

11 Peracta demum eorum Examinatione qui in primam seriem fuerint relati, deinceps ad reliquos examinandos procedatur. Horum Examinationi quatuor illos in Literis Græcis et Latinis Moderatores adesse atque operam impigram impendere volumus; nisi quis propter infirmiorem valetudinem, aut aliam causam perurgentem, a Vice-Cancellario et Procuratoribus absentiæ veniam sibi impetraverit.

12 Ad examen subeundum ordine priores citentur ii, qui sese in Schola Mathematicæ examinandos sistere velint; postea reliqui, eo verumtamen et numero et ordine, quo cum facilius tum accuratius Moderatores cujusque ingenium et eruditionem se exploraturos et perspecturos judicent.

13 Iisdem quæstionibus, sive ad SS. Evangelia sive ad auctores profanos, sive ad Grammaticam et rem criticam, sive ad literarum Græcarum aut Latinarum peritiam generatim pertineant, excutiendis, iisdem locis e scriptoribus antiquis aut nostratibus, Græce, Latine, Anglice, pro rei ratione, reddendis, liceat Candidatos honorem aliquem ambientes complures simul pertentare; ita tamen ut saluberrimus illa viva voce examinandi modus in uniuscujusque Examinatione nunquam non obtineat.

14 Ab hujusmodi Candidatis non tantum scriptorum ad Grammaticæ normam exigatur interpretatio, sed etiam, iis semper proponantur loci quidam sermonis elegantia insigniores ex auctoribus Græcis pariter et Latinis, in linguam vernaculam reddendi; et si quis Candidatus fidus idem ac disertus interpres repertus fuerit, hoc illi in honorum distributione non parum prodesse volumus. Liceat quoque Candidatis versibus, tum Græcis, tum Latinis scribendis, culti et felicis ingenii specimen Moderatoribus exhibere. Philologiæ et rei Criticæ nunquam non habeatur ratio.

15 Et ut hæc Examinationis pars cautius et integrius peragatur,

quæstiones istæ, et res, quæcunque in scriptis tractandæ Candidatis proponantur, omnium et singulorum Moderatorum, si commode fieri poterit, judicio subjiciantur et approbentur. Quinetiam si propter loci angustias, vel quamcunque ob causam expedire videatur, Candidati ad scribendum in aliam Scholam seorsim transferantur, vel si res aliter effici nequeat, in cæteris Examinatio aliquantum intermittatur. Candidatis vero inter scribendum unus saltem e septem Moderatoribus semper intersit et invigilet.

16 In qualibet Examinatione, Candidatus quisque, pridie ante sui examen habendum, per Æedituum Universitatis, citetur. Si quis vero ad examen subeundum citatus non responderit, nisi ex causa rationabili a Vice-Cancellario approbanda, omni loco in Examinatione istius Termini privetur; neque ad aliam aliquam Examinationem tanquam Candidatus admittatur, nisi iterum coram Procuratore Juniore nomen suum professus fuerit; et citetur proximus Candidatus, sub eadem lege, et sic deinceps. Quod si Vice-Cancellarius causam aliquam absentiæ ratam habuerit, alius locus in Schedula pro arbitrio Moderatorum isti Candidato assignetur.

17 Unoquoque autem die ubi visum fuerit Moderatoribus nullum alium Candidatum isto die examinare, palam declaret Moderator Senior diem Examinationi continuandæ destinatum. Et post finitam uniuscujusque diei Examinationem alii omnes Schola excedant præter ipsos Moderatores, qui de Candidatis inter se judicium ferant, ac quemcunque dignum invenerint, ei Testimonium perhibeant sub hac forma:

A. B. [die mensis et anni] *examinatus prout Statuta requirunt satisfecit nobis Moderatoribus.*

Ita testamur { *C. D.* / *E. F.* / *G. H.* } *Moderatores.*

vel

Ita testamur { *I. K.* / *C. D.* / *L. M.* / *E. F.* } *Moderatores in Literarum Græcarum et Latinarum Schola.*

18 Quod si forte contingat aliquem hujusmodi Testimonio indignum reperiri, liceat tamen illi in proxima Examinatione Candidatum se iterum profiteri.

19 Interea vero, statim post confectam in Literis Græcis et Latinis Examinationem eorum qui in Disciplinis Mathematicis honorem ambiant, Candidatorum omnium quorumcunque nomina, qui Scholam Mathematicæ adituri in Literis Græcis et Latinis satisfecerint Moderatoribus, in novam Schedulam referantur. Quam quidem Schedulam Moderator in Literis Græcis et Latinis Senior suo chirographo munitam ad Moderatores in Schola Mathematicæ eodem die deferri curet, sub hoc titulo: *Nomina Examinandorum in Disciplinis Mathematicis.*

20 Moderatores in Schola Mathematicæ, post Schedulam istam ad se delatam, diem publicæ Examinationi in istis disciplinis intra quatuordecim dies habendæ constituant. De eo autem Academiam certiorem faciant Schedula monitoria ad Collegiorum et Aularum Præfectos deferenda, et ad portam insuper Refectorii vel Promptuarii cujusque Collegii et Aulæ affigenda, sub hac forma:

Examinatio Prima in Disciplinis Mathematicis die habenda est.

A.B. } *Moderatores*
C.D. } *in Disciplinarum*
E.F. } *Mathematicarum Schola.*

21 Die constituto in locum Examinationi Mathematicæ assignatum se conferant Moderatores, ibique hujusmodi Candidatos modo præfinito pridie citatos examinent, et post finitam uniuscujusque diei Examinationem de illorum meritis privatim inter se judicium ferant.

22 Materies autem hujus Examinationis sit ea tantum Mathematica, quæ vocatur Pura.

23 Tres Moderatores Mathematicos uniuscujusque Candidati examini omnino operam impigram impendere volumus: Statuimus etiam, uti in his quoque disciplinis Examinatio non in scriptis tantummodo, sed, quantum commode fieri poterit, viva voce agatur.

Si vero post examen viva voce peractum, supersit aliquid scriptis a quolibet Candidato præstandum, unus ex his Moderatoribus (absentiæ vicibus juxta Senioritatem, nisi aliter ipsis visum fuerit, inter se constitutis) in Schola semper adesse teneatur.

24 Continuetur autem Examinatio in unaquaque Schola (donec de omnibus Candidatis provisum fuerit de die in diem nisi ob causam aliquam rationabilem Moderatoribus aliter visum fuerit; quod si evenerit, monentur Moderatores, ut de die quem continuandæ Examinationi destinaverint Academiam certiorem faciant Schedula monitoria ad Collegiorum et Aularum Præfectos deferenda, ad portam insuper Refectorii vel Promptuarii cujusque Collegii et Aulæ, et ad portam Scholæ Metaphysices per Æditguum Universitatis ad minimum ante meridiem diei præcedentis affigenda. Formula vero Schedulæ hæc esto:

Examinatio Prima die habenda est.

A. B.
C. D. } *Moderatores.*
E. F.

25 Hora decima matutina in Examinatione uniuscujusque diei incipienda semper servetur; at diebus Festis Examinatio non inchoetur nisi post concionem publice coram Universitate habitam.

26 Peracta demum in utravis Schola Examinatione, Moderatores in ista Schola eo ipso die, si fieri poterit, sin minus, postridie, Candidatorum omnium nomina in Schedulam quandam, forma infra præscribenda, redigant.

27 Honorum vero series duplex esto; quarum altera ad Literas Græcas et Latinas, altera ad Mathematicas Disciplinas, pertinere censenda est.

28 Et qui, vel in his, vel in illis, eo usque profecisse visi fuerint ut insigniore laude digni censeantur, in Primum istius Seriei ordinem referendi sunt; proximi his in Secundum, prout de cujusque meritis judicium tulerint Moderatores. Nomina autem in utroque ordine per usitatam seriem Literarum digerantur. Nomina quoque cæterorum omnium qui Moderatoribus satisfecerint huic

Schedulæ, et ista secundum seriem Literarum disposita, subjiciantur.

Forma autem Schedulæ hæc esto:

NOMINA CANDIDATORUM

QUI TERMINO A.D.

IN EXAMINATIONE PRIMA PUBLICA *PROGRESSUS LAUDABILES FECISSE VISI SUNT*,

SECUNDUM SERIEM LITERARUM DISPOSITA

I°.

MODERATORIBUS SE MAXIME COMMENDAVERUNT,

IN LITERIS GRÆCIS ET LATINIS,	IN DISCIPLINIS MATHEMATICIS,
A. B. ex Aul.	*A. B. e Coll.*
C. D. e Coll.	*C. D. e Coll.*
E. F. e Coll.	*E. F. ex Aul.*

II°.

MODERATORIBUS SE EGREGIE COMMENDAVERUNT,

A. B. e Coll.	*A. B. ex Aul.*
C. D. e Coll.	*C. D. e Coll.*
E. F. ex Aul.	*E. F. e Coll.*

A. B., *C. D.*, *E. F.*, *G. H.* } *Moderatores in Literarum Græcarum et Latinarum Schola.*

I. K., *L. M.*, *N. O.* } *Moderatores in Disciplinarum Mathematicarum Schola.*

Nomina cæterorum omnium qui Moderatoribus satisfecerunt:

A. B. e Coll.
C. D. e Coll.
E. F. ex Aul. &c. &c.

29 Statutum est ut neque in Testimoniis perhibendis, neque in hac Schedula ordinanda, Moderator de Candidato quovis suffragium vel judicium suum ferat, nisi cujus examini operam impigram impenderit.

30 Sin autem in Schedula hac ordinanda Moderatores pari utrinque suffragiorum numero in diversas sententias abierint, ea demum sententia rata esto, in qua Moderator Senior fuerit, modo ne sit ex eadem domo unde Candidatus ipse de quo agatur: si autem res ita se habeat, auctoritas simpliciter Senioris ad proxime Seniorem transferenda est. Quæ quidem Senioritas hoc modo æstimanda est; scilicet, Doctorum, juxta Ordinationes Tit. XI. §. 2. Baccalaureorum vero in quavis facultate, pariter ac Magistrorum, juxta prioritatem præsentationis suæ sive ad Gradum Magistri in Artibus, sive ad Baccalaureatum in Jure Civili, sive in Medicina.

31 Denique hanc Schedulam, propriis omnium Moderatorum nominibus signatam, et typis mandatam, ad Dominum Cancellarium, ad Vice-Cancellarium, ad singulos Collegiorum et Aularum Præfectos, ad utrumque Procuratorem, necnon ad cujusque Collegii et Aulæ Refectorium, tam publicum quam privatum Magistrorum, Moderator Senior in Schola Disciplinarum Mathematicarum deferri curet.

32 Attamen ne moræ aliquid Candidatorum justæ expectationi interponantur, volumus ut, priusquam hujus Schedulæ duplex et numeris omnibus absoluta series in lucem prodeat, eorum nomina vulgentur, qui in Literis Græcis et Latinis sese Moderatoribus commendaverint. Idcirco, cujusque Termini peracta in Literis Græcis et Latinis Examinatione, Moderator in ea Schola Senior, Schedulam eorum nomina complectentem qui honore aliquo digni in ordines juxta formam supra præscriptam relati fuerint, Moderatorum chirographis munitam, ad portam Scholæ Metaphysices, et ad portam Apodyterii Domus Convocationis affigi curet.

33 Volumus insuper uti Statutum hocce, quod ad Moderatorum Nominationem, Termino Hilarii, quod autem ad Examinationes habendas attinet, Termino Paschatis, A. D. 1852, vim et vigorem suum obtineat.

34 Si autem contigerit, aliquem qui in Universitatis Matriculam ante Terminum Hilarii A. D. 1850 receptus fuerit, Examen publicum ante Terminum Paschatis A. D. 1853 non subiisse, illi tamen liceat, dummodo per statuta nunc temporis legis vim habentia id fieri possit, se examinandum sistere coram Moderatoribus modo suprascripto nominatis; Moderatoribus autem fas sit Examinationem secundum formam Statuti A. D. 1830 conditi peragere; si vero Moderatoribus Candidatus satisfecerit, Testimonium illi sub hac forma perhibeant:

A. B. qui in Matriculam Universitatis ante Terminum Hilarii A. D. 1850 *receptus est, secundum formam Statuti A. D.* 1830 *conditi examinatus [die mensis et anni] satisfecit nobis Moderatoribus.*

Ita testamur *A. B.*, *C. D.*, *E. F.* } *Moderatores.*

35 Hoc autem Testimonium Candidato pro primo Gradu cedat velut ac si ante Statutum hocce conditum Examinatoribus Publicis satisfecisset. Sed tali Candidato nullus locus in Honorum distributione assignetur. Quod vero ad ea spectat, quæ coram Procuratore Juniore ante exhibere tenetur quam nomen suum in Examinandorum Schedulam referatur, valeant quæ auctoritate Statuti A. D. 1830 conditi sanciuntur. Nomina hujusmodi Candidatorum, in speciali quadam schedula disposita, Procurator (re bene comperta) ad Moderatorem Seniorem deferri curet.

36 Statuimus etiam ut si quis in Termino Hilarii vel in Termino Paschatis A. D. 1849 in Matriculam Universitatis receptus, se examinandum sub forma hujus Statuti sistere velit, et veniam a Præfecto Domus suæ, et a Vice-Cancellario et Procuratoribus sibi impetraverit, illi liceat se Candidatum profiteri in Prima Examinatione vi hujus Statuti habenda, Termino Paschatis 1852, etiam si duodecimum Terminum a Matriculatione sua excesserit, dummodo Quæstionibus Magistrorum Scholarum in Parviso pro forma responderit; et cætera omnia observet quæ in hoc Statuto requiruntur.

§. 5. *De Examinatione publica secunda.*

Quod autem ad Secundam Examinationem attinet eorum qui primum Gradum ambiunt, quatuor sunt Scholæ; quarum Prima, Schola Literarum Humaniorum appelletur, Secunda, Schola Scientiarum Mathematicarum et Physicarum, Tertia, Schola Scientiæ Naturalis, et Quarta, Schola Jurisprudentiæ et Historiæ Modernæ.

2 Statuimus ut nemo pro primo gradu supplicet, nisi in Schola Literarum Humaniorum, et deinde in una qualibet ex cæteris Scholis, in eodem vel in sequenti aliquo Termino, examen subierit; et in utraque Schola Examinatoribus publicis satisfecerit. Statuimus etiam ut nemo Gratiam cujusquam qui examen subire debuerit, unquam proponat, nisi prius Testimonium Examinatorum Publicorum in Literis Humanioribus de Candidato suo, et deinde Testimonium Examinatorum Publicorum in quavis alia Schola, palam in Domo Congregationis recitaverit.

§. 6. *De Examinatoribus designandis et Juramento onerandis.*

Examinatores Publici sunto tredecim; quorum quatuor in Schola Literarum Humaniorum, tres in Schola Scientiarum Mathematicarum et Physicarum, tres itidem in Schola Scientiæ Naturalis, tres denique in Schola Jurisprudentiæ et Historiæ Modernæ, Examinationibus impendant operam. Hi omnes a Vice-Cancellario et utroque Procuratore nominentur; ita ut prima nominatio in unaquaque Schola sit penes Vice-Cancellarium, secunda penes Procuratorem Seniorem, tertia penes Procuratorem Juniorem; et hic ordo nominationum in perpetuum servetur. Examinatorum autem designatio ita fiat, ut duo Examinatores ex eodem Collegio vel Aula in eadem Schola nunquam simul existant.

2 Omnes vero Examinatores ex ipsorum consensu nominentur, et sint ex illorum numero qui vel aliquando inceperint in Artibus, vel Baccalaureatu saltem in Jure Civili, aut in Medicina, insigniti fuerint. Omnium nomina V. Domui Convocationis, pariter ac Congregationis, modo et forma in ea parte hujusce Statuti, quæ ad Moderatorum designationem pertinet, præscriptis, significentur, et approbanda seu improbanda proponantur.

3 Ex hisce Examinatoribus officio suo cedant duo quotannis in

Schola Prima; in cæteris autem Scholis alternatim vel unus vel duo, prout res exegerit, ii nempe qui primi ad officium suum nominati fuerint; ita ut Examinatori cuique post exactum biennium officii sui sit Terminus. Subrogentur autem in eorum locum tot alii quot ad justum numerum explendum sufficiant, ab iisdem viris modo et ordine supra definitis nominandi, et sub forma etiam supra definita a V. Domo Convocationis pariter ac Congregationis approbandi. Nemo autem qui Examinatoris officio per biennium functus fuerit eodem officio in eadem Schola, nisi post biennium elapsum, iterum fungatur.

4 Attamen donec eo res processerit ut Examinatores suo quisque ordine vicissim cedant, Juniorum erit loco cedere, nisi aliter Examinatores inter se statuant.

5 Examinatores singuli, intra Scholarum præcinctus, singulis diebus Examinationis Procuratoribus absentibus, Procuratoria auctoritate muniantur, atque insuper durante officio suo, si modo in Artibus, vel in Medicina, vel in Jure Civili inceperint, sint Regentes ad placitum. Omnes autem et singuli in Domo Congregationis, antequam munus suum ineant, per Seniorem Procuratorem juramento onerentur, in hæc verba:

Domine Doctor, vel *Magister*, vel *Domine, tu jurabis, te munus et officium Examinatoris Publici sedulo et fideliter, omni odio et amicitia, spe et timore, sepositis, pro virili exsecuturum, forma et modo per Statuta requisitis.* Resp. *Juro.*

§. 7. *De Examinationibus habendis et de Candidatorum Admissione.*

Examinationibus habendis assignentur Terminus Michaelis et Terminus Paschatis. In Termino Michaelis, Examinationes in Literis Humanioribus die vicesimo quarto mensis Octobris; et in Termino Paschatis, die Jovis Dominicam secundam post Festum Paschatis sequente incipiant; at si forte initium alicujus Examinationis in diem Festum inciderit, inchoatio ejusdem in diem proximum differatur. Quod ad has Examinationes habendas attinet Terminus Paschatis et Terminus Trinitatis pro uno Termino reputentur.

2 Qui autem in alterutro horum Terminorum in quacunque Schola examen subituri sunt, nomina sua vel per se, vel per Tutores suos, coram Procuratore Seniore profiteantur, in Libro penes Procuratorem Seniorem asservato, et in Terminos hosce rite distributo, inserenda: quo etiam tempore, Candidatus unusquisque Schedulas, manu sua in fine signatas, rerum et librorum in quibus sese examinandum profitetur, Procuratoris in manus tradat; hac tamen lege, ne quis serius quam quinto die ante Examinationem inchoandam Procuratorem de his rebus adeat: neque ulli Candidato liceat in quacunque Schola sese examinandum sistere, nisi prius nomen suum coram Procuratore Seniore fuerit professus.

3 Nemini examen suum cedat pro forma, qui se examinandum stiterit ante inchoatum a tempore Matriculationis suæ quartum annum; exceptis iis quibus indulget Academia, ut integro triennio in studiis Academicis completo ad Gradum promoveantur. Hisce liceat post inchoatum tertium annum, a tempore Matriculationis suæ, Examen Secundum subire.

4 Nemo ad hoc Examen subeundum admittatur, nisi qui Moderatoribus satisfecerit; nemo qui non duos Professores, vel Prælectores publicos, et unam ad minimum utriusque lectionum seriem integram audiverit. Iis tantum perhibeant Testimonium Professores vel Prælectores quos et præsentes fuisse et attento animo audivisse crediderint. Quamvis autem Studentibus incumbat Lectiones omnes in utraque serie audire, non tamen illi denegari volumus testimonium qui semel, vel etiam bis, si Lectionum series plures quam octo Lectiones comprehenderit, valetudine, aut alia gravi causa, Professori seu Prælectori approbanda, impeditus, Lectionibus haud interfuerit. Et quo unumquemque adfuisse liquido appareat, auditores singuli nomina sua in Tabulis penes Professorem seu Prælectorem adservandis, propriis manibus inserant. Testimonii vero hæc esto formula:

A. B. e Col. vel *Aul.* *Lectiones meas per Terminum anni* *secundum Statuta audivit.*
Ita Testor *C. D.* *Professor* vel *Prælector.*

5 Auditores vero qui Lectionum auditarum Testimonium am-

biant, unum saltem diem ante inchoandam Lectionum seriem, nomina sua inscribant in Tabulis penes singulos Professores seu Prælectores adservandis. Professores autem, et Prælectores, nomina eorum omnium quibus Testimonium perhibuerint in Libris ad hunc usum destinatis, et in Terminos rite distributis inserant. Hos libros omnes custodiendos Registrario Universitatis committimus, ut si aliquando id res exegerit, ad illos recurrere sit in promptu.

6 Quæ quidem Professorum, seu Prælectorum Testimonia, atque insuper Testimonium sub Chirographo trium Moderatorum, quilibet Candidatus, una cum Testimonio Matriculationis suæ, per se vel per Tutorem suum, coram Procuratore Seniore, eo ipso tempore quo et nomen suum inter Candidatos profitetur, exhibeat; neque liceat Procuratori, Testimoniis istis non exhibitis, Candidatum in numerum Examinandorum referre.

7 Procurator autem Senior, ubi tandem, modo supra præscripto, de iis omnibus, qui sese examinandos in Termino aliquo profiteri velint, certior factus fuerit, eorum nomina statim in quatuor Schedulas referat, secundum ordinem literarum disposita: Hæ autem Schedulæ hos titulos præ se ferant, nempe,

Prima, Nomina Examinandorum Secunda Examinatione,
Termino A.D. In Schola Literarum Humaniorum.
Secunda, Nomina, &c. ...... In Schola Scient. Math. et Phys.
Tertia, Nomina, &c. ...... In Schola Scient. Natural.
Quarta, Nomina, &c. ...... In Schola Jurisprud. et Hist. Mod.

Deinde Schedulas istas Chirographo suo munitas et typis mandatas ad Vice-Cancellarium, ad singulos Collegiorum et Aularum Præfectos, ad Procuratorem Juniorem, ad singulos Examinatores, et ad cujusque Collegii vel Aulæ Refectorium tam publicum quam privatum Magistrorum deferri, et ostiis etiam Bibliothecæ Bodleianæ, Scholæ Metaphysices, et Apodyterii Venerabilis Domus Convocationis affigi, curet: quæ omnia ita agenda sunt, ut tres dies integri inter Schedulas has publici juris factas et Examinationem in Schola Literarum Humaniorum inchoandam interjiciantur.

8 Et hæ Schedulæ Procuratoriæ, modo et forma præscriptis pub-

licatæ, pro licentia, monitione, et notificatione generali, tam ab ipsis Examinatoribus, quam a Candidatis, habendæ et accipiendæ sunt.

9 Procurator insuper in aliam Schedulam nomina referat Candidatorum omnium qui Terminum duodevicesimum ab ipsorum Matriculatione excesserint; et hanc Schedulam, manu scriptam, et nomine suo signatam, una cum Schedulis rerum et librorum in quibus unusquisque Candidatus sese examinandum profitetur, quam primum fieri poterit, ad Examinatorem in unaquaque Schola Seniorem deferri curet.

§. 8. *De Materie, Loco, Forma et Modo Examinationis Secundæ.*

In Schola Literarum Humaniorum instituatur Examinatio in Rudimentis Religionis et in Literis Humanioribus.

2 Præ cæteris omnibus primum sibi locum vindicant Religionis Rudimenta. Meminerint Examinatores, et hanc sibi sanctam habeant juramenti sui interpretationem, defectum in hac re nullis aliis quibuscunque Candidatorum meritis compensari posse, ita ut qui in hac gravissima materie Examinatoribus non satisfecerit, nullum omnino Testimonium obtineat.

3 Adhibentor semper SS. Evangelia Græca, et Acta SS. Apostolorum, e quibus locus aliquis Candidato interpretandus proponatur; et Quæstiones ex ista interpretatione oriundæ, nec non Quæstiones ad Historiam, et ad Argumenta Librorum, tam Veteris quam Novi Testamenti pertinentes, excutiantur.

4 Adhibentor etiam Doctrinæ Articuli in Synodo Londini anno 1562 editi; in quibus, juxta Academiæ Statuta, a Tutoribus instituendi sunt omnes qui illorum tutelæ committuntur. De ipsis Dogmatibus breves sunto et dilucidæ Quæstiones; deinde ad locos S. Scripturæ provocetur, ex quibus Dogmati isti de quo agitur fides præcipue adstruenda sit.

5 Porro et Evidentiæ quas vocant, sive Probationes quibus innititur Religionis tam Naturalis quam Revelatæ veritas, in hac Examinatione locum sibi vindicent. Liceat insuper Candidatis qui locum aliquem in tribus superioribus Classibus ambiant, sese in una vel etiam in pluribus SS. Apostolorum Epistolis, et in aliqua Historiæ Ecclesiasticæ parte, examinandos profiteri.

6 Candidatorum autem complurium aut singulorum examen in scriptis, si ita placuerit Examinatoribus, inchoatum, ita continuari volumus ut Candidatus unusquisque viva voce quoque, in iis præsertim quæ ad Rudimenta Religionis spectant, semper examinetur.

7 Per Literas vero Humaniores, quoad ad hanc Scholam attinet, intelligimus non tantum linguas Græcam et Latinam, sed et Historias Græcam et Romanam, (eas videlicet quæ antiquæ habentur,) et quæ ad Historiam pertinent, Phronologiam, Geographiam, Antiquitates; Rhetoricam quoque et Poeticam; Moralem insuper et Politicam Scientiam, quatenus a scriptoribus veteribus derivandæ sint, quas tamen aliquando, prout expedire videbitur, ex neotericorum scriptis illustrari permittimus. Dialecticam, quam his literis adjungimus, a Candidatis Primam aut Secundam Classem petentibus semper adhiberi volumus. Et si quis in Dialectica se bene institutum probaverit, hoc in honorum distributione aliquantum momenti habeat.

8 Adhibentor, igitur, duo ad minimum Scriptores Græci et Romani melioris ævi et notæ, (unus scilicet in utraque lingua) quorum unus sit ex illis qui Philosophiam tractaverunt, alter Historicus. Nec cuiquam liceat Candidato, nisi in quatuor ad minimum scriptoribus se sistat examinandum, in hac Examinatione eosdem libros, quos coram Magistris Scholarum adhibuerit, aut omnino libros ab iisdem auctoribus scriptos, adhibere. Examinatores autem, ut perspectum habeant utrum in hac parte Statuto satisfactum fuerit, nec ne, conferant Schedulam ab unoquoque Candidato in Procuratoris manus traditam, et ad Examinatorem Seniorem delatam, cum iis quæ de eodem Candidato in Registris Magistrorum Scholarum in Schola Metaphysices adservatis, consignata fuerint.

9 Quo autem evidentius appareat Juniores, spretis socordiæ adjumentis, ex ipsis fontibus hausisse, locos nonnullos e scriptoribus allatis, seu in Scriptis, seu viva voce, in Linguam vernaculam vertant, et Quæstiones ad materiem librorum quos attulerit Candidatus, pertinentes tractent.

10 Candidatos autem honorem aliquem ambientes, complures aut singulos, quæstionibus enucleandis, dissertationibus Latine, Græce,

Anglice, componendis, Scriptoribus interpretandis, quacunque demum ratione se cujusque ingenium et eruditionem melius exploraturos arbitrentur, Examinatores pertentent.

11 Examinationibus habendis assignentur Schola Metaphysices et Schola Musices. Liceat tamen Vice-Cancellario et Procuratoribus, locum aliquem alium, vel plures, si opus fuerit, assignare, modo de hac re Academiam triduo ante certiorem fecerint.

12 Postquam igitur Examinator in Literis Humanioribus Senior Schedulas istas a Procuratore acceperit, protinus tres reliquos Examinatores sibi adsciscat, quo facilius, Schedularum ratione habita, Candidati in duplicem seriem referantur. In primam scilicet referantur ii, qui nullum, in alteram, qui aliquem locum in tribus Classibus superioribus in Schola Literarum Humaniorum ambire videantur. Quam quidem seriem duplicem, manu scriptam, Examinatorum omnium chirographo munitam, et in Scholis adservandam, inspiciendi Candidatis, si quando opus fuerit, facultas detur.

13 Terminis autem Michaelis et Paschatis, diebus supra præscriptis, hora decima matutina, in Scholas publicas se conferant quatuor illi Examinatores, atque ibi, prout inter ipsos convenerit, duo in Schola Metaphysices, duo itidem in Schola Musices, de die in diem examinent Candidatos in primam seriem antehac relatos, et modo infra præscribendo citatos, eo vero et numero et ordine, quo cum majore operæ compendio se officio suo satisfacturos fore arbitrentur.

14 Peracta demum eorum Examinatione qui in primam seriem fuerint relati, deinceps ad reliquos examinandos procedatur. Horum Examinationi quatuor illos in Literis Humanioribus Examinatores adesse atque operam impigram impendere volumus; nisi quis propter infirmiorem valetudinem, aut aliam causam perurgentem, a Vice-Cancellario et Procuratoribus absentiæ veniam sibi impetraverit.

15 Ad examen subeundum ii primi citentur qui in Schola Scientiæ Naturalis, his proximi qui in Schola Scientiarum Mathematicarum et Physicarum, deinde qui in Schola Jurisprudentiæ et Historiæ Modernæ, examinandos sese sistere debeant. Postremi examinentur qui eodem termino nullam aliam Scholam sint adituri.

16 Statim post confectam in Literis Humanioribus Examinationem eorum qui in Scholam Scientiæ Naturalis descendere velint, illorum omnium nomina qui, in ista Schola examinandi, Examinatoribus publicis in Literis Humanioribus satisfecerint, in novam Schedulam referantur. Quam quidem Schedulam Examinator in Literis Humanioribus senior manu sua signatam, ad Examinatorem in ista Schola Seniorem deferri curet. Hunc autem Titulum præ se ferat Schedula, *Nomina Examinandorum in Scientia Naturali.*

17 Quod autem ad illos spectat qui testimonio digni habiti in Schola Literarum Humaniorum, Scholam Scientiarum Mathematicarum et Physicarum vel Scholam Jurisprudentiæ et Historiæ Modernæ, adire velint, omnia eodem modo, eadem cura, agantur, mutatis tamen mutandis, prout rei ratio postulabit.

18 Examinatores autem in Scientia Naturali, post Schedulam istam ad se delatam, diem publicæ Examinationi in hac Scientia intra dies octo habendæ constituant; et de eo die Academiam certiorem faciant Schedula monitoria ad Collegiorum et Aularum Præfectos deferenda, et ad portam insuper Refectorii vel Promptuarii cujusque Collegii et Aulæ affigenda, sub hac forma:

Examinatio in Scientia Naturali die habenda est

A. B. } *Examinatores*
C. D. } *in Scientia*
E. F. } *Naturali.*

19 Die autem constituto, in locum Examinationi assignatum se conferant Examinatores isti, ibique hujusmodi Candidatos, modo infra definiendo pridie citatos, pro rei ratione examinent.

20 In hac Schola nullus Candidatus Testimonio dignus habeatur, nisi Principiis Philosophiæ Mechanicæ, Chemiæ, et Physiologiæ, vel trium harum Scientiæ Naturalis partium duabus saltem sit imbutus, et insuper in Disciplina quadam Physica quæ ex Philosophia Mechanica pendet, in profecerit ut Examinatoribus satisfaciat.

21 Candidatis vero honorem aliquem in hac Schola petentibus, necesse sit, ut in unaquaque Scientiæ Naturalis supra dicta parte sint instituti, necnon etiam ut e Disciplinis Physicis, quarum materies

in qualibet Scientiæ Naturalis partium prædictarum continetur, unam ad minimum elegerint in qua se instructos atque peritos Examinatoribus exhibeant.

22 Examinatores similiter Mathematici, post Schedulas ab Examinatoribus in Literis Humanioribus ad se delatas, diem Examinationi in Scientiis Mathematicis et Physicis intra dies quindecim habendæ constituant; diem constitutum Academicis significent; et quum advenerit, Candidatis citatis, in Schola sibi assignata opus aggrediantur.

23 In hac autem Schola materies Examinationis sit Mathematica non ea tantum quæ Mixta, sed ea etiam quæ Pura dicitur.

24 Nulli Candidato in hac Schola Testimonium concedatur, nisi adhibuerit ad minimum illam Geometriæ planæ partem quæ ab Euclide in primo et sequentibus, usque ad sextum inclusum, libris tractata est: vel, si id malit, primam Algebraicæ partem. Cum autem nonnullæ planæ Geometriæ partes sint quæ Algebraicæ ope commode explicantur, utram partes istas tractandi sequi malint rationem, Candidatorum sit optio.

25 Nec aliter agant Examinatores in Schola Jurisprudentiæ et Historiæ Modernæ, cum ad illos Schedulæ præscriptæ delatæ fuerint. Diem Examinationi in istis Literis habendæ intra dies viginti præfiniant, Academiam rite moneant, die et loco præfinitis Examinationum initium faciant.

26 In Schola autem Jurisprudentiæ et Historiæ Modernæ hæc esto materies Examinationis; Historia recentiorum temporum usque ad annum a Christo nato millesimum septingentesimum octogesimum nonum; Jurisprudentia, et specialiter Leges Angliæ. Jus Civile, aut Jus, quod vocant, Belli et Pacis, ab omnibus primam, secundam, aut tertiam classem ambientibus semper requiri volumus. Celeberrimum etiam illud opus Philosophi nostratis Adami Smith, "de Gentium Opibus," candidatis adhibere liceat.

27 Nemini autem in hac Schola concedatur Testimonium, nisi qui, rerum in Anglia ab anno Salutis millesimo sexagesimo sexto usque ad annum millesimum quingentesimum nonum gestarum, et portionis illius Commentariorum Gulielmi Blackstone, editione probatissima semper adhibita, in qua de Rebus Immobilibus disseruit vir

doctissimus; vel rerum in Anglia ab anno Salutis millesimo quingentesimo nono usque ad annum millesimum septingentesimum secundum, et legum quæ apud nos Res Mobiles spectant et Personas, eodem Juris Consulto auctore, se peritum præbuerit. Candidatis tamen liceat, in locum hujus vel illius Juris Anglici partis, Institutiones Imperiales substituere.

28 Inter Examinandum vero si quis Candidatus ex illis qui nullum locum in tribus superioribus Classibus ambire videbantur, ita sese commendet ut honore aliquo dignus habeatur, idem ab Examinatoribus in unaquaque Schola vel statim in Quartam Classem referatur; vel, si ita velint Examinatores et consentiat ipse, cum cæteris ad amplius et honorificentius examen subeundum admittatur: sub ea tamen lege, ut quæstionum jam antea ab illo enucleatarum ratio habeatur, ct tandem, peracto examine, si laude insigniore parum dignus reperiatur, in Quarta Classe locum omnino sibi vindicet.

29 In unaquaque harum trium Scholarum, sicut et in Prima, Candidatos eo et numero et ordine citent, et eo modo exerceant Examinatores quo, cum facilius tum accuratius, ingenium cujusque et eruditionem se exploraturos et perspecturos judicent.

30 In qualibet Examinatione, Candidatus quisque pridie ante sui examen habendum per Æditŭum Universitatis citetur. Si quis vero ad examen subeundum in aliqua Schola citatus non responderit, nisi ex causa rationabili a Vice-Cancellario approbanda, omni loco in Examinatione istius Termini, quod ad hanc Scholam attinet, privetur; neque in sequente quovis Termino in hanc Scholam tanquam Candidatus admittatur, nisi iterum coram Procuratore Seniore nomen suum professus fuerit; et citetur proximus Candidatus, sub eadem lege, et sic deinceps. Quod si Vice-Cancellarius causam aliquam absentiæ ratam habuerit, alius locus in Schedula pro arbitrio Examinatorum isti Candidato assignetur.

31 Unoquoque autem die ubi visum fuerit Examinatoribus nullum alium Candidatum isto die examinare, palam declaret Examinator Senior diem Examinationi continuandæ destinatum. Et post finitam uniuscujusque diei Examinationem alii omnes Schola excedant præter ipsos Examinatores, qui de Candidatis inter se judi-

cium ferant, ac quemcunque dignum invenerint, ei Testimonium perhibeant sub hac forma:

A. B. [die mensis et anni] *prout Statuta requirunt Examinatus, satisfecit nobis Examinatoribus.*

Ita testamur	*C. D.* *E. F.*	*Examinatores Publici in Literis Humanioribus.*
vel		
Ita testamur	*I. K.* *L. M.* *N. O.* *P. Q.*	*Examinatores Publici in Literis Humanioribus.*
vel		
Ita testamur	*R. S.* *T. V.* *W. Y.*	*Examinatores Publici in Scientiis Mathematicis et Physicis* vel *Scientia Naturali* vel *Jurisprudentia et Historia Moderna.*

32 Quod si contingat aliquem hujusmodi Testimonio indignum reperiri, liceat tamen illi in sequentis alicujus Termini Examinatione Candidatum se iterum profiteri.

33 Examinatores omnes in Schola Scientiarum Mathematicarum et Physicarum, in Schola Scientiæ Naturalis, in Schola Jurisprudentiæ et Historiæ Modernæ, Candidatorum examini operam impigram impendere volumus. Statuimus autem Examinationem in his Scholis, non in scriptis tantummodo sed etiam viva voce agendam esse. Candidatis inter scribendum unus saltem ex Examinatoribus semper intersit et invigilet.

34 Quod si quis ex Moderatoribus vel ex Examinatoribus publicis propter infirmiorem valetudinem aut aliam causam perurgentem, a Vice-Cancellario et Procuratoribus absentiæ veniam sibi impetraverit, alius ex nominatione Vice-Cancellarii et Procuratorum, a Ven. Domo Convocationis approbandus, pro hac vice in illius locum substituatur. Nemini tamen istiusmodi venia ultra unam Examinationem prorogetur.

35 Liceat vero, tum Moderatoribus tum Examinatoribus, in omni hoc Examinationis negotio, aut Latino aut Anglicano idiomate uti;

et quæcunque Candidati in scriptis præstiterint, ea etiam extra locum Examinationis inspicere et perpendere.

36 Continuetur autem Examinatio in unaquaque Schola (donec de omnibus Candidatis provisum fuerit) in diem ex die, nisi, ob causam aliquam rationabilem, Examinatoribus aliter visum fuerit; quod si evenerit, monentur Examinatores, ut de die quem continuandæ Examinationi destinaverint, Academiam certiorem faciant, Schedula monitoria ad Collegiorum et Aularum Præfectos deferenda, ad portam insuper Refectorii vel Promptuarii cujusque Collegii et Aulæ, et ad portam Scholæ Metaphysices, per Æditüum Universitatis, ad minimum ante meridiem diei præcedentis affigenda. Formula vero Schedulæ hæc esto:

Examinatio Publica die in Schola habenda est.

A. B.
C. D. } *Examinatores.*
E. F.

37 Hora decima matutina in Examinatione uniuscujusque diei incipienda semper servetur, at Diebus Festis Examinatio non inchoetur nisi post concionem publice coram Universitate habitam.

38 Hoc semper animo infixum habeant Magistri Scholarum, Moderatores, Examinatores Publici, nos nihil triste aut asperum moliri. Lenitati ubique consultum volumus, modo ne sit ea, quæ Juniorum socordiæ patrocinari videatur. Nemo igitur non dignus testimonio habeatur qui in materie Examinationis modo præscripta satisfecerit illis quibus hoc munus commiserit Academia. Meminerint tamen hi viri nemini cujuslibet rei causa, vel perhibendum esse vel denegandum testimonium, nisi in quantum profectus sui documenta, inter ipsum examen præstiterit, aut non præstiterit.

39 Ne liceat Moderatori aut Examinatori Candidatum ex eadem Domo ex qua sit ipse examinare.

40 Peracta demum in unaquaque Schola Examinatione, Examinatores in ista Schola, Candidatorum omnium nomina, quam primum fieri poterit, in Classes distribuant, et in Schedulam quandam, forma infra præscribenda redigant.

41 Classium vero series quadruplex esto, quarum Prima ad Literas Humaniores, Secunda ad Mathematicas et Physicas Scientias, Tertia

ad Scientiam Naturalem, et Quarta denique ad Jurisprudentiam et Historiam Modernam pertinere censenda est.

42 Et qui in unaquaque harum disciplinarum eo usque profecisse visi fuerint, ut insigniore laude digni censeantur, in Primam Classem referantur; proximi his in Secundam, in Tertiam aut in Quartam, prout de cujusque meritis judicium tulerint Examinatores. Nomina in unaquaque Classe per usitatam seriem Literarum digerantur.

43 Huic Schedulæ subjiciantur nomina (et ista secundum seriem Literarum disposita) cæterorum omnium qui in unaquaque Schola Examinatoribus satisfecerint.

44 Nolumus Examinatorem vel in Testimoniis perhibendis, vel in hac Schedula ordinanda, de Candidato quovis suffragium vel judicium suum ferre, nisi cujus examini operam impigram impenderit.

45 Sin autem in Schedula hac ordinanda Examinatores pari utrinque suffragiorum numero in diversas sententias abierint, ea demum sententia rata esto, in qua fuerit Examinator Senior in unaquaque Schola, modo ne sit ex eadem domo unde Candidatus ipse de quo agatur: at si res ita sit, auctoritas simpliciter Senioris ad proxime Seniorem transferenda est. Quæ quidem Senioritas hoc modo æstimanda est; scilicet, Doctorum, juxta Ordinationes Tit. XI. §. 2. Baccalaureorum vero in quavis facultate, pariter ac Magistrorum, juxta prioritatem præsentationis suæ sive ad Gradum Magistri in Artibus, sive ad Baccalaureatum in Jure Civili, sive in Medicina.

46 Nullus autem Candidatus honore afficiatur qui Terminum a Matriculatione sua duodevicesimum excesserit.

47 Volumus, insuper, ut nomini cujuscunque Candidati, (sive in Classem quamlibet, sive in ordinem eorum qui Examinatoribus tantum satisfecerint, relatus fuerit,) notula adscribatur quædam, ex qua manifestum sit quem quisque locum in Prima Examinatione sit adeptus; ex. gr. si quis inter illos qui se Moderatoribus maxime commendaverint in Schola Literarum Græcarum et Latinarum admissus fuerit, ejus nomini adponatur litera majuscula *A;* et itidem litera *B*, illos denotet qui se iisdem Moderatoribus egregie commendaverint. Pari ratione, literis Græcis *α*, *β*, indicandus erit locus a Moderatoribus Scholæ Disciplinarum Mathematicarum Candidato assignatus, cujus nomen

alterutra harum literarum insignitum sit. Quid autem sibi velint hæ literæ, nota in fine Schedulæ addita, lectorem moneant Examinatores.

48 Forma Schedulæ hæc esto:

NOMINA CANDIDATORUM

QUI IN EXAMINATIONE PUBLICA SECUNDA, HONORE DIGNI SUNT HABITI

TERMINO A. D.

IN UNAQUAQUE CLASSE SECUNDUM ORDINEM LITERARUM DISPOSITA.

IN LITERIS HUMANIORIBUS.	IN SCIENTIIS MATHEMATICIS ET PHYSICIS.	IN SCIENTIA NATURALI.	IN JURISPRUDENTIA ET HISTORIA MODERNA.
CLASSIS I.	CLASSIS I.	CLASSIS I.	CLASSIS I.
A. B. e Coll. A β *	*A. B. e Coll. β A*	*A. B. e Coll. β*	*A. B. e Coll. A. B.*
C. D. e Coll.	*C. D. ex Aul. α B*	*C. D. ex Aul.*	*C. D. ex Aul.*
CLASSIS II.	CLASSIS II.	CLASSIS II.	CLASSIS II.
A. B. e Coll. B α	*B. D. e Coll.*	*E. F. e Coll. A β*	*E. F. e Coll. B. A.*
C. D. e Coll.	*E. F. ex Aul.*	*G. H. e Coll.*	*G. H. e Coll.*
CLASSIS III.	CLASSIS III.	CLASSIS III.	CLASSIS III.
A. B. e Coll.	*A. B. e Coll.*	*A. B. e Coll.*	*A. B. ex Aul.*
B. C. e Coll. A α	*C. D. ex Aul.*	*C. D. e Coll. A α*	*C. D. e Coll.*
CLASSIS IV.	CLASSIS IV.	CLASSIS IV.	CLASSIS IV.
A. B. e Coll.	*A. B. ex Aul. β A*	*A. B. e Coll.*	*A. B. ex Aul.*
B. C. e Coll.	*B. C. e Coll. α β*	*C. D. ex Aul.*	*C. D. e Coll.*
D. F. e Coll.	*E. F. ex Aul.*	*E. F. e Coll.*	*E. F. e Coll.*
A. B., *C. D.*, *E. F.*, *G. H.* Examinatores in Literis Humanioribus.	*A. B.*, *C. D.*, *E. F.* Examinatores in Scientiis Mathematicis et Physicis.	*A. B.*, *C. D.*, *E. F.* Examinatores in Scientia Naturali.	*A. B.*, *C. D.*, *E. F.* Examinatores in Jurisprudentia et Historia Moderna.

NOMINA CÆTERORUM OMNIUM QUI IN UNAQUAQUE SCHOLA EXAMINATORIBUS SATISFECERUNT.

IN LITERIS HUMANIORIBUS.	IN SCIENTIIS MATHEMATICIS ET PHYSICIS.	IN SCIENTIA NATURALI.	IN JURISPRUDENTIA ET HISTORIA MODERNA.
A. B. e Coll. A	*A. B. e Coll. β A*	*A. B. e Coll. β*	*A. B. e Coll. A*
C. D. e Coll.	*B. C. ex Aul. α β*	*E. F. ex Aul.*	*C. D. ex Aul. β*
E. F. e Coll. B	*E. F. e Coll.*	*G. H. e Coll. α*	*E. F. ex Aul.*
G. H. ex Aul.	*L. M. e Coll.*	*L. M. e Coll.*	*G. H. e Coll.*
I. K. ex Aul.	*M. N. ex Aul.*	*O. P. ex Aul.*	*&c.*
L. M. e Coll.	*&c.*	*&c.*	
N. O. ex Aul. α			
P. Q. e Coll.			
R. S. ex Aul.			
T. V. e Coll.			
&c.			

* Litera *A* denotantur illi qui in Examinatione Prima se maxime, litera autem *B* illi qui se egregie, Moderatoribus Scholæ Literarum Græcarum et Latinarum commendaverunt. Pari ratione, literis Græcis α. β indicatur locus a Moderatoribus Scholæ Disciplinarum Mathematicarum assignatus Candidato, cujus nomen alterutra harum literarum insignitum est.

49 Denique hanc Schedulam, propriis omnium Examinatorum nominibus signatam, et typis mandatam, ad Dominum Cancellarium, ad Vice-Cancellarium, ad singulos Collegiorum et Aularum Præfectos, ad utrumque Procuratorem, necnon ad cujusque Collegii et Aulæ Refectorium, tam publicum quam privatum Magistrorum, Examinator Senior in Literis Humanioribus deferri curet.

50 Attamen ne moræ aliquid Candidatorum justæ expectationi interponatur, volumus ut, priusquam hujus Schedulæ quadruplex et numeris omnibus absoluta series in lucem prodeat, eorum nomina vulgentur, qui in Schola qualibet Examinatoribus sese commendaverint. Idcirco, Examinatione in Schola quacunque peracta, Examinator in ea Schola Senior, Schedulam, eorum nomina complectentem qui honore aliquo digni, in Classes, juxta formam supra præscriptam, relati fuerint, Examinatorum chirographis munitam, ad portam Scholæ Metaphysices, et ad portam Apodyterii Domus Convocationis affigi curet.

§. 9. *De Officio ac Cura Vice-Cancellarii et Procuratorum circa examinationes; et de Moderatoribus et Examinatoribus remunerandis.*

Quo Statutum hoc de examinandis Candidatis in futurum sancte et inviolabiliter observetur, Volumus ut unicuique Scholæ, sive in Prima sive in Secunda Examinatione Vice-Cancellarius et Procuratores, singuli semel ad minimum, intersint, exploraturi utrum omnia rite et secundum Statuta peragantur.

2 Si quis vero Moderator vel Examinator vel fatis concesserit, vel se officio suo abdicaverit, vel (quod absit) in gravissimo hoc munere obeundo ita se gesserit ut, ex Vice-Cancellarii, vel amborum Procuratorum, sententia, ab officio suo amoveatur, tanquam qui neque Matris Academiæ dignitati, neque juramenti sui obligationi, satisfecerit, alius in ejus locum, qui vices ejus suppleat in partem biennii nondum elapsam, forma et modo supra præfinitis, continuo subrogetur.

3 Et quo Moderatoribus et Examinatoribus accedant non modo Gratiæ, quas illis usque aget habebitque Academia maximas, sed et remunerationes quædam pecuniariæ, Statutum est, ut Candidatus unusquisque cum inter Examinandos refertur in Prima Examinatione persolvat xxi Solidos. In Secunda autem Examina-

tione, cum inter Examinandos in Schola Literarum Humaniorum refertur persolvat xxi Solidos; et, cum in altera quavis Schola refertur, persolvat x Solidos. Hæ vero pecuniæ a Procuratoribus ad Vice-Cancellarium deferantur; qui, aliis insuper, quantum opus fuerit, e Cista Academica Pecuniis depromptis, id semper curet, ut unicuique Moderatori in Schola Disciplinarum Mathematicarum annua sexaginta librarum, et unicuique Moderatori in Schola Literarum Græcarum et Latinarum octoginta librarum, unicuique autem Examinatori in Literis Humanioribus annua centum librarum, et unicuique cæterorum Examinatorum annua quinquaginta librarum pensio persolvatur.

4 Statutum hocce, quod ad Secundam Examinationem habendam spectat, vim et vigorem suum obtineat Termino Paschatis A. D. 1853. Interea omnia et singula, quæ Statutis A. D. 1830 et A. D. 1840 sancita sunt, rata permaneant.

5 Termino autem Hilarii A.D. 1852 Moderatores, et Termino Hilarii A. D. 1853 Examinatores Publici, forma et modo supra præfinitis, nominentur; illis tamen, quibus has Nominationes commisimus, quemlibet auctoritate Statutorum A.D. 1830 et A.D. 1840 designatum nominare fas sit. Perpetuis vero futuris temporibus Nominatio tam Moderatorum quam Examinatorum Termino Hilarii, in Congregatione post Diem Cinerum proxime habenda, et Termino Trinitatis, in prima Congregatione, Domui significetur; et, deinceps, peragantur etiam reliqua quæ ad illorum designationem spectant, prout superius ordinatum est. Moderatores autem et Examinatores sic designati Termino designationem suam proxime sequente munus suum ineant.

6 Præscribimus insuper, ut penes Moderatores, et, item, penes Examinatores Publicos, in Schola Metaphysices Libri adserventur, in quibus inserantur, unoquoque Examinationis die, nomina eorum omnium qui Testimonium obtinuerint; in libro autem penes Moderatores adservato inserantur quoque, finitis Examinationibus, Schedulæ nomina Candidatorum qui honore digni sint habiti continentes; ita ut si de istis rebus quæstio aliquando oriatur, ad hos Libros perpetuo possit appellari.

7 Quoniam vero usu venit, ut dies et horas negotiis Academicis destinatas mutare interdum commodius reperiatur, fas sit Venerabili Domui Congregationis, proponente Vice-Cancellario, dies aut horas hoc Statuto Examinationibus habendis assignatas mutare. At Vice-Cancellarius ante triduum Academiam certiorem faciat, si quando hujusmodi rem ad Venerabilem Domum Congregationis referendam censuerit.

8 Si quis autem nondum Graduatus, auctoritate prioris alicujus Statuti examinatus, Examinatoribus Publicis satisfecerit, illi idem valeat Testimonium quo tunc dignus habitus fuerit, ac si examinatus fuisset prout in hoc Statuto requiritur.

Statutum hocce quod ad tempus primæ Examinationis habendæ spectat ne ante Terminum Michaelis 1854 vim et vigorem suum obtineat.

De Statutis his rogandis consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die sexto mensis Martii, relata sunt in Domo Congregationis die decimo sexto ejusdem mensis Martii; tandem in Convocatione publicata et confirmata die vicesimo secundo ejusdem mensis Martii Anno Domini MDCCCLIV.

TITULUS III.

DE SCHOLARIBUS IN COLLEGIA ET AULAS COMPELLENDIS.

[Placuit Universitati hoc Statutum sancire.]

Sect. 1. *Ne quis Scholaris in domibus privatis victitet, aut hospitetur.*

CUM ad eruditionem et ingenuam Disciplinam promovendam plurimum conducat, ut Scholares non solum sub publico sed etiam sub privato regimine contineantur; Statutum est, quod omnes Scholares, cujuscunque conditionis, in Collegio suo vel Aula victum sumere ac pernoctare teneantur, nec ullo modo, (nisi ex speciali aliqua causa per Cancellarium aut ejus Vice-Cancellarium approbanda) in Domo privata cujusquam (sive Privilegiati, sive non) hospitentur aut victitent: sub pœna quod si quis in hoc deliquerit, pro eo tempore quo sic deliquerit, Universitatis Privilegiis non fruatur, et, crescente contumacia, a Vice-Cancellario, per spatium unius vel plurium Terminorum ad arbitrium Vice-Cancellarii ab Universitate banniatur. Proviso semper, quod causa allegata, per Præfectum Domus, vel, eo absente, per ejus Deputatum, in Schedula aliqua Chirographo suo munita, Vice-Cancellario significetur. Quod si Vice-Cancellarius causam istam ratam habuerit, licentiam pro certo aliquo tempore, non autem indefinite, concedat; et, quoad Ædes privatas in quibus hospitentur Scholares, sub conditionibus a Venerabili Domo Convocationis subinde approbandis. Hanc licentiam, Chirographo suo munitam, una cum Schedula ad se delata, in Registro aliquo peculiari penes ipsum adservando inserendam curabit; quod Registrum in singulis Congregationibus præsto esse, ac demum, finito anno, ad succedentem Vice-Cancellarium transmitti oportet.

Corp. Stat. p. 9. Addend. p. 172.

2 Quicunque vero aliter Scholarem in domo sua commorari, victitare, vel pernoctare permiserit, et, admonitus a Vice-Cancellario, in delicto perseveraverit, si Privilegiatus fuerit, Privilegiis Universitatis privetur: si Oppidanus, commercio cum Privilegiatis ei interdicatur.

3 Proviso tamen, quod liceat Scholaribus in Ædibus quibusvis Collegio alicui annexis vel annectendis, in quibus Oppidani familiam non alunt, victum sumere et pernoctare. Ædes autem annexæ non tam locorum vicinia, quam necessitudinis vinculo cum Collegio aliquo conjungantur.

Hæ vero Ædes, sub his quæ sequuntur conditionibus, Scholaribus pateant.

(1.) Nemo ad commorandum in Ædibus hujusmodi recipiatur, nisi qui Collegii, cui fuerint annexæ, sit Scholaris.

(2.) Ædium annexarum cura, sub gubernatione tamen Præfecti Collegii, graviori cuidam viro permittatur, gradu Magistri in Artibus, vel Baccalaurei in Jure Civili aut in Medicina ad minimum insignito, a Præfecto Collegii cui Ædes annectantur quotannis nominando, et a Vice-Cancellario et Procuratoribus approbando. Quicunque autem Ædes hujusmodi in se regendas susceperit, in ipsis Ædibus, durante Termino, habitare teneatur. Scholaribus vero vel in Ædibus annexis, vel in Collegio suo, ad arbitrium Collegii ejusdem Præfecti, prandere liceat.

(3.) Ineunte quoque anno coram venerabili Domo Convocationis a Vice-Cancellario exhibeatur Testimonium, Chirographo Præfecti Collegii munitum, quo certiores fiant quorum intererit Ædes hasce singulas ita fuisse gubernatas atque administratas, ut neque bonis moribus, nec Disciplinæ Academicæ adversarentur.

(4.) Necnon aliis legibus subjiciantur Ædes annexæ, si quas pro meliore earum regimine Universitati aliquando statuere placeat.

Cuivis etiam Aularum quæ nunc extant liceat, sub iisdem conditionibus quæ Collegiis præscriptæ sunt, Ædes novas sibi annectere.

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die decimo quinto mensis Maii; relatum est in Domo Congregationis die duodevigesimo ejusdem mensis Maii; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vigesimo tertio ejusdem mensis Maii Anno Domini M.DCCC.LIV.

TITULUS IX.

DE CONGREGATIONIBUS MAGISTRORUM REGENTIUM.

SECTIO II.

DE EXAMINANDIS GRADUUM CANDIDATIS.

Placuit Universitati par. 4, Claus. 28, post verba "in Secundum" (ordinem) inserere "aut in Tertium;" abrogare "utroque ordine," et subrogare "singulis ordinibus." Corp. Stat. p. 71. Addend. pp. 115, 157, 185, 198, 213, 382, 445.

Post verba

"II°.

"*MODERATORIBUS SE EGREGIE COMMENDAVERUNT,*" *&c.*

inserere hæc

"III°.

"*MODERATORIBUS SE COMMENDAVERUNT.*"

A.B. e Coll.	*C.D. ex Aul.*
&c. &c.	*&c. &c.*

In par. 8, Claus. 47, abrogare "litera *B*, illos denotet qui se iisdem Moderatoribus egregie commendaverint,"

et subrogare "litera *B*, illos denotet qui ab iisdem Moderatoribus in Secundum, litera autem *C*, illos qui in Tertium ordinem relati sint;"

abrogare "literis Græcis *α*, *β*, indicandus erit locus a Moderatoribus Scholæ Disciplinarum Mathematicarum Candidato assignatus, cujus nomen alterutra harum literarum insignitum sit,"

et subrogare "literis Græcis *α*, *β*, *γ*, indicandus erit locus a Moderatoribus Scholæ Disciplinarum Mathematicarum Candidato assignatus cujus nomen hac vel illa harum literarum insignitum sit."

Claus. 48, abrogare "Litera *A* denotantur ... insignitum est,"

et subrogare "Litera *A* denotantur illi qui in Examinatione

Prima a Moderatoribus Scholæ Literarum Græcarum et Latinarum in Primum, litera *B*, qui in Secundum, litera autem *C*, qui in Tertium ordinem relati sunt. Pari ratione literis Græcis α, β, γ indicatur locus in Moderatoribus Scholæ Disciplinarum Mathematicarum assignatus Candidato, cujus nomen hac vel illa harum literarum insignitum est."

De Statuto hoc rogando consenserunt Collegiorum et Aularum Præfecti, et, re mature perpensa, convenerunt in Terminos die vicesimo secundo mensis Junii; relatum est in Domo Congregationis die vicesimo tertio ejusdem mensis Junii; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo nono ejusdem mensis Junii anno Domini M.DCCC.LIV.

DE STATUTIS CONGREGATIONI ET CONVOCATIONI SUBMITTENDIS.

Statutum quodvis ab Hebdomadali Concilio conditum postquam in Congregatione promulgatum fuerit, in Congregatione iterum post spatium tridui integrum ad minimum proponetur, et si a Congregatione acceptum fuerit, post integrum septem dierum spatium ad minimum Convocationi demum submittetur.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die septimo mensis Martii, Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die decimo mensis Martii, et in eadem Domo die decimo septimo ejusdem mensis Martii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die tricesimo primo ejusdem mensis Martii anno M.DCCC.LV.

TITT. II. IX. XVII. XVI. XV. I. IV. III. ET STATUTA AULARIA.

Quoniam Lege lata an. XVII et XVIII Victor. Regin. Cap. LXXXI. Clauss. XLIII et XLIV vetitum est, nequis aut in Matriculam Universitatis referendus, aut admittendus ad Gradum Baccalaurei in Artibus vel in Jure Civili vel in Medicina vel in Musica, adigatur ad subscribendum ulli Declarationi neve ad quidquam jurandum, Placuit Universitati Statuta hæc quæ sequuntur immutare eo modo quo de unoquoque infra descriptum est.

Sect. I. TIT. II. Sect. 2. *De tempore et conditionibus Matriculationis.* Corp. Stat. p. 5. Addenda (1837) pp. 3, 4.

Placuit abrogare, in TIT. II. Sect. 2. Addend. pp. 3, 4*, hæc verba,

"Quotquot autem in Matriculam Universitatis redigendi accedunt, si decimum sextum suæ ætatis annum attigerint, Articulis Fidei et Religionis subscribant; et de agnoscendo Primatu Regiæ Majestatis corporale juramentum præstent. Qua subscriptione peracta, singulis Vice-Cancellarius exemplar Statutorum in manus tradat, eosque sequentem in modum admoneat. *Scito te* [vel, si plures fuerint, *Scitote vos*] *in Matriculam Universitatis hodie relatum* [vel *relatos*] *esse, sub hac conditione, nempe ut omnia Statuta hoc libro comprehensa pro virili observes* [vel *observetis.*]

"Quod si infra decimum sextum et supra duodecimum ætatis annum extiterint, Articulis Fidei et Religionis duntaxat subscribent, et in matriculam redigentur.

"Quod si duodecimum non excesserint, in matriculam duntaxat referentur; utrique tamen postmodo, ubi ad maturam ætatem pervenerint, qua cætera requisita præstare possint, tum demum ea præstare teneantur, sub pœna non sistentium se matriculandos."

et in eorum locum subrogare hæc,

Singulis autem, qui in Matriculam Universitatis redigendi accedunt, Vice-Cancellarius exemplar Statutorum in manus tradat eosque sequentem in modum admoneat. *Scito te* [vel si plures fuerint, *Scitote vos*] *in Matriculam Universitatis hodie relatum* [vel *relatos*] *esse, et ad observandum omnia Statuta hoc libro comprehensa, quantum ad te* [aut *ad vos*] *spectent, teneri.*

SECT. II.

TIT. IX. SECT. V. *De Præsentationibus Graduandorum.*

Corp. Sta[t.] pp. 92, 93[.] Addenda pp. 140, 1[41,] 142, 311, [312,] 253, 254.

Placuit abrogare, in TIT. IX. SECT. V. §. 3, Addend. p. 140, hæc verba,

"§. 3. *De Subscriptione ante Præsentationem exigenda.*
"Cum Præsentandus vel Præsentandi——,"

et in eorum locum subrogare hæc,

De Subscriptione exigenda ante Præsentationem ad incipiendum in aliqua Facultate, et ad Baccalaureatum in Theologia.

Cum Præsentandus vel Præsentandi ad incipiendum in aliqua Facultate (excepta Musica), vel ad Baccalaureatum in Theologia.

Placuit abrogare, in Tit. IX. SECT. V. §. 5, Addend. p. 141, hæc verba,

"....testorque illum in præsentia mea legisse (vel lectos audi-" visse) Articulos Fidei et Religionis, quibus modo subscripsit co-" ram Procuratoribus; et speciatim tres Articulos in Canone xxxvi° " comprehensos; fide mea data huic Universitati."

Placuit, ibidem p. 141, post "*Ad Incipiendum in Artibus*, Insig-" nissime &c.——testorque illum," inserere hæc verba,

——in præsentia mea legisse (vel lectos audivisse) Articulos Fidei et Religionis, quibus modo subscripsit coram Procuratoribus; ac speciatim tres Articulos in Canone XXXVI° comprehensos; fide mea data huic Universitati.

Placuit, ibidem, p. 142, post "*Ad Baccalaureatum in Medicina*," et post "*Ad Baccalaureatum Juris Civilis*," abrogare hæc verba, "——testorque illum &c."

TIT. IX. *De Juramentis Præsentandorum.*

Placuit abrogare, in Tit. IX. SECT. VI. §. 1. Addend. p. 311, hoc verbum——"singulos"——,

et tum, post verba,——"a seniore inter præsentatos"——inserere hæc,——ad incipiendum in aliqua Facultate, vel ad Baccalaureatum in Theologia,

et tum, ibid. p. 312, post verba, "sicut Deus vos adjuvet," &c., addere hæc,

Præsentatos autem ad inferiorem Gradum aliquem ita admonebit, "Tu teneris [*vel*, vos tenemini] ad observandum omnia Statuta,

Privilegia, Consuetudines, et Libertates istius Universitatis, quatenus ad te [*vel* vos] spectent. Item,

Placuit abrogare, ibid. p. 312, hæc verba, "Præstito demum a sin-"gulis juramento,"

Placuit abrogare, in Tit. IX. SECT. VI. §. 2. Addend. p. 253, hoc verbum——"singulis"——,

et tum post verba, "se conferent Præsentati"——inserere hæc, ——ad incipiendum in aliqua Facultate (excepta Musica), vel ad Baccalaureatum in Theologia——.

Placuit abrogare, in Tit. IX. SECT. VII. Addend. p. 254, hæc verba,——"ab omnibus Præsentatis"——.

t. III. *Supplementum ad Stat.* TIT. IX. SECT. V. §. 3. Corp. Stat. p. 92. Addenda p. 140.

Placuit, post Tit. IX. SECT. V. §. 3, Addend. p. 140, addere hæc verba,

Quoniam vero per Clausulam 44 ejusdem Legis Victoriæ Reginæ nemo ad certa quædam officia potest admitti, nisi quibusdam declarationibus subscripserit, et juramenta quædam forma hactenus usitata in admissione ad Gradus B. A., B. C. L., B. Med., et lege sancita susceperit;

Statutum est, ut sicui eorum, qui ad inferiorem Gradum præsentandi sint aut admissi fuerint, libeat iisdem illis Articulis supra dictis subscribere, aut Juramenta Primatus Regii, aut Fidelitatis, suscipere, hæc omnia vel quodlibet horum facere ei liceat eodem modo quo Inceptores; atque illico nomen suum inscribat in Registro quodam proprio, quod hunc in finem Registrarius Universitatis curabit conservandum, et in Domo Congregationis exhibendum, quoties agatur de admittendis ad Gradum: quarum Subscriptionum aut Juramentorum testimonium ei, si id requirat, a Registrario perhibebitur.

IV. *Supplementum ad Stat.* TITT. I. IV. XV. XVI. XVII. *et Statuta Aularia.* Corp. Stat. pp. 3. 20. 144. 153. 159, 160. Addenda pp. 2. (1837) 8. 9. (1839) 6. (1838) 297. 372. 373.

Præterea, cum per Statuta Universitatis multa antehac provisa fuerint de Hæreticis et Schismaticis, et de rebus quæ ad Religionis doctrinam et cultum spectant, scilicet hæc quæ sequuntur,

"TIT. XVII. SECT. III. §. 2. Corp. Stat. pp. 159, 160.

"§. 2. *De Auctoritate et Officio Vice-Cancellarii.*

"..... Et ut Hæreticos, Schismaticos, et quoscunque alios minus

" recte de fide Catholica, et Doctrina vel Disciplina Ecclesiæ Angli-
" canæ, sentientes, procul a finibus Universitatis amandandos curet.

" Quem in finem, quo quisque modo erga Doctrinam vel Disci-
" plinam Ecclesiæ Anglicanæ affectus sit, Subscriptionis criterio ex-
" plorandi ipsi jus ac potestas esto. Quod si quis——Articulis
" Fidei et Religionis, a Synodo Londini A. D. 1562. editis et con-
" firmatis; nec non tribus Articulis comprehensis Canone xxxvi°.
" Libri Constitutionum ac Canonum Ecclesiasticorum, editi in
" Synodo Londini cœpta A D. 1603, subscribere a Vice-Cancel-
" lario, requisitus, ter abnuerit seu recusaverit; ipso facto ab Uni-
" versitate exterminetur et banniatur.——

" Quod si quis de Schismate suspectus, Vice-Cancellarii judicio,
" assidentibus ipsi Præfectis in Ordinario ipsorum Conventu, reus
" hujus criminis compertus fuerit; pro prima vice, mulcta pro arbi-
" trio Vice-Cancellarii ipsi irroganda erit. Sin obstinate in errore
" perseveraverit, iterumve ad Vice-Cancellarium hoc nomine de-
" latus fuerit; præter mulctam, arbitrio Vice-Cancellarii irrogan-
" dam, erroris sui veniam, flexis genibus, suppliciter petet, eique
" palam in Domo Convocationis renuntiabit. Quod si recusaverit,
" aut rursus in eodem genere deliquerit, banniatur.

" Utque tam Conciones quam Libri, quibus male-sanæ opiniones
" propagantur, cohibeantur.

" TIT. XVI. §. 12. Addenda, pp. 352, 353.

" §. 12. *De Officiis Divinis, seu Precibus solennibus juxta Liturgiam*
" *Ecclesiæ Anglicanæ, et Concionibus publicis, frequentandis.*

" Statutum est, quod ad Officia Divina, sive Preces solennes
" juxta Liturgiam Ecclesiæ Anglicanæ, et Conciones publice co-
" ram Universitate habendas, omnes —— Graduati et Scho-
" lares, diligenter accedant, et eisdem debita cum reverentia et
" attentione, quoad peractæ fuerint, a principio usque ad finem
" intersint; nec quisquam, dum ejusmodi Divina Officia et Con-
" ciones coram Universitate habentur, ad aliam Ecclesiam, vel
" Ecclesias, divagetur; sub pœna quod si quis secus fecerit, tribus
" solidis ac quatuor denariis mulctetur.

" Nemo autem unquam, cujuscunque demum Gradus et conditio-
" nis fuerit, vel cuilibet istorum cœtui, qui ab Ecclesiæ Anglicanæ
" Doctrina vel Disciplina dissentiunt, sese quovismodo immisceat;

" vel Concionibus, aut Divinis Officiis quibuscunque, intersit, nisi " quæ palam habeantur in locis ab auctoritate Episcopali (prout in " Ecclesia Anglicana recepta est) ad hos usus destinatis.

" At si quis contra hoc Statutum deliquisse deprehensus fuerit, " mulctetur, prima vice, sex solidis et octo denariis; secunda vice, " tredecim solidis ac quatuor denariis, atque insuper a Vice-Can- " cellario, assidentibus ipsi Procuratoribus et Ædium Præfectis in " conventu suo ordinario, serio admoneatur; tertia autem vice, ab " Academia in perpetuum amoveatur.

" TIT. XV. Sect. XI.

" §. 11. *De Conventiculis illicitis reprimendis.*

" Statutum est, quod nullus cujuscunque Gradus, sive Status, " conventicula illicita intra Universitatis præcinctum instituat, aut " iis quovismodo intersit, aut in domo vel hospitio suo haberi per- " mittat. Qualia censenda sunt, in quibus, contra Pacem publi- " cam, Doctrinam vel Disciplinam Ecclesiæ, vel regimen et tran- " quillitatem Universitatis, quicquam deliberatum vel gestum fu- " erit: vel in quibus homines (secus quam Statutis Regni, Cano- " nibus Ecclesiæ, vel Ordinationibus Universitatis permittitur) vel " palam, vel occulte conveniunt.

" 2. Insuper, ne quis confœderationes sive conspirationes ineat " .... sub pœna bannitionis ab Universitate, vel in tempus aliquod " vel in perpetuum. Eidem pœnæ obnoxius esto, quicunque hujus- " modi conventicula ineuntes (sibi notos aut probabiliter suspectos) " celabit; aut cum requisitus fuerit, eorum nomina prodere re- " cusabit.

" STATUTA AULARIA.

" Sect. II. Addenda, p. 297.

" *De Divinis Officiis ab Aularibus observandis.*

" Statutum est, quod singulis diebus in qualibet Aula Preces e " Libro Precum Communium sive Liturgia Anglicana habeantur, " et ab Aularibus in sacris ordinibus constitutis, vel, in illorum de- " fectu, per aliquem sacris ordinibus initiatum communi Aularium " sumptu conducendum, peragantur. Et precibus prædictis singuli " Aulares interesse teneantur; et dum peraguntur, reverenter se " gerant; sub pœna, pro qualitate delicti, arbitrio Principalis irro-

"ganda. Porro quod singuli Aulares ætate provectiores (scilicet "qui decimum quintum Annum compleverunt) ter in Anno ad "Cœnæ Dominicæ Communionem accedere teneantur, si in Uni- "versitate præsentes fuerint.

"Ibid. Sect. III. §. 21. p. 300.

"*De Conversatione Honesta et Moribus Aularium.*

"§. 21. Quod, si quis Hæresin, vel pravum aliquod Dogma, "contra Doctrinam vel Disciplinam Ecclesiæ Anglicanæ, defen- "derit; vel conventiculis illicitis interesse præsumpserit; ab Aula "expellatur.

"Ibid. Sect. IV.

"*De Principalibus Aularum eorumque substitutis.*

"§. 4. Quod quilibet Principalis cogat omnes suæ Domus Scho- "lares publicis Precibus interesse;——necnon Conciones coram "Universitate habendas frequentare.

"TIT. I. Sect. II. Corp. Stat. p. 2.

"Sect. 2. *De Precibus Solennibus ac Concionibus Latinis initio "cujusque Termini habendis.*

"6. Demum post peractas Preces, finita etiam Concione, ad sa- "cram Synaxin decenter et reverenter celebrandam se accingant. "Cui melioris notæ Academicos frequentes adesse, præter con- "scientiæ dictamen, publici exempli interest; sicut et singulos "ceremoniis et Canonibus Ecclesiæ conformes se præstare interest "Disciplinæ Ecclesiasticæ, contra quam ne quid peccetur sedulo "curabit Vice-Cancellarius.

"TIT. IV. Sect. II. §. 3.

"§. 3. *Ne quis Lectorum quicquam, cum fide Catholica vel bonis "moribus pugnans, doceat.*

"Item Statutum est, quod——si quis eorum, Scholares sive Au- "ditores suos aliquid minus sane et sincere de Fide sentire, cogno- "verit aut suspicetur, eos admoneat, atque ab erroribus ad verita- "tem revocare studeat. Quod si quis obstinate in aliquo errore "perseveraverit, id Vice-Cancellario denunciare teneatur."

Placuit igitur, ut ab horum Statutorum modo recitatorum vi et

effectu, quod ad doctrinam vel disciplinam Ecclesiæ Anglicanæ attinet, eximantur illi Scholares et Baccalaurei in Artibus vel in Jure Civili vel in Medicina vel in Musica, qui extra Ecclesiam Anglicanam sint; neque in illos de hujusmodi rebus inquirere aut lege agere liceat Vice-Cancellario, neque alii cuivis in Universitate Officiario.

SECT. V. TIT. III. SECT. 2. *Quales Tutores Scholaribus præficiendi sunt.* Corp. Stat. p. 10. Addenda (1837) p. 7.

Placuit inserere, in Tit. III. SECT. II. §. 2. p. 7, post "Religione," hæc verba, secundum doctrinam et ritum Ecclesiæ Anglicanæ——.

Placuit inserere, ibid., post "præstabit," hæc verba, exceptis dumtaxat, si qui extra Ecclesiam Anglicanam sunt; quos in Ecclesiæ doctrina vel disciplina instituere non tenebitur.

SECT. VI. *Supplementum ad Stat.* TIT. IX. SECT. II. Corp. Stat. p. 71. Addenda pp. 382—412. 445—475. 478. 479.

De illis qui excusantur ab Examinatione in materie Theologica.

Statutum est ut siquis eorum qui extra Ecclesiam Anglicanam sunt, Candidatus in Prima Examinatione Publica de SS. Evangeliis, vel in Secunda de Rudimentis Religionis, prout Statuta requirunt examinari nolit, tum in manus Procuratoris qui nomina Examinandorum componit, tabellam a Præfecto Domus suæ deferat una cum schedula librorum suorum hac forma scriptam,

[Die mensis et anni]

Ego A. B., Præfectus Coll. vel Aulæ C. D. vel Aulæ Privatæ, testor M. N., quum extra Ecclesiam Anglicanam sit, petere ut ab Examinatione in rebus Theologicis excusetur.

A. B.

Quo Testimonio a Procuratore in manus Examinatoris senioris tradito excusabitur Candidatus ab ea parte utriusvis Examinationis, in qua de Materie Theologica tractatur.

Ne autem hac permissione detur occasio socordiæ, omnes qui ita excusantur teneantur aliam quandam Examinationis materiem addere iis rebus, in quibus se examinandos profiteantur in schedula librorum suorum: nimirum, in Prima Examinatione unum aliquem Librum Græci auctoris; in Secunda autem Libros aliquos Græcos et Latinos, aut saltem unum Græcum et unum Latinum, quos cognovisse ejusdem fere laboris impendio constet quo materies illa Theologica quæ per Statuta in utravis examinatione requiritur.

In quibus Libris, hoc modo substitutis, finem habeat examinatio priusquam ad cætera viva voce inquirenda procedatur.

Horum tamen Librorum cognitio nihili pendatur in distribuendis Honoribus.

Qui de SS. Evangeliis in Prima Examinatione, et de Rudimentis Religionis in Secunda, examinati fuerint testimonia accipiant sub his formis:

In Prima Examinatione,

A. B. [die mensis et anni] *prout Statuta requirunt examinatus in Literis Humanioribus et in SS. Evangeliis satisfecit nobis Moderatoribus.*

Ita testamur &c.

In Secunda Examinatione in Schola Literarum Humaniorum,

A.B. [die mensis et anni] *prout Statuta requirunt examinatus in Literis Humanioribus et in Rudimentis Religionis satisfecit nobis Examinatoribus.*

Ita testamur &c.

Qui autem de Materie Theologica examinati non fuerint, de ceteris vero rebus in Examinatione Prima vel Secunda satisfecerint Examinatoribus, Testimonia accipiant sub his formis:

In Prima Examinatione,

A. B. [die mensis et anni] *prout Statuta requirunt examinatus in Literis Humanioribus satisfecit nobis Moderatoribus.*

Ita testamur &c.——*Moderatores.*

In Secunda Examinatione in Schola Literarum Humaniorum,

A. B. [die mensis et anni] *prout Statuta requirunt examinatus in Literis Humanioribus satisfecit nobis Examinatoribus.*

Ita testamur &c.——*Examinatores Publici in Litteris Humanioribus.*

De Statutis his rogandis, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo septimo mensis Februarii, Promulgata sunt eadem Statuta in Domo Congregationis die tertio mensis Martii, et in eadem Domo die decimo tertio ejusdem mensis Martii probata; tandem in Convocatione publicata et confirmata die vicesimo quarto mensis Aprilis Anno Domini M.DCCC.LV.

TITULUS VI.

SECTIO I.

DE TEMPORE ET EXERCITIIS REQUISITIS AD GRADUM BACCALAUREI IN ARTIBUS.

§. 1. *Quot anni, in Studio Artium, et in lectionibus audiendis, ponendi, requirantur ad Gradum Bacculaurei in Artibus.*

Scholaribus in facultate Artium licebit Termino a Matriculatione decimo sexto, ex quo autem intra Academiam degere inceperint duodecimo, Gradum Baccalaureatus ambire, modo tres annos integros, sive duodecim Terminos, intra Academiam (hoc est, minime in domo privata cujuspiam hospitantes seu victitantes, sed in Collegio vel Aula quapiam absque dolo malo degentes) in studio Artium et in Lectionibus audiendis posuerint. Baronibus vero et eorum filiis, Baronissarum etiam filiis ea nobilitate jure proprio gaudentium, et filiis natu maximis filiorum natu maximorum Baronum vel Baronissarum, Baronettis etiam, et illorum filiis natu maximis, et filiis natu maximis Equitum Auratorum indulget Academia (modo ne Collegii alicujus Socii, aut Scholares, sive Alumni fuerint, ea etiam conditione, ut sub hujusmodi titulo in Matriculam Universitatis relati fuerint), ut Termino a Matriculatione duodecimo, ex quo autem intra Academiam degere inceperint octavo, Gradum Baccalaurei in Artibus ambire possint, modo duos annos integros sub conditionibus supra dictis in studio Artium posuerint, et exercitia præstiterint ad eum Gradum requisita.

Corp. Stat. p. 24. Addend. pp. 60. 174. 277.

* * * * *

Placuit abrogare in Tit. VI. Sect. I. Addend. p. 180.

§. 6. (*De Lectionibus Baccalaureorum Determinantium, &c.*)

SECTIO II.

Corp. Stat. p. 29. Addend. p. 181.

DE TEMPORE ET EXERCITIIS REQUISITIS AD GRADUM MAGISTRI IN ARTIBUS.

§. 1. *Quot anni, in bonarum literarum studio ponendi, requirantur ad Gradum Magistri in Artibus.*

Baccalaureis in Artibus licebit Termino a Matriculatione vicesimo septimo (iis vero quibus indulget Academia vicesimo tertio) gratiam suam petere ad incipiendum in eadem facultate; modo per omne id tempus Collegio vel Aulæ cuipiam ascripti fuerint, et in uno saltem Termino post admissionem ad Gradum Baccalaurei per tres Septimanas in Universitate commorati fuerint.—Quodsi alicujus nomen per aliquod tempus a Regestis Collegii vel Aulæ abfuerit, id tempus pro nihilo habebitur, nec licebit ei Gradum ambire donec per omnes terminos requisitos Collegio vel Aulæ fuerit ascriptus.

* * * * *

Addend. pp. 181. sqq.

Placuit abrogare in Tit. VI. Sect. II.

§§. 2. 3. 4. 5. 6. 7. (*De Determinatione Quadragesimali, &c.*) et in eorum locum hunc Paragraphum subrogare:

§. 2. *De Tempore intra quod habendi sunt Baccalaurei Determinatores.*

Statutum est ut Baccalaurei in facultate Artium, qui ad Gradum ante Festum Ovorum admissi fuerint, in proxima Quadragesima, sine ulla Formula aut Exercitiis, determinavisse reputentur.

SECTIO IV.

DE TEMPORE ET EXERCITIIS REQUISITIS AD GRADUS IN JURE CIVILI CAPESSENDOS.

§. 1. *Quot anni in Studio Juris Civilis ponendi requirantur ad Gradum Baccalaurei in Jure Civili.*

Corp. Stat. p. 40. Addend. pp. 112, 309, 413.

Statutum est, ut qui ad Baccalaureatum in Jure Civili promoveri cupit, priusquam eum gradum consequatur, si sit Magister in Artibus, per tres annos integros (a die admissionis suæ ad regendum numerandos), sive intra Academiam sive alibi, Juris Civilis Studio operam dedisse teneatur.

2 Si quis vero non sit Magister in Artibus, ei licebit Termino a Matriculatione vicesimo septimo Gradum Baccalaureatus ambire, modo per tres annos integros, sive duodecim Terminos, in Collegio vel Aula quapiam victum et cubile sumpserit, publicam Examinationem pro Gradu A. B., necnon Examinationem pro Gradu J. C. B. subierit, et cætera omnia compleverit quæ per Statuta requiruntur. Si vero per Statuta Collegii sui citius ad Juris studium se convertere teneatur, licebit ei, sub conditionibus supra dictis, Termino vicesimo tertio Gradum ambire.

* * * * *

§. 5. *Quot anni in Studio Juris Civilis ponendi ad incipiendum in Jure Civili requirantur.*

Statutum est, ut qui ad Doctoratum in Jure Civili promoveri cupit, Addend. p 416. si postquam in Artibus inceperit Gradum Baccalaurei in Jure Civili susceperit, quatuor annos integros, (numerandos a die admissionis suæ ad Gradum prædictum,) studio Juris Civilis incumbat, sive intra Academiam sive alibi, priusquam ad Incipiendum in eadem Facultate admittatur.

2 Alioqui si Baccalaureus in Jure Civili fuerit antequam incipiat in Artibus, (sive Statutis privati Collegii sic exigentibus, sive sua ipsius optione factum fuerit,) quinque annos integros in studio Juris Civilis ponere teneatur, sive intra Academiam sive alibi, priusquam incipere permittatur.

3 Qui vero in Curiis Ecclesiasticis et Maritimis Regni se exercere statuerit, illi conceditur, (modo in Gratia proponenda causa exponatur, et Declaratio per supplicantem ante admissionem ad Gradum coram Seniore Procuratore facta fuerit,) si Baccalaureus in Jure Civili fuerit, ut post quatuor annos integros in studio Juris Civilis positos, sive intra Academiam sive alibi, ad Incipiendum in eadem Facultate admittatur.

Formula Declarationis hæc esto:

"Tu declarabis, te hunc Gradum Doctoris ambire eo animo, ut in "numerum et Collegium Advocatorum Londinensium in Curiis Eccle- "siasticis et Maritimis hujusce Regni se exercentium, bona fide ad- "mittaris; et admissus in iisdem Curiis te realiter exerceas." *Resp.* "Eo animo hunc gradum ambio."

* * * * *

SECTIO V.

DE TEMPORE ET EXERCITIIS REQUISITIS AD GRADUS IN MEDICINA CAPESSENDOS.

Corp. Stat. p. 42. Addend. p. 284. 294.

§. 1. *Quot anni, in studio Medicinæ ponendi, requirantur ad Gradum Baccalaurei in Medicina.*

Statutum est, ut unusquisque antequam Baccalaureatum in Medicina consequatur, tres annos integros sive 12 Terminos eodem modo quo Scholares in Facultate Artium, in Academia absque dolo malo degat, examen publicum inter eosdem subeat, et post examen illud, sive intra Academiam sive alibi, Medicinæ studio per triennium integrum (scil. 12 Terminos) operam dedisse teneatur.

Porro Studiosis in Medicina liceat Habitu Academico uti, qualem Academia Studiosis in Jure Civili indulget.

* * * * *

Addend. p. 287.

§. 5. *Quot anni, in studio Medicinæ ponendi, ad incipiendum in Medicina requirantur.*

Statutum est, ut qui ad Doctoratum in Medicina promoveri cupit, post Gradum Baccalaurei in Medicina susceptum, per tres annos integros studio Medicinæ incumbat, sive intra Academiam sive alibi, priusquam ad incipiendum in eadem Facultate admittatur.

* * * * *

SECTIO VI.

DE TEMPORE ET EXERCITIIS REQUISITIS AD GRADUS IN THEOLOGIA CAPESSENDOS.

Corp. Stat. p. 44.

§. 1. *Quot anni, in studio Sacræ Theologiæ ponendi, requirantur ad Gradum Baccalaurei in S. Theologia.*

Statutum est, ut unusquisque, antequam Baccalaureatum in S. Theologia consequatur, Gradum Magistri in Artibus suscipiat, et postquam in illa Facultate inceperit, per septennium completum, (numerando a die suæ admissionis ad Regendum,) sive intra Academiam sive alibi, S. Theologiæ operam dedisse teneatur.

* * * * *

§. 3. *Quot anni, in studio S. Theologiæ ponendi, ad incipiendum in Theologia requirantur.* Corp. Stat. p. 45.

Statutum est, ut qui ad Doctoratum in S. Theologia aspirat, post susceptum Baccalaurei in Theologia Gradum, per quatuor Annos integros, sive intra Academiam sive alibi, S. Theologiæ studio incumbat, priusquam ad incipiendum in eadem Facultate admittatur.

* * * * *

Placuit abrogare, in Tit. VI. Sect. VI. §. 2., et ubicunque in Statutis occurrunt, hæc verba : Addend. p. 183, &c.

"ac insuper muris Collegii Omnium Animarum, et Oriel, qua Australis et Occidentalis parietes, Plateam versus, in angulos coeunt."

SECTIO VII.

QUOMODO ET UNDE COMPUTANDUM SIT TEMPUS SINGULIS GRADIBUS CAPESSENDIS PRÆSTITUTUM. Corp. Stat. p. 46. Addend. p. 168.

Quoniam Tempus singulis Gradibus capessendis præstitutum, alias Annorum, alias Terminorum numero, in his ipsis Statutis exprimitur (ne qua inde cavillandi ansa subministretur) præsenti Statuto cautum est, ut ubicunque tempus Gradui cuivis præstitutum per Annos computatur, eadem temporis Mensura in Terminos resoluta (singulis Annis quatuor Terminos deputando) præstituta esse intelligatur. Utpote, ubi tres Anni requiruntur, duodecim Termini; ubi quatuor, sedecim Termini intelligendi sunt; et sic in cæteris.

Insuper in iis Gradibus, qui a non Graduatis primo suscipiuntur, Tempus hujusmodi Gradui præstitutum a tempore Matriculationis computandum est: quod si quis Vacationis tempore matriculetur, a Termino Matriculationem suam sequente Terminos ad Gradum requisitos computabit.

In iis vero Gradibus, qui a Baccalaureis cujuslibet Facultatis capessuntur, a tempore præsentationis ad Gradum Baccalaurei in eadem Facultate:

In iis tandem Gradibus, qui Gradum Magistralem præsupponunt, a tempore admissionis ad Regendum, computandum erit tempus.

Denique quoniam haud pauci singulis Terminis, unum aut alterum

Diem in Universitate commorantes, Officio suo et Statutis satisfecisse, et vel sic Terminos ad Gradum requisitos complevisse, se putant; Statutum est quod Nemo, qui nondum Gradum aliquem adeptus fuerit, sive Collegii alicujus, sive Aulæ, fuerit Scholaris, Terminos ad Gradum suum requisitos complevisse reputandus sit, nisi qui singulis Terminis Michaelis et Hilarii per sex Septimanas, singulis autem Terminis Paschatis et Trinitatis per tres Septimanas, in Universitate commoratus fuerit.

* * * * *

Addend. p.169. Placuit abrogare hæc verba,

" Excepto semper Termino, in quo quis Gradum suscepturus est; " cujus primus Dies juxta receptam antiquitus consuetudinem habetur " pro Termino completo. Excepto etiam Termino, in quo quis pri- " mum ad Academiam accedens matriculatur, cujus ultimus dies pro " integro Termino reputatur.

" Proviso semper, quod Baccalaurei Facultatis Artium Terminos ad " Gradum Magistralem requisitos complevisse reputandi sint, si Ter- " minis singulis, Michaelis, Hilarii, Paschatis, et Trinitatis, per tres " Septimanas in Universitate commorati fuerint: eadem etiam Lex " esto Studiosis in Jure Civili postquam duodecim Terminis, præter " Terminum Matriculationis suæ, per Septimanas supra requisitas, in " Universitate commorati fuerint, et (si examinari debuerint) Examen " Publicum pro Gradu subierint."

TITULUS IX

SECTIO II.

§. 5. *De Examinatione publica secunda.* Addend. p. 459.

Quod autem ad Secundam Examinationem attinet eorum qui primum Gradum ambiunt, quatuor sunt Scholæ; quarum Prima, Schola Literarum Humaniorum appelletur, Secunda, Schola Scientiarum Mathematicarum et Physicarum, Tertia, Schola Scientiæ Naturalis, et Quarta, Schola Jurisprudentiæ et Historiæ Modernæ.

2 Statuimus ut nemo pro primo gradu supplicet, nisi in Schola Literarum Humaniorum, et deinde in una qualibet ex cæteris Scholis, in eodem vel in sequenti aliquo Termino, examen subierit; et in utraque Schola Examinatoribus publicis satisfecerit. Statuimus etiam ut nemo Gratiam cujusquam qui examen subire debuerit, unquam proponat, nisi prius Testimonium Examinatorum Publicorum in Literis Humanioribus de Candidato suo, et deinde Testimonium Examinatorum Publicorum in quavis alia Schola, palam in Domo Congregationis exhibuerit.

* * * * *

SECTIO III.

DE GRATIIS PETENDIS.

§. 1. *Conditiones Præviæ ad petitionem gratiæ ex parte supplicis.* Corp. Stat. p. 76. Addend. pp. 126. 241. 280. 295. 417.

Statutum est primo, ne cujusquam gratia in venerabili Domo Congregationis proponatur, nisi qui, eo ipso tempore, in matricula Universitatis nomen inscriptum habeat; et, a tempore matriculationis suæ, annos, ad primum quem ambit Gradum, requisitos compleverit; quique alicujus Collegii vel Aulæ alumnus censeatur.

Deinde requiritur, ut quilibet candidatus, sive pro Gradu aliquo supplicans, non solum sit probis moribus, et omnia ad Gradum requisita recte compleverit; verum etiam (si Gradum in Artibus capessat, vel in Jurisprudentia, Secundum Statuta quorundam Collegiorum, antequam in Artibus inceperit) ut secundum Statuta debitum examen subierit, et ab examinatoribus testimonium reportaverit, a Magistro gratiam ipsius proponente, ante gratiæ petitionem, vel a Magistro præ-

sentante, (si candidatus pro gratia non supplicet,) ante præsentationem palam in Domo Congregationis exhibendum.

Quodque inter supplicandum, suis duntaxat viribus et meritis nitatur; nec prece, nec pretio, nec muneribus aut promissis, pacto aut conditione, gratiam aut favorem cujusquam captet; nec Magnatum literis, ut quicquam sibi pro forma requisitum condonetur aut indulgeatur, satagat, cujusmodi ambitus si convictus fuerit, eo ipso inhabilis ad omnem ulteriorem Gradum Scholasticum habeatur.

Addend. p. 242. §. 2. *Conditiones proponendi gratias.*

Statutum est, ut nemo Magistrorum gratiam vel dispensationem quamcunque cujusquam pro Gradu supplicantis proponat, nisi fuerit ejusdem Collegii vel Aulæ, cujus is est qui supplicat; præterquam Procuratorum alter, vel alius, cui Vice-Cancellarius licentiam proponendi concesserit.

Cum vero Collegium unumquodque et Aulam moribus suorum invigilare oporteat, ac præ aliis cavere, ne qui indigni sunt Gradus ambire præsumant; Statutum est, ut nemo, quacunque de causa, Gratiam cujusquam in Domo Congregationis proponat, nisi prius Candidatum suum Gratiam pro Gradu quem ambit a Collegio suo, vel Aula sua, obtinuisse testatus fuerit sub hac forma:

Ego A. B. Decanus, vel Censor, Collegii, vel Aulæ, C. D. (vel Decani, aut Censoris, vicem-gerens) testor E. F. (*vel* si plures fuerint, X. Y. &c.) *Gratiam a Collegio suo, vel Aula sua, pro Gradu G. H. concessam fuisse,* (et, si Gradum Baccalaurei in Artibus ambiat, addat hæc verba, *necnon eundem* (vel *eosdem*) *prout Statuta requirunt Examinatum* (vel *Examinatos*) *Examinatoribus in duabus Scholis satisfecisse*) *fide mea data huic Universitati.*

Statutum est insuper, ut nemo Gratiam cujusquam qui Examen subire debuerit unquam proponat, nisi prius Testimonium Examinatorum de Candidato suo palam in Domo Congregationis exhibuerit. Neque Gratiam quamlibet cuiquam licebit proponere, nisi prius Decanus, vel Censor, Collegii sui, vel Aulæ, (*vel Decani, aut Censoris, vicem-gerens,*) Schedulam Chirographo suo munitam Vice-Cancellario exhibuerit, in qua certiorem eum fecerit de reditibus annuis Candidati sui.

Ad hanc autem comparandam tenetur Candidatus quisque, Decano

vel Censori suo, (*vel Decani aut Censoris vicem-gerenti,*) interroganti, utrum habeat beneficium vel beneficia Ecclesiastica ad valorem quadraginta librarum, aut alios reditus Ecclesiasticos, vel Civiles, sive in terris, sive in pecuniis, ad valorem trecentarum librarum, per annum, (exceptis proventibus Academicis,) fide sua data huic Universitati, respondere, "Habeo," vel "Non habeo." Quod si respondeat se non habere, interrogabitur iterum, "an habeat reditus Ecclesiasticos ad "valorem quinque solidorum, aut Civiles ad valorem quinque librarum, "per annum?" cui respondebit, ut prius; et si fateatur se habere, solvet pro vino tantum. Hæ autem summæ quoad beneficia Ecclesiastica, non attenduntur penes verum et proprium rei æstimatæ valorem, sed penes primitias et censum Regium, inde in fisco Regis Henrici Octavi taxatas.

Formula vero Schedularum Vice-Cancellario exhibendarum esto.

Ego, A. B. Decanus, vel Censor, Collegii, vel Aulæ, C. D. (vel Decani, aut Censoris, vicem-gerens,)

Testor *E. F.*
G. H.
I. K.

fide sua data huic Universitati declarasse, se non habere reditus Ecclesiasticos ad valorem quinque solidorum, aut Civiles ad valorem quinque librarum, per annum, exceptis proventibus Academicis.

A. B. Decanus, vel Censor,
Coll. vel Aulæ C. D.

Testorque *L.M.*
N.O.

fide sua data huic Universitati declarasse, se non habere beneficium vel beneficia Ecclesiastica ad valorem quadraginta librarum, aut alios reditus Ecclesiasticos, vel Civiles, sive in terris, sive in pecuniis, ad valorem trecentarum librarum, per annum; exceptis proventibus Academicis.

A. B. Decanus, vel Censor, Coll. vel Aul. C. D.

Quod si sacris ordinibus initiatus non commorans fuerit, qui Gradum in aliqua e superioribus Facultatibus ambit, nemo gratiam hujusmodi, sub pœna perjurii, proponere præsumat, nisi prius literas testimoniales ab Episcopo Diœceseos, ubi degit candidatus, signatas, de conformitate ipsius tum quoad doctrinam, tum quoad disciplinam in Ecclesia Anglicana receptam, palam in Domo Congregationis recitaverit. Ac

postmodo e schedula quadam, formam sive tenorem gratiæ continente, supplicantis nomen, necnon Collegii sive Aulæ, unde fuerit, exprimet. Et si non graduatus fuerit, cujus gratia proponitur, quod per integrum tempus ad talem Gradum per Statuta requisitum, in eo Collegio vel Aula, (vel alio quopiam,) non in domo privata cujusquam victitaverit, et hospitatus fuerit.

Item, ut Decano, vel Censori, liceat, si plures e Collegio suo eundem gradum ambiant, eorum gratias simul proponere; ita tamen ut cujusque nomen et prænomen distincte ac divisim recitentur.

Item, ut eadem gratia sæpius in eadem Congregatione non proponatur.

Item, ut gratia sit vera, hoc est, vera intentione, et non animo deludendi, prolata vel petita. Et quod, proximis quibusque et immediate sequentibus Congregationibus, supplicationem sub eadem forma continuet, donec gratia concessa vel denegata penitus fuerit. Et postremo, quod in singulis Congregationibus quota vice, prima, secunda, tertia, quartave supplicetur, publice recenseat.

Addend. p.245.

§. 3. *Formula generalis petendi gratias.*

Consuetudo etiam est, ut Magister, pro alicujus gratia vel dispensatione supplicans, in medium prodeat: et facta debita coram Cancellario et Procuratoribus reverentia, petitionem suam e schedula recitet; inque eodem loco stans permaneat, quoad, quid de petitione sua factum fuerit, intelligat: recitata autem sive proposita supplicatione, Procuratores, a sellis exsurgentes, primo Cancellarii votum conjunctim perscrutentur, quo secreto in eorum aures, vel per aliquod signum externum, deposito, mox a se invicem divisi, ad alios Doctores (si qui adfuerint) utrinque Cancellario assidentes, se conferant, eorum itidem suffragia excepturi. Et deinceps aliorum Magistrorum, ad utramque domus partem considentium, vota singulatim et accurate exquirent. Quibus peractis, Procuratores ad loca sua revertantur, ubi stantes, de scrutinio hujusmodi inter se diligenter conferant; et pro numero sive ratione suffragiorum, in verbo *placet*, vel *non placet*, per eosdem exceptorum, eandem gratiam sive dispensationem, Procuratorum alter concessam (si concessa fuerit) pronunciet, vel (non concessam) ante quartam vicem, silentio tantum indicet; quarta autem vice, si non concessa fuerit, palam pronuncietur negata. Si vero plures

gratiæ simul proponantur, quarum aliæ concessæ fuerint, aliæ negatæ, eas modo quæ concessæ sint pronuntiet, reliquas, ante quartam vicem, omittat. Magister autem supplicans ad locum suum, unde prius prodierat, se recipiat.

§. 4. *Formulæ speciales Gratiarum ad singulos Gradus pertinentium.* Addend. p. 245, &c.

Pro Baccalaureo in Artibus.

Supplicat Venerabili Congregationi Doctorum et Magistrorum Regentium A. B. Scholaris Facultatis Artium e Collegio C. in quo (*vel, si tempus non in uno aliquo Collegio vel Aula compleverit,* in quo partim, partim in Collegio vel Aula A.) non in domo aliqua privata, per integrum tempus ad Gradum Baccalaurei in Artibus per Statuta requisitum, ipsum cubile et victum continue sumpsisse scio, quatenus Terminum decimum sextum a Matriculatione attigerit; Examen publicum pro Gradu subierit; et reliqua compleverit omnia, quæ per Statuta Universitatis requiruntur; ut hæc sibi sufficiant, quo admittatur ad lectionem earum Artium, quas et quatenus per Statuta tenetur audivisse.

Si plures fuerint ex eodem Collegio præsentandi, Supplicant, &c. A. B. C. D. &c. Scholares &c.... e Collegio F. &c. Unusquisque autem Magister post Seniorem pro Gratia supplicans his verbis utatur: A. B. (C. D. &c.) e Collegio F. quem (*vel* quos) omnia quæ per Statuta requiruntur complevisse scio, supplicat (*vel* supplicant) sub eadem forma.

Cauto semper, quod si quis pro eodem gradu sub diversa forma supplicet (sive fuerit privilegiatus sive alia quacunque de causa) hujus gratia (si fieri possit) ante aliorum supplicantium gratias recitetur.

Si sit filius Baronis, in superiori Parliamenti Domo suffragii jus habentis; (sive etiam Baron. fil. e gente Scotica vel Hibernica) aut Baronetti, vel Equitis Aurati filius natu maximus, &c. supplicat &c. A. B. filius &c. Scholaris Facultatis Artium &c. e Coll. C. &c. quatenus Terminum duodecimum a Matriculatione attigerit &c. *ut supra.*

Si quis super aliquo dispensabili per Domum Congregationis dispensationem obtinuerit, supplicat &c. *ut supra.* Et reliqua compleverit omnia, quæ per Statuta Universitatis requiruntur, nisi quatenus cum eo dispensatum fuerit, &c.

Pro Gradu Inceptoris in Artibus.

Supplicat &c. A. B. Baccalaureus Facultatis Artium e Collegio F. quatenus Terminum vicesimum septimum a Matriculatione attigerit, bonarum literarum studio incubuerit, et reliqua compleverit omnia quæ per Statuta requiruntur; ut hæc sibi sufficiant, quo admittatur ad incipiendum in eadem Facultate.

Pro Gradu Baccalaurei in Musica.

Supplicat, &c. A. B. Scholaris in Musica, e Collegio L. quatenus 7 annos in studio vel praxi Musices posuerit, et unum Canticum 5 partium in Schola Musices ediderit; et reliqua præstiterit, quæ per Statuta requiruntur (nisi quatenus cum eo dispensatum fuerit) ut hæc sibi sufficiant, quo admittatur ad lectionem cujuslibet libri Boethii.

Pro Gradu Inceptoris in Musica.

Supplicat, &c. A. B. Baccalaureus Musicæ, quatenus a tempore suscepti Gradus Baccalaureatus sui, 5 annos in studio vel praxi Musices posuerit; unum Canticum 6 vel 8 partium in Schola Musices ediderit; et cætera præstiterit omnia, quæ per Statuta requiruntur, (nisi quatenus cum eo dispensatum fuerit) ut hæc sibi sufficiant, quo admittatur ad incipiendum in eadem Facultate.

Pro Gradu Baccalaurei in Medicina.

Supplicat, &c. A. B. Magister [*vel Baccalaureus*] Facultatis Artium, [*vel Baccalaureus in Jure Civili,*] e Coll. [*vel Aula*] M. quatenus 28 Terminos a die matriculationis suæ compleverit; per triennium Medicinæ operam dederit, examen subierit, et reliqua omnia præstiterit, quæ per Statuta requiruntur, (nisi quatenus secum dispensatum fuerit,) ut hæc sibi sufficiant, quo admittatur ad lectionem cujuslibet libri Aphorismorum Hippocratis.

Si non Graduatus fuerit.

Supplicat, &c. A. B. Medicinæ Studiosus e Coll. [*vel Aula*] M. in quo non in domo aliqua privata per 12 Terminos ipsum cubile et victum continuo sumpsisse scio, quatenus exercitia omnia præstiterit, quæ ad Gradum Baccalaurei in Artibus requiruntur; 28 Terminos a die &c. ut supra.

Pro Gradu Inceptoris in Medicina.

Supplicat, &c. A. B. Medicinæ Baccalaureus, e Collegio [*vel* Aula] N. quatenus post susceptum Gradum Baccalaurei in Medicina, tres annos in studio Medicinæ posuerit: dissertationem scripserit et coram Professore recitaverit; et reliqua omnia præstiterit, quæ per Statuta requiruntur, (nisi quatenus &c.) ut hæc sibi sufficiant ad incipiendum in eadem Facultate.

Pro Gradu Baccalaurei Juris Civilis.

Supplicat &c. A. B. Magister Facultatis Artium e Collegio O. quatenus, tres annos a tempore admissionis suæ ad regendum in studio Juris Civilis posuerit; per unum saltem terminum Lecturis Professoris Regii J. C. interfuerit; examen pro Gradu J. C. B. subierit; et reliqua præstiterit omnia quæ per Statuta requiruntur, (nisi quatenus secum dispensatum fuerit); ut hæc sibi sufficiant, quo admittatur ad lectionem cujuslibet libri Institutionum Imperialium.

Si non inceperit in Artibus, nec per Statuta Collegii sui Juris studio deputatus fuerit.

Supplicat &c. A. B. Scholaris in Facultate Juris, e Collegio O. in quo, non in domo aliqua privata, per integrum tempus ad Gradum Baccalaurei in Jure Civili per Statuta requisitum, ipsum cubile et victum continuo sumpsisse scio; (vel, *si tempus non in uno aliquo Collegio vel Aula compleverit,* in quo partim, partim in Collegio vel Aula A.) quatenus, Terminum vicesimum septimum a Matriculatione attigerit; Examinatoribus Publicis satisfecerit; per unum saltem terminum Lecturis Prof. Reg. J. C. interfuerit; examen pro Gradu J. C. B. subierit; et reliqua compleverit omnia quæ per Statuta requiruntur, &c. *ut supra.*

Si non inceperit in Artibus, et per Statuta Collegii sui, statim a primo ad Academiam adventu, Juris studio deputatus fuerit.

Supplicat, &c. A. B. Scholaris in Facultate Juris e Collegio M. &c.; quatenus, quinque annos in studio Juris Civilis posuerit; Examinatoribus Publicis satisfecerit; per unum saltem terminum Lecturis Prof. Reg. J. C. interfuerit; examen pro Gradu J. C. B. subierit, &c. *ut supra.*

Pro Gradu Inceptoris in Jure Civili.

Supplicat, &c. B. C. Baccalaureus in Jure Civili e Collegio M. quatenus, post susceptum Baccalaureatus Gradum, quatuor annos in studio Juris Civilis posuerit; dissertationem scripserit et coram Professore recitaverit; reliquaque præstiterit omnia, quæ per Statuta requiruntur; ut hæc sibi sufficiant, quo admittatur ad incipiendum in eadem Facultate.

Si non inceperit in Artibus, priusquam Baccalaureus in Jure foret.

Supplicat, &c. B. C. Baccalaureus in Jure Civili e Collegio N. quatenus &c. quinque annos in studio Juris Civilis, &c.

Pro Gradu Baccalaurei in S. Theologia.

Supplicat, &c. A. B. Magister Facultatis Artium e Collegio T. quatenus septem annos a tempore admissionis suæ ad regendum in studio S. Theologiæ posuerit; in Schola Theologica pro forma semel responderit, et bis opposuerit; et reliqua præstiterit omnia, quæ per Statuta requiruntur; ut hæc sibi sufficiant, quo admittatur ad lectionem alicujus Epistolarum Divi Pauli.

Pro Gradu Inceptoris in S. Theologia.

Supplicat, &c. A. B. Sacræ Theologiæ Baccalaureus e Collegio E. quatenus, a suscepto Baccalaureatus Gradu in S. Theologia, quatuor annos integros in eadem Facultate posuerit; in Schola Theologica pro forma sex solennes lectiones, vel tres ad minimum cursorias, habuerit; et reliqua præstiterit omnia, quæ per Statuta requiruntur; ut hæc sibi sufficiant, quo admittatur ad incipiendum in eadem Facultate.

Si in aliqua Facultate quis Gradum Baccalaurei et Doctoris cumulare cupit.

Supplicat, &c. A. B. quatenus—annos in studio—posuerit; pro Gradibus cumulandis, secum per venerabilem Domum Convocationis dispensatum fuerit; gratiam ad lectiones pro forma habendas in hac venerabili Domo adeptus sit; pro forma in Schola—legerit; cæteraque omnia compleverit, quæ per Statuta requiruntur; ut hæc sibi sufficiant, quo—&c.

* * * * *

§. 8. *Formula pronunciandi Gratias concessas.* Addend. p.151.

Statutum est, ut, cum alicujus gratia concessa fuerit, schedula, ex qua petebatur, in manus alterius Procuratoris (cui gratiam concessam pronunciare incumbet) ab eo qui petiit tradita, Procurator loco suo stans, gratiam concessam sub hac forma pronunciet: *Hæc gratia concessa est simpliciter, et sic pronunciamus concessam.*

Si sit gratia Inceptoris in qualibet Facultate, *Pronunciamus concessam, modo steterit in proximis Comitiis.*

Si sit gratia Inceptoris in Musica, *Pronunciamus concessam, modo steterit in proximis Comitiis, et unum canticum* 6 *vel* 8 *partium, in iisdem Comitiis exhibuerit.*

Si sit gratia licentiandi ad praxin Chirurgiæ, *Pronunciamus concessam, modo quatuor saltem pauperes gratis et intuitu charitatis curet, cum ad hoc ab iis fuerit requisitus.*

Si plures Gratiæ simul concesse fuerint, Procurator ita pronunciet, "Hæ gratiæ concessæ &c. videlicet A. B. C. D. &c."

SECTIO V.

DE PRÆSENTATIONIBUS GRADUANDORUM.

Placuit abrogare

§. 1. *De Circuitione a Præsentandis obeunda.* Addend. p.138.

Et §. 2. *De Solenni Processu Præsentandorum ad Domum Congregationis.*

* * * * *

§. 4. *Ceremoniæ, sive Ritus Præsentationum.*

Peracta Subscriptione, et Vice-Cancellario, Procuratoribus, et Magistris Regentibus in Domo Congregationis considentibus, Præsentatores cujusque Facultatis (*secundum Dignitatem Facultatis,* ubi sit Præsentatio ad eundem Gradum in diversis Facultatibus, si unus e Præsentandis fuerit Theologus; alioqui, secundum Senioritatem Præsentatoris: ubi vero Præsentatio sit ad diversos Gradus; *secundum Dignitatem Gradus:* et in eadem Facultate et Gradu, *secundum Senioritatem Præsentatorum*) ad præsentandum procedant. Et quisque (Bedello præeunte, et Candidatis sive Præsentandis, prout seniores fuerint, proxime sequentibus) Domum Congregationis conscendet; et cum debita reverentia ad superiorem partem Domus procedens, Præsentandos a dextero latere sistet; deinde omnes e Collegio suo Præsentandos, coram Vice-Cancellario producet; et ea, qua par est, reverentia, sub peculiari Formula, Vice-Cancellario et Procuratoribus præsentabit.

Addend. p.141.

§. 5. *Peculiares Formulæ præsentandi ad singulos Gradus.*
Ad Baccalaureatum in Artibus.

Insignissime Vice-Cancellarie, vosque Egregii Procuratores, præsento vobis hunc meum Scholarem (*vel* hos meos Scholares) in Facultate Artium ut admittatur (*vel* admittantur) ad lectionem earum Artium quas et quatenus per Statuta tenetur (*vel* tenentur) audivisse.

Ad Incipiendum in Artibus.

Insignissime &c. præsento vobis hunc Baccalaureum in Facultate Artium, ut admittatur ad Incipiendum in eadem Facultate; testorque illum &c. &c.

* * * * *

Placuit abrogare Formulam præsentandi ad Determinandum.

* * * * *

Addend. p.143. Placuit post §. 5. addere hæc verba: Licebit autem plures ex eodem Collegio, qui eundem gradum ambiant, sub eadem Formula, mutatis mutandis, præsentare.

SECTIO VII.

Corp. Stat. p.105. Addend. pp.106. 236. 254.

De creatione et licentiatione præsentati per Vice-Cancellarium peragenda.

Præstitis ab omnibus præsentatis coram Seniore Procuratore juramentis, tum, si præsententur ad Gradum Baccalaurei in Artibus, omnibus ad præsentatorem redeuntibus, et juxta ipsum coram Vice-Cancellario consistentibus, Vice-Cancellarius dicet, "Domine, (*vel Domini,* " *si plures fuerint,*) ego admitto te (*vel vos*) ad lectionem earum Artium, " quas et quatenus per Statuta audivisse teneris (*vel tenemini*); insuper " autoritate mea et totius Universitatis, do tibi (*vel vobis*) potestatem " intrandi Scholas, legendi, disputandi, et reliqua omnia faciendi, quæ " ad Gradum Baccalaurei in Artibus spectant."

&c.

* * * * *

De Statutis his rogandis, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die duodecimo mensis Martii, Promulgata sunt eadem Statuta in Domo Congregationis die decimo quinto ejusdem mensis Martii, et in eadem Domo die vicesimo quarto ejusdem mensis Martii probata; tandem in Convocatione publicata et confirmata die vicesimo quarto mensis Aprilis Anno Domini M.DCCC.LV.

DE MINISTRIS ET SERVIENTIBUS UNIVERSITATIS.

SECTIO II.
DE BEDELLIS.

§. 1. *De Bedellorum Electione.*

Placuit Universitati statuere ut si Bedellorum cujusvis, vel Divinitatis quem vocant Clerici, vel Virgiferi Universitatis munus vacaverit, ne procedat Vice-Cancellarius ad electionem in locum vacantem habendam, donec de horum ministrorum numero et officiis statuerit Academia.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo tertio mensis Martii, Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo octavo ejusdem mensis Martii, et in eadem Domo die vicesimo octavo mensis Aprilis probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die duodecimo mensis Maii anno Domini M.DCCC.LV.

STATUTUM DE AULIS PRIVATIS.

Sect. I.—*De Magistris Aularum Privatarum, et de Conditionibus quibus Licentia illis concedenda sit.*

1. Statutum est;—ut Magister Aulæ Privatæ sit Magister Artium, vel alius qui Domum Convocationis jus intrandi habeat; annos saltem xxviii natus; qui in Universitate commoratus fuerit per unum annum intra bienninm vel per duos intra quinqnennium proxime præteritnm antequam Licentiam impetraverit, vel per tres annos intra decennium proxime perinde præteritum operam dederit instruendæ et educandæ juventuti in Universitate; comprobatus scripto Testimonio per Præfectum Domus suæ et per unum aliquem e Concilio Hebdomadali, vel per duos aliquos e Concilio Hebdomadali, se habilem et idoneum esse regendæ Aulæ Privatæ, quod item Testimonium ita scriptum perferat Vice-Cancellario; qui domum incolat remotam non magis quam sesquialtero milliario ab Æde S. Martini in Quadrivio vulgo dicto *Carfax;* quam domum ipse etiam Vice-Cancellarius inspexerit, et bonam atque commodam esse in usus Aulæ Privatæ censuerit; His omnibus Conditionibus ex sententia Vice-Cancellarii completis, Magister accipiat a Vice-Cancellario Licentiam patefaciendi domum suam Scholaribus alendis, quæ proinde sit Aula Privata Magistri qui inibi habitat; siquando autem desinat Magister domnm aliquam bonam et commodam et a Vice-Cancellario probatam possidere atque incolere, Licentia illa continuo terminetur et ipso facto cassa sit.

Quod autem de commorando in Universitate dictum est, id ita intelligatur, ut sit annus quatuor Termini; quorum Terminus S. Hilarii et Terminus S. Michaelis contineat uterque XLII dies, Terminus vero S. Trinitatis et Terminus Paschatis nterque XXI dies, juxta Statuta Universitatis.

2. Magister, cum Licentiam patefaciendi domum suam Scholaribus modo supradicto accipit, se coram Vice-Cancellario data fide obliget, et subscribat Professioni, hunc in modum.

I, A. B., being licensed to open my House for a Private Hall, hereby promise, that,

I will observe the Statutes concerning Private Halls:

I will open my Hall for the inspection, of the Vice-Chancellor or other University Authorities in any matter relating to the Scholars thereof:

I will keep my Hall shut after Nine o'Clock p. m., and not allow any persons ingress or egress after that hour without my knowledge:

I will cause my servants to obey and execute these regulations under my orders.

A. B.

Sect. II.—*De Officio Magistri Aulæ Privatæ.*

1. Magister Aulæ Privatæ Tutoris officio fungatur.

2. Liceat vero Magistro substituere sibi Magistrum Artium, aut alium quemvis qui jus intrandi Domum Convocationis habeat, probatum a Vice-Cancellario, cui Tutoris partes, et, absente se, regimen Aulæ et vicem suam gerendam in rebus et actis Academicis, quantum ad Aulam suam pertineat, committat. Proinde durante Officio suo et Magister et substitutus ejus censeantur et sint actu Regentes ad Placitum.

3. Magister procuret quo Scholares sui possint indies adesse Precibus Publicis habitis in vicina aliqua Ecclesia vel in Sacello Collegii alicujus: sin minus, faciat tamen ut agantur indies intra Aulam suam preces e Libro Precum Communium desumptæ. His autem precibus interesse cogat omnes Scholares suos; nisi si quibus consulto proba de causa abesse permiserit.

4. Magister moribus et pietati Scholarium suorum sedulo invigilet, improbos autem, immodestos, et inertes coerceat atque corrigat. Si contigerit ut in quemquam e suis animadversum sit ab Officiariis Universitatis, his opem præstet, semperque obsecundet quicquid auctoritate Academica ad bene conformandos mores decretum fuerit.

Sect. III.—*De Scholaribus Aularum Privatarum.*

1. In omni Aula Privata servetur Liber vel Catalogus cui inscribantur nomina omnium quicunque inter Scholares admittantur. Finito vero unoquoque Termino Magister mittat Registrario Universitatis Indicem chirographo suo munitum nominum omnium Scholarium, cum numero dierum quos quisque in Aula vel in Universitate eo Termino commoratus sit, hac forma,

Ex Aula Privata A. B. [Termino et anno.]

C. Commoratus est in Aula dies D
E. . . . . . dies F
G. . . in Universitate dies H.
&c.
Testor. A. B. Magister.

quæ Registrarius Regestis suis ingerat, ipsum autem Indicem scriniis suis servandum mandet, dummodo a Magistro Aulæ Privatæ accipiat sex denarios pro unoquoque nomine a se inscripto.

2. Scholaris ne exeat Aula Privata post horam nonam vesperi, nisi cum veniam exeundi diserte a Magistro impetraverit. Quicunque prius egressus, serius hora nona redierit, deferatur Magistro; qui nomen ejus et tempus regressus describat in tabula quadam inspicienda subinde a Vice-Cancellario vel Procuratoribus, si velint.

3. Collecta, Feoda, et omnes alias pecunias quæ a Scholaribus Aulæ Privatæ debeantur Universitati solvenda præstet Magister.

Sect. IV.—*De Suspensione vel Revocatione Licentiæ.*

Magistrum vel Substitutum ejus delinquentem contra Statuta liceat Vice-Cancellario admonere, increpare, vel, si opus sit, munere privare, revocando ad tempus vel in perpetuum Licentiam quam prius concesserat. Si vero res adeo gravis sit ut ad revocandam Licentiam spectare videatur, tum Vice-Cancellarius advocet ad se Assessorem Curiæ Cancellarii et tres viros, ad Gradum Magistri Artium ante saltem annos quinque admissos, vel Graduatos superioris Gradus, quos ad hoc munus fungendum quotannis designaverit Concilium Hebdomadale, Domus autem Convocationis approbaverit, et cum consilio horum quatuor virorum, adhibito insuper Registrario Curiæ aut ejus deputato, qui crimen, probationes, et sententiam in acta redigat[a], rem audiat et judicet; neminem tamen a gubernanda Aula movendum esse decernat nisi consentientibus et probantibus duobus e quatuor suis consiliariis modo dictis. Denique convicto Magistro Appellandi potestate omnino interdictum sit[b].

Sect. V.—*De Statu Scholarium post suspensam vel revocatam Licentiam, et post Decessum Magistri.*

1. Si Licentia revocata fuerit, vel si Magister ab Aulæ regimine quovismodo abscesserit, vel vita decesserit, nec derelictis in Aula Scholaribus atque eorum statui Academico satis bene consuluerit, liceat Vice-Cancellario nominare et in loco Magistri ad tempus instituere Graduatum aliquem idoneum, cui data Licentia committatur cura et tutela eorum Scholarium, donec aut in aliam Aulam Privatam vel Aulam vel Collegium recepti sint, aut Terminum a tempore Admissionis vicesimum septimum compleverint. Liceat quoque Vice-Cancellario hanc Licentiam quandocunque visum sit justa de causa revocare.

2. Si Magister vita decesserit vel munere suo privatus sit, vel aliter habilis non sit ad testandum de voluntate sua et de moribus Scholarium suorum qui ad

[a] Corp. Stat. Tit. xxi. §. 10. p. 196.

[b] Ibid. §. 16. p. 199.

aliam Aulam Privatam vel Aulam vel Collegium transire velint, eo modo quo Statuta poscunt, liceat Vice-Cancellario migrationem Scholarium consensu suo sancire. Alioqui Scholares Aularum Privatarum iisdem Statutis teneantur quibus ceteri Academici tenentur de migrando ab uno Collegio vel Aula ad aliud.

Sect. VI.—*De mutandis Aulis Privatis in Publicas.*

Aula Privata fiat Aula Universitatis his conditionibus; scilicet, si situs et ædificia ad eam pertinentia approbata sint; si hæc mancipentur in perpetuam Fiduciam Universitati; si Magister eo modo et ab iis personis quibus convenit eligendus et nominandus sit; si ita decreverit Convocatio.

Sect. VII.—*De Statutis in quibus Aulæ nominantur.*

Scholares Aularum Privatarum, secundum formam hujus Statuti modo præscripto constitutarum, comprehendi reputentur et intelligantur in nomine Scholarium, ubicunque in Statutis Universitatis mentio facta sit vel fiat de Collegiis et Aulis generatim: neque necesse sit ut nomen Aulæ Privatæ ideo subdatur vel inseratur singulis illis Statutorum locis, quo Scholares Aularum Privatarum ab iisdem Statutis obligentur et iisdem Privilegiis fruantur quibus universi Academici.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo septimo mensis Aprilis. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die tertio mensis Maii, et in eadem Domo die duodecimo ejusdem mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die undevicesimo ejusdem mensis Maii Anno Domini MDCCCLV.

TITULUS X.

DE MAGNA CONGREGATIONE.

SECTIO II.

De negotiis in Domo Convocationis tractandis.

§. 2. *De Statutis et Decretis in Domo Convocationis condendis et interpretandis.*

Placuit Universitati hæc verba abrogare Corp. Stat. p. 119.

" nec ante diem trigesimum, immediate sequentem publicationem sive " recitationem eorundem in Domo Convocationis, Vim aut Auctorita- " tem Decretorum sive Statutorum sortiantur."

et in eorum locum subrogare hæc

et vim suam, eo die quo in Domo Convocationis approbata fuerint, nisi aliter ipso Statuto provisum sit, sortiantur.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die tricesimo mensis Aprilis, Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die octavo mensis Maii et in eadem Domo die duodecimo ejusdem mensis Maii probatum, tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die undevicesimo ejusdem mensis Maii anno Domini M.DCCC.LV.

STATUTUM NOVUM

De Salariis quibusdam Professoribus pendendis.

CUM capite 81°, paragrapho 46°, legis, anno Victoriæ Reginæ 17° et 18° Augusti die A. D. 1854°, latæ, Statutum fuerit ut aboleatur vectigal pro Impressione quod nunc temporis Fisco pendendum est ab iis qui vel in matriculam Universitatis vel ad Gradus admittendi sunt, quum primum sustentandis oneribus quibus hactenus subventum est pecuniarum ope, ex Parliamenti consulto, quotannis reddito, a Dominis Ærarii erogatarum, ita provisum fuerit ut Dominis Ærarii satis sit factum, Statuit Academia ut e cista Universitatis in posterum numerentur quotannis a Vice-Cancellario,

Professori Historiæ Modernæ Regio libræ trecentæ septuaginta una,
Prælectori Experimentalis Philosophiæ, libræ centum,
Prælectori Botanices, libræ centum octoginta duo,
Prælectori Chemiæ, libræ centum,
Prælectori Mineralogiæ, libræ centum,
Prælectori Geologiæ, libræ centum,

Præter alia, si quæ sunt aut erunt, iisdem Prælectoribus, ex Academiæ Decreto, solvenda.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die undecimo mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die decimo quinto ejusdem mensis Maii, et in eadem Domo die vicesimo quarto ejusdem mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die tricesimo primo ejusdem mensis Maii anno Domini MDCCCLV.

TITULUS X.

DE MAGNA CONGREGATIONE.

SECTIO I.

De Personis ex quibus constat Magna Congregatio, sive Convocatio Magistrorum Regentium et non Regentium.

Corp. Stat. p. 115. Placuit Universitati Tit. X. Sect. 1. (Claus. 9) verba a "Si quis Doctor" ad "Admissione subierit" abrogare, et in eorum locum hæc quæ sequuntur verba subrogare:

Si quis vero Doctor vel Magister Artium ab Universitate discesserit, et postea jus suffragii recuperare voluerit, is, postquam unum et viginti dies in uno aliquo Termino continuos vel discontinuos personaliter resederit, se coram Vice-Cancellario in Convocatione sive Congregatione sistat, testimonium residentiæ a Præfecto Domus suæ vel ejus vicem gerente adducat, et decem libras solvat nisi Feoda omnia ab eo usque die quo ab Universitate discesserit accrescentia malit solvere; quibus peractis Vice-Cancellarius eum ad jus suffragandi in domo Convocationis admittat.

Quod si quis eorum de quibus agitur dies unum et viginti in uno aliquo Termino non resederit, satisfaciat Vice-Cancellario nomen suum saltem in libro Promptuarii alicujus sive Collegii sive Aulæ inscriptum esse, et summam viginti librarum solvat.

Si quis vero Doctor vel Magister Artium ab alia Academia adventans, hic incorporatus suffragii jure gaudere voluerit, is postquam duo et quadraginta dies in uno aliquo termino personaliter resederit, se cum Testimonio Residentiæ coram Vice-Cancellario sistat, qui eum ad jus suffragii admittat.

Magister quisque incorporandus solvat quindecim libras, Doctor quadraginta libras.

Ab unoquoque vero, sive ab eo qui ab Universitate discesserit, et postea hic suffragii jus recuperare, sive ab eo qui ab alia Academia adventans huc incorporari voluerit, eædem declarationes et subscrip-

tiones exigantur quæ a Magistris Artium tempore admissionis ad incipiendum exiguntur; neque liceat ulli jus suffragandi in domo Convocationis exercere, nisi post centum et octoginta dies ex eo die quo coram Vice-Cancellario comparuerit computandos.

Porro nemini qui ab Universitate discesserit liceat plus semel jus suffragii sub conditionibus hujus Statuti recuperare, nisi prius veniam Convocationis expresse impetraverit. Quod ad hoc Statutum attinet, Terminus Paschatis et Terminus Trinitatis pro uno Termino reputentur.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die decimo quarto mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die undevicesimo ejusdem mensis Maii, et in eadem Domo die vicesimo quarto ejusdem mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die tricesimo primo ejusdem mensis Maii anno Domini MDCCCLV.

TITULUS IX.

DE CONGREGATIONIBUS MAGISTRORUM REGENTIUM.

SECTIO II.

De Examinandis Graduum Candidatis.

Corp. Stat. p. 71. Add. pp. 115. 157. 185. 198. 213. 382. 445.

Placuit Universitati Tit. IX. Sect. II. §. 3 (Claus. 5) post verba "in Candidatorum numerum referre" hæc verba subjicere:

Quod si quis Scholaris huc ab Universitate Cantabrigiensi commigraverit, pro Testimonio Responsionis suæ in Parviso liceat ei afferre Testimonium se in "Prævia" quam vocant "Examinatione" in Universitate Cantabrigiensi Examinatoribus satisfecisse, quo exhibito Procurator eum in Candidatorum numerum referat. Idem Scholaris post duos demum annos in utravis Universitate completos, et non antea, Sophista Generalis habeatur.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die decimo quarto mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die undevicesimo ejusdem mensis Maii, et in eadem Domo die vicesimo quarto ejusdem mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die tricesimo primo ejusdem mensis Maii anno Domini MDCCCLV.

TITULUS X.

DE MAGNA CONGREGATIONE.

SECTIO II.

DE NEGOTIIS IN DOMO CONGREGATIONIS TRACTANDIS.

§. 6. *De Electionibus in Domo Convocationis habendis.*

Placuit Universitati hæc verba abrogare: "quod ante Convocationem habendam, negotium hujusmodi electionis vel nominationis per Bedellos singulis Collegiorum et Aularum Præfectis, et per Præfectos Doctoribus et Magistris cujusque Domus die præcedente denuncietur." Corp. Stat. p. 115.

Et in eorum locum hæc verba subrogare:

Ut Electio vel Nominatio in Pleno Termino post justam monitionem semper habeatur, nisi aliter propter graves causas Decreto jusserit Academia. Burgensium tamen Parliamenti Electionem hoc Statuto non comprehendi manifestum est.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo tertio mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die tricesimo primo ejusdem mensis Maii, et in eadem Domo die sexto mensis Junii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die undevicesimo ejusdem mensis Junii anno Domini MDCCCLV.

TITULUS IX.

DE CONGREGATIONIBUS MAGISTRORUM REGENTIUM.

SECTIO V.

DE PRÆSENTATIONIBUS GRADUANDORUM.

§. 6. *De gradibus quibusdam in absentes conferendis.*

Corp. Stat. p. 90. Placuit Universitati hoc Statutum sancire.

Quandoquidem fines Imperii Britannici Deus Opt. Max. longe lateque propagavit, eosque adhuc usque propagat, ad publica autem commoda tum Ecclesiæ quum Imperii spectat, ut viri, optimarum artium studiis in Academiis nostris eruditi, utrique in coloniis Britannicis operam præbeant, neque vero fas est, ut qui publicis commodis inserviant, ipsi debitis honoribus priventur; Statutum est, ut si quis gradum Baccalaurei in Artibus, vel in Jure Civili, vel in Medicina, adeptus fuerit, postea vero in colonia aliqua Britannica munus aliquod sive Ecclesiasticum seu civile administret, vel in aliquo laudabili vitæ genere versari probe noscatur, liceat ei gradum Magistri in Artibus, Doctoris in Jure Civili, vel in Medicina, vel in S. Theologia adipisci, quanquam in Domo Congregationis præsens haud adfuerit, modo has, quæ sequuntur, conditiones impleverit;

1. Quod tempus, per Statuta ad gradum quem petit capessendum requisitum, compleverit, et in Universitate, post gradum Baccalaurei in Artibus susceptum, si id Statuta requirant, commoratus fuerit.

2. Quod, si gradum Doctoris in Jure Civili, vel in Medicina petat, exercitia ad eundem gradum requisita composuerit, et ad Professorem Regium in sua Facultate transmiserit; si vero Doctoris in S. Theologia gradum ambiat, Disputationes duas de aliqua materie Theologica a Sacræ Theologiæ Professore Regio ei proposita composuerit, et ad eundem Professorem transmiserit; quæ tamen exercitia tum demum pro forma cedant, si Professor Regius ea comprobarit.

3. Quod de vitæ morumque integritate literas testimoniales transmiserit, ab Episcopo vel Archidiacono in Colonia ubi commoretur constituto, ipsi, si Ecclesiasticus sit, datas; si laicus sit ab Episcopo vel Archidiacono, vel etiam a Provinciæ Præfecto, vel a Judice aliquo summæ ibidem Curiæ adscripto, consignatas.

4. Quod Gratiam pro gradu quem ambiat, a Domo sua adeptus sit, Decanus vero Domus, seu Decani vicem gerens, pro gratia in venerabili Domo Congregationis concedenda supplicaverit.

5. Quod Articulis Fidei et Religionis in Synodo Londini A.D. 1562 editis et confirmatis, necnon tribus Articulis in Canone XXXVI° comprehensis, subscripserit, Juramentum vero de Primatu Regiæ Majestatis, et Juramentum Fidelitatis susceperit; cujus rei testimonium idoneum ad Vice-Cancellarium transmittere tenebitur.

His omnibus rite peractis, gradus, quem ambit, si ita placuerit venerabili Domo Congregationis, ei concedatur.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die primo mensis Junii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die sexto ejusdem mensis Junii, et in eadem Domo die duodecimo ejusdem mensis Junii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die undevicesimo ejusdem mensis Junii anno Domini MDCCCLV.

TITULUS XIX.

DE FEODIS, AD UNIVERSITATEM, OFFICIARIOS ET SERVIENTES PERTINENTIBUS.

Placuit Universitati Stat. Tit. XIX abrogare, et in ejus locum Statutum hoc subrogare; scilicet, Corp. Stat. p. 183.

De Feodis et Debitis ad Universitatem, Officiarios, et Servientes pertinentibus; et de Feodorum et Debitorum distributione.

Quoniam varia Feoda et Debita pluribus nominibus exigenda veniunt, quæ omnibus nota ac perspecta esse illorum interest tum quibus, tum a quibus debentur, (horum siquidem ignoratio, et hos fraudi, et illos suspicionibus magis obnoxios reddit); et quoniam Academiæ Vectigali pro 'Impressione' exonerandæ jam licet multa in re sua fiscaria justius ac simplicius constituere, Statutum est ut unius Tituli compendio Feoda et Debita quæcunque ad Universitatem, Officiarios et Servientes pertinentia, et item Feodorum et Debitorum distributio, quantum fieri possit, comprehendantur. Volumus igitur ut,

1. Solvat Scholaris unusquisque matriculandus vel incorporandus, si sit

	£	s.	d.
Serviens, vel Biblioclericus	0	10	0
Baro, vel Baronis Filius natu maximus...	8	0	0
Ex cæteris quibus indulget Academia (Stat. Tit. VI. 5. § 1) nec privilegio suo ante matriculationem renunciaverit	5	0	0
Quivis alius	2	8	0

Si quis eorum quibus indulget Academia (Baronibus vel Baronum filiis natu maximis exceptis) privilegio suo ante matriculationem renunciare velit, id ei facere liceat. Rem in Libro matriculationum notet Vice-Cancellarius.

2. Solvat unusquisque

	£	s.	d.
Responsurus	1	0	0
Examinandus, In Prima Examinatione Publica	1	1	0
In Secunda Examinatione Publica			
pro prima Schola	1	1	0
pro quavis alia Schola	0	10	0
In Jure Civili	1	0	0
In Medicina	1	0	0
Examinatus in Medicina, ante Supplicationem pro Gradu Baccalaurei in eadem facultate	9	0	0

3. Solvat unusquisque admittendus

	£	s.	d.
Ad Gradum Bacc. Art.	7	10	0
Magistri	12	0	0
Magistri, si sit Bacc. in Jure Civili ante diem 29um Septembris M.DCCC.LV admissus	4	5	0
Magistri, si sit Bacc. in Jure Civili post diem 29um Septembris M.DCCC.LV admissus	7	0	0

	£	s.	d.
Ad Gradum Baccalaurei in quavis Superiorum Facultatum ...	14	0	0
Doctoris in quavis Superiorum Facultatum ...	40	0	0
Bacc. Musicæ	5	0	0
Doctoris Musicæ	10	0	0
Ex Decreto Convocationis, vel in absentem conferendum, præter Feoda aliter pro Gradu solvenda	5	0	0
Ad Gradus accumulatos, præter Feoda pro utroque Gradu aliter solvenda	5	0	0
Denuo in Domum Convocationis, Magister vel Doctor,			
Si XXI dies in uno aliquo Termino resederit, nisi Feoda omnia ab eo usque die quo ab Universitate discesserit accrescentia malit solvere, ...	10	0	0
Si non resederit XXI dies in uno aliquo Termino	20	0	0
'Ad eundem Gradum, statum atque dignitatem, quibus ornatus est apud suos'	1	0	0

4. Solvat unusquisque incorporandus, si sit,

	£	s.	d.
Bacc. Art.	8	0	0
Magister	15	0	0
Baccalaureus in quavis Superiorum Facultatum ...	15	0	0
Doctor in quavis Superiorum Facultatum	40	0	0
Bacc. Mus.	5	0	0
Doct. Mus.	10	0	0

	£	s.	d.
5. Solvat unusquisque ornandus Gradu Diplomate conferendo, præter feoda aliter solvenda	10	10	0
6. Solvat unusquisque eorum qui in Academia censentur Quotannis	1	6	0

Quod tamen debitum quater in anno, æquis portionibus, colligi volumus. Ut autem constet quantum ex unaquaque Domo sit solvendum, Præfectus vel Bursarius quater in anno a Vice-Cancellario requisitus, ipsi Schedulam numerum Academicorum quorum nomina in Promptuarii libro Domus suæ sint inscripta continentem transmittat.

7. Liceat Collegio vel Aulæ una pensione dissolvere, pro quolibet suorum qui e statu pupillari excesserit, pecunias omnes quæ unquam ab eo postea Debitorum Annuorum nomine in fiscum Academicum conferendæ fuerint, neque Academia amplius a Collegio vel Aula quidquam Annui Debiti exigat pro isto: scilicet si conficiantur, pro eo qui annum ætatis suæ non excesserit,

	£	s.	d.
Vicesimum quintum	22	15	0
Tricesimum	21	15	0
Tricesimum quintum	20	12	6
Quadragesimum	19	8	6
Quadragesimum quintum	18	0	0
Quinquagesimum	16	7	6
Quinquagesimum quintum	14	15	0
Sexagesimum	13	1	6
Septuagesimum	9	6	6

Quas pecunias apud Ærarium Publicum perpetuo fœnore poni jubemus, ut quicquid inde identidem accreverit ad usus publicos Academiæ applicetur.

Suffragii Jure in Domo Convocationis nemo tamen gaudeat quanquam ab annuis debitis liberatus fuerit, nisi nomen suum in Promptuario Domus alicujus inscriptum habeat.

8. Ne quid ultra Feoda et Debita in Statutis præstituta quisquam a quovis, Feodi aut Debiti nomine, exigere præsumat sub pœna gravissima a Vice-Cancellario, ipsius arbitrio, irroganda. Registrario tamen legitima et consueta feoda sua, in iis quæ neque ad admissiones ad Gradus neque ad incorporationes pertinent, percipere liceat. Clerico quoque Universitatis, qui nunc est, percipere liceat solidum unum ab unoquoque eorum quibus concessum fuerit Testimonium a Magistris Scholarum, vel a Moderatoribus, vel ab Examinatoribus in Literis Humanioribus.

9. Feoda et Debita omnia in manus Vice-Cancellarii ab ipso in cistam Academicam reponenda pendantur: Procuratorum utriusvis, Registrarii, Bedellorum cujusvis, Ballivi, vel aliorum officiariorum aut servientium Universitatis, prout res exegerit, ministerio colligantur.

10. Vice-Cancellario tria millia librarum penes se in usus Preli quotidianos habere liceat. Quicquid ultra hanc summam ex Prelo acceptum habuerit, id omne qualibet anni quarta parte, vel, si magis expedire videbitur, minoribus temporis intervallis, ex Preli Delegatorum consilio, in Syngraphis Scaccarii in tempus collocet; et quicquid inde accreverit in Preli rationes referat. Si quid ultra tria millia librarum supersit postquam annuæ rationes de Expensis et Receptis Preli redditæ fuerint, id in generales Academiæ rationes transferatur a Preli Delegatis, et apud Ærarium Publicum perpetuo fœnore, vel in Scaccarii Syngraphis, prout magis expedire videbitur, in varios usus Academiæ, collocetur a Vice-Cancellario. Summa tamen, ex pecuniis Academiæ apud Publicum Ærarium fœnore perpetuo collocatis, quanta majoribus Preli, si quæ acciderint, necessitatibus, ex Delegatorum Preli judicio sufficere possit, seponatur, nec in Academiæ generales rationes referatur. Proventus quoque hujus summæ in Preli rationibus locum habeat.

Item Vice-Cancellario liceat tria millia librarum ex cæteris Universitatis proventibus penes se habere in usus quotidianos Academiæ. Si quid supersit ultra hæc tria millia librarum, id quoque qualibet anni quarta parte, vel minoribus temporis intervallis, si ipsi magis expedire videbitur, in Syngraphis Scaccarii collocet. Si quid post annuas redditas rationes ultra tria millia librarum supersit, id vel apud Ærarium Publicum fœnore perpetuo, vel in Scaccarii Syngraphis collocet, et quicquid inde accreverit in annuas Academiæ rationes referat.

11. Quicquid ex pecuniis urbi nocte custodiendæ infra assignandis post annuum computum supererit, a Septemviris urbi nocte custodiendæ, quamdiu ipsis expedire videbitur, addatur pecuniis jam apud Publicum Ærarium perpetuo fœnore hoc intuitu positis, ut ex earum proventu iis qui urbis paci invigilantes in morbum diuturnum inciderint aut vires amiserint, aliquid subsidii paretur. Quo beneficio excludi nolumus Marescallum, aut Procuratorum Famulos a Septemviris urbi nocte custodiendæ designandos.

12. In posterum Marescallum urbis paci et Procuratorum jussis perficiendis se totum dare, et ex pecuniis urbi custodiendæ assignatis remunerari volumus. Monitiones, quas gravi cum temporis dispendio circumferre solitus est Marescallus, distribui curet Vice-Cancellarius, quemadmodum ipsi magis expedire visum fuerit.

13. Procuratorum Famuli duo, qui officio suo quamdiu Vice-Cancellario et Procuratoribus visum fuerit fungantur, a Septemviris urbi nocte custodiendæ designentur. Famulum insuper annuum sibi eligat Procurator uterque.

14. Ne quid detrimenti capiant ex immutationibus quas hoc Statuto sancimus, Vice-Cancellarius, Professor Logices, Ecclesiæ Stæ Mariæ Vicarius, ejusdem Ecclesiæ Clericus, sicut et qui nunc sunt Bibliothecæ Bodleianæ Custos, Cancellarii Secretarius, Registrarius, Bedellus Superior Artium, Divinitatis quem vocant Clericus, aut Virgifer, ut Præsentatoribus ad Gradus Superiores, Procuratoribus, Examinatoribus et aliis Officiariis Universitatis ex Feodis et Debitis numerandæ pensiones uno conspectu noscantur, et denique ut variis Academiæ utilitatibus provideatur, Statutum est ut pendat Vice-Cancellarius, quotannis

	£	s.	d.
Sibimetipsi, quantum opus fuerit ut, proventibus ex dotationibus et aliis statis emolumentis inclusis, recipiat	600	0	0
Item, pro Famulo...	50	0	0
Senescallo Universitatis	5	0	0
Senescalli Deputato	2	0	0
Assessori Vice-Cancellarii	40	0	0
Professori Logices	300	0	0
Registrario Curiæ Vice-Cancellarii	10	0	0
Viro Reverendo Doctori Bliss quondam Registrario, quamdiu vixerit ...	200	0	0
Archivorum Custodi	100	0	0
Universitatis Attornato	1	0	0
Oratori Publico	76	13	4
Utrique Procuratori	350	0	0
Unicuique Procuratorum Deputato	80	0	0
——— Magistro Scholarum	60	0	0
——— Moderatori in Schola Literarum Græcarum et Latinarum...	80	0	0
——— Moderatori in Schola Disciplinarum Mathematicarum	60	0	0
——— Examinatori in Literis Humanioribus	100	0	0
——— Examinatori in quavis alia Schola	50	0	0
Regio Professori, vel qui ejus loco fuerit Examinator Senior in Medicina	15	0	0
Utrique cæterorum Examinatorum in Medicina, Examinatione habita	10	0	0
Examinatori unicuique in Jure Civili	10	0	0
Bedello Sup. Theologiæ, qui nunc est	250	0	0
Item Bedello Sup. Theologiæ, qui nunc est, pro cura circa conciones	75	0	0
Bedello Sup. Juris, qui nunc est	250	0	0
Bedellorum Infer. unicuique	100	0	0
Clericis Mercatus	52	0	0
Clericorum Mercatus Deputato qui nunc est	40	0	0
Ballivo Universitatis, loco omnium ejus emolumentorum	120	0	0
Æditŭo, seu Clerico Universitatis, quotannis	120	0	0
Virgifero Universitatis qui nunc est, quotannis, loco omnium ejus feodorum hodie ex Gradibus exorientium	14	0	0
Musei Ashmoleani Famulo, qui nunc est, loco feodorum	130	0	0
Ecclesiæ Stæ Mariæ Vicario	46	10	0
Clerico	6	0	0
Organistæ	40	0	0
Choristis...	36	0	0
Præcentori	1	6	8
Organorum Sufflatori	5	0	0
Guardianis	1	6	8
Gulielmo Baxter, Horti Botanici quondam Hortulano, quamdiu vixerit	25	0	0

	£	s.	d.
Registrarii Famulo	5	0	0
Clarendoniarum ædium Famulo	50	0	0

Pendat etiam Vice-Cancellarius

Bibliothecæ Bodleianæ, qui nunc est, Proto-Bibliothecario			
Loco Feodorum ex cumulatoribus hodie exorientium, quotannis	18	6	5
Item pro Salario, quotannis	40	0	0
Item pro unaquaque admissione ad Gradum Bacc. Art., ad Gradum Bacc. in Jure Civili, ad Gradum Bacc. Mus., aut 'ad eundem Gradum, statum atque dignitatem,'	0	11	0
(Ex his pecuniis Janitori Bibliothecæ Bodleianæ pendere debet Proto-Bibliothecarius quotannis viginti Libras.)			
Secretario, qui nunc est, Cancellarii,			
Pro unaquaque admissione ad Gradum A.M.	1	5	0
Item loco Feodorum ex Gradu B. A. aut ex Superioribus Gradibus hodie exorientium, quotannis	15	0	0
Registrario, qui nunc est,			
Pro admissione unaquaque			

	£	s.	d.
Ad Gradum B. A.	0	13	4
M. A.	1	13	0
B. D.	1	3	6
B. C. L.	1	3	6
B. M.	1	10	0
B. Mus.	0	9	6
D. D.	1	3	6
D. C. L.	1	3	6
D. M.	1	1	0
D. Mus.	0	14	3
Diplomate conferendum	4	3	0

'Ad eundem Gradum, statum atque dignitatem'	0	6	0
Ad Gradum Honoris causa	1	1	0
Item pro unaquaque Incorporatione Graduati	0	7	0
Item quoties Congregationi Statutorum promulgandorum aut accipiendorum causa convocatæ, Delegatorum conventibus, aut Concilio Hebdomadali adfuerit	0	10	0
Registrario quum primum vacaverit officium eligendo, loco emolumentorum omnium quæ ex Academiæ cista Registrario, qui nunc est, secundum hoc Statutum sunt pendenda, ...	500	0	0
Bedello Superiori Artium qui nunc est, loco 'eulets' et feodorum pro Gradibus in Superioribus Facultatibus, vel in Musica, et pro Incorporationibus hodie solvendorum quotannis	160	0	0
Item pro admissione unaquaque ad Gradum B.A.	0	12	0
M.A.	1	6	6
Honoris causa	1	1	0
Divinitatis Clerico, qui nunc est, pro unaquaque admissione ad Gradum B. A.	0	1	0
Item pro unoquoque Academico quotannis	0	0	4

Pendat item Vice-Cancellarius Præsentatori pro unaquaque præsentatione

Ad Gradum Honoris causa	2	2	0
Bacc. vel Doct. in S. Theologia	1	7	0
Bacc. in Jure Civili	2	0	0
Doct. in eadem Facultate	3	0	0
Doctoris in Medicina	6	8	6

Pendantur a Vice-Cancellario, quotannis,

Urbi nocte custodiendæ, pro unoquoque Academico qui annum a Matriculatione sua quartum excesserit	0	6	0
Pro quovis alio Academico	0	8	0

Ex his pecuniis percipiant, quotannis,

Marescallus, qui nunc est, loco emolumentorum omnium quibus hodie fruitur	170	0	0
Marescallus, quum primum vacaverit officium, nominandus	150	0	0
Famulus uterque Procuratorum munus suum quamdiu Vice-Cancellario et Procuratoribus visum fuerit servaturus	65	0	0
Famulus uterque Procuratorum in annum designatus	50	0	0

Pendantur etiam a Vice-Cancellario, quotannis,

Ambulacris publicis reparandis, pro unoquoque Academico	0	0	6
Bonis Academicis defendendis, pro unoquoque Academico	0	0	4
Igni exstinguendo, pro unoquoque Academico	0	0	6
Bibliothecæ Bodleianæ, pro unoquoque Academico qui quartum annum a matriculatione sua excesserit	0	8	0

Item pendantur a Vice-Cancellario Bibliothecæ Bodleianæ

Pro unoquoque Scholari in matriculam admisso, si sit

Baro vel Baronis Filius nat. max.	2	0	0
Quivis alius privilegiatus	1	0	0
Serviens, vel Biblioclericus	0	1	0
Quivis alius	0	10	0

Quicquid ad Privilegia defendenda, ad Urbem illuminandam et lapidibus sternendam, ad concionatores remunerandos, ad ea paranda quæ sunt Examinationum causa necessaria, ad Statuta, Monitiones, et alia hujusmodi documenta typis mandanda, et denique quicquid ad consueta et legitima onera sustentanda opus erit, pendat Vice-Cancellarius.

15. Vim et effectum suum hoc Statutum obtineat die vicesimo nono Septembris proximo.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die secundo mensis Junii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die sexto ejusdem mensis Junii, et in eadem Domo die duodecimo ejusdem mensis Junii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die undevicesimo ejusdem mensis Junii anno Domini MDCCCLV.

DE VESTITU ET HABITU SCHOLASTICO.

§. 3. *Statutum novum de Habitu Academico singulis Gradibus et Facultatibus competente.*

Placuit Universitati Tit. XIV. §. 3. verba Corp. Stat. pp. 132, 133. Add. p. 100.

"Commensales vero sive Communarii"

abrogare, et in eorum locum verba

"Cæteri vero non-graduati quotquot non sunt de fundatione Col-"legii alicujus"

subrogare.

Item verba

"Batellarii vero, et Servientes togam talarem hodie usitatam juxta "exemplar gerant, et Pileum quadratum sine Apice"

abrogare.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die undevicesimo mensis Octobris. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo tertio ejusdem mensis Octobris, et in eadem Domo die primo mensis Novembris probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die octavo ejusdem mensis Novembris anno Domini MDCCCLV.

DE LECTORIBUS PUBLICIS.

SECTIO I.

STATUTA SPECIALIA AD LECTORES PERTINENTIA.

Placuit Universitati Tit. IV. Sect. 1. § 32. hoc Statutum sancire.

Corp. Stat. p. 12. Add. (1837) p. 7. Add. pp. 421, 429.

Professor Œconomiæ Ruralis secundum ordinationes a JOHANNE SIBTHORP, M.D., in Testamento suo sancitas, legat.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo nono mensis Octobris. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die primo mensis Novembris, et in eadem Domo die octavo ejusdem mensis Novembris probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo quinto ejusdem mensis Novembris anno Domini MDCCCLV.

Placuit Universitati, post verba in Tit. XIX. De Feodis. Add. p 517.
Quivis alius £2 8 0,
inserere hæc verba,
Quivis alius, privilegiatus non Scholaris . . . £1 0 0

Placuit Academiæ abrogare,

In Tit. I. Sect. II. §. 3. (p. 2 post 319), "E pecuniis juxta ordinationes Tit. XVI. §. 9. receptis."

Tit. III. Sect. I. (in Add. p. 172 sq.; cf. p. 476), "*De Scholarium admissione*, etc." usque ad finem.

Tit. IV. Sect. I. §. 1. (p. 11 post 321), "Insuper ordinatum . . . . . termini pendendis;" et l. seq. "prædictum."

Tit. VI. Sect. I. §. 3. (p. 445) "per Æedituum Universitatis."

——— §. 4. [2], (p. 380) "Scholaris enim unusquisque . . . . Vice-Cancellarium deferantur."

——— §. 5. [2], (p. 380), "Denique statutum . . redacti fuerint."

——— [3], (p. 381), "Si quis autem . . . Statuti respondisset."

——— (Add. p. 419), "Cum orta quæstio . . formam peragantur."

——— Sect. IV. §. 4. (p. 415), "Et simul summam . . . librarum eroget."

——— Sect. V. §. 4. (p. 339), "*De Examinatoribus remunerandis*, etc.," . . . usque ad finem.

Tit. IX. Sect. I. §. 5. (p. 311), "Deinde ratione . . . in Registrum referenti 1*s*."

——— Sect. II. §. 4. [33], (p. 457), "Volumus insuper . . vigorem suum obtineat."

——— [36] (p. 458), "Statuimus etiam ut . . . Statuto requiruntur."

——— §. 9. (p. 473), "*et de Moderatoribus et Examinatoribus remunerandis.*"

——— §. 9. [3, 4, 5], (p. 473, sq.) "Et quo Moderatoribus . . Perpetuis vero futuris temporibus."

——— Sect. III. §. 2. (p. 496, sq.) "Neque gratiam quamlibet cuiquam . . . *Censor Collegii vel Aulæ C. D.*" (l. 7 ab ima pagina.)

——— Sect. IX. §. 1. (Corp. Stat. p. 110), "sive in Templo S. Petri ad Orientem."

Tit. X. Sect. II. §. 4. (Add. p. 121.) "Deinde si quis . . . necessum habuerit."

——— (ibid.) "vel si qui . . . inaugurari desiderent."

Tit. XIV. §. 3. (Add. p. 100.) "et Collectores Quadragesimales."

——— (Add. p. 102.) "in ecclesiâ S. Petri in Oriente."

Tit. XVI. §. 4. (p. 346.) "ac in Die Cineris . . . . sedentibus."

——— §. 11. (p. 317.) "*De offensionis*," etc. usque ad finem.

Tit. XVII. Sect. III. §. 3. (Corp. Stat. p. 161.) "Quodque pro labore . . . eidem allocetur."

——— Sect. V. §. I. [3] (p. 442. sq.) "item Quadragesimalibus . . . . sanciti exigentiam," necnon, "Baccalaureorum determinantium . . . . Scholarium in Parviso," necnon, "vel in Lectionibus vel" . . . .

——— §. 2. (p. 443), "*De Magistris Scholarum*, ... supra præscriptum non excedant."

——— Sect. IX. (C. S. p. 170. sq.), "Quodque omnes et singuli . . . . Salarii nomine numerabit."

Tit. XVIII. Sect. I. (C. S. p. 172), "quo nomine a singulis admissis 12*d*. recipiet."

——— Sect. III. (C. S. p. 178), "Graduatos cumulantes . . . . domum reducere."

——— Sect. VI. (C. S. p. 182), "Quo nomine summam sex librarum . . . decremento proportionalem;" necnon, "Quo nomine in singulas libras . . . . 12*d*. recipiet:" necnon, "Quo nomine in singulas septimanas . . . . expensis imputandos."

Tit. XIX. Suppl. (p. 259), "Collectis denique," etc., usque ad finem.

Tit. XX. §. 4. (C. S. pp. 186, 7, 8), "*De Scholis publicis*," etc., usque ad finem.

——— §. 6. (C. S. p. 189), "*De platearum regimine*," etc., usque ad finem.

De Statutis his rogandis, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo sexto mensis Novembris. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die quarto mensis Decembris, et in eadem Domo die septimo ejusdem mensis Decembris probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo quarto ejusdem mensis Decembris anno Domini MDCCCLV.

TITULUS VI.

SECTIO II.

DE TEMPORE ET EXERCITIIS REQUISITIS AD GRADUM MAGISTRI IN ARTIBUS.

§. 1. *Quot anni, in bonarum literarum studio ponendi, requirantur ad gradum Magistri in Artibus.*

Placuit Universitati hoc Statutum sancire.

Liceat Baccalaureis in Jure Civili vel Medicina, post absolutum a tempore Matriculationis suæ vicesimum sextum terminum, exactis iisdem declarationibus et subscriptionibus quæ nunc a præsentandis pro gradu Inceptoris in Artibus exiguntur, ad incipiendum in Artibus admitti; et iisdem, postquam in Artibus inceperint, gradum Baccalaurei in facultate sua retinere.

Nemini autem inter Studiosos in Jure Civili censeri concedatur, nisi qui Testimonia a Publicis Examinatoribus adeptus sit, cæteraque præstiterit omnia, quæ a præsentando ad gradum Baccalaurei in Artibus exiguntur.

Item in Addend. Tit. IX. Sect. III. §. 4. verba "quinque annos in studio Juris Civilis posuerit" abrogare; et in Addend. Tit. IX. Sect. III. p. 500. post formulam Supplicationis "Pro Gradu Inceptoris in Artibus" hoc Statutum sancire: Vel si supplicans sit Baccalaureus in Jure Civili vel Medicina;—Supplicat &c. A. B. Baccalaureus in Jure Civili [vel Medicina] e Coll. vel Aul. G., quatenus Terminum vicesimum septimum a Matriculatione attigerit, bonarum literarum studio incubuerit, et reliqua compleverit omnia quæ per Statuta requiruntur; ut hæc sibi sufficiant, quo admittatur ad incipiendum in Artibus.

Corp. Stat. p. 76. Add. pp. 129. 245. 280. 294. 417. 499.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die tertio mensis Decembris. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die sexto ejusdem mensis Decembris, et in eadem Domo die duodecimo ejusdem mensis Decembris anno Domini MDCCCLV *probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo secundo mensis Januarii anno Domini* MDCCCLVI.

Placuit Universitati Stat. Tit. V. (Corpus, p. 22.) abrogare; et quæ sequuntur, in Tit. IV. Sect. II. §. 5. subrogare.

§. 5. *De modo, quo auditores in Scholis se gerere inter audiendum debeant.*

'Quisque, quum primum Scholam intraverit, sedem aliquam capessat, quoadusque sedilia suffecerint; reliqui vero quibus non sit ubi sedeant, in eo loco quem primum occupaverint, consistant: nec quisquam sedem suam deserat, huc illuc cursitando, sed omnes ad auscultandum Professori se modeste componant. Insuper quisque eum Auctorem, quem Professor ad explicandum sumpserit, privatim, si a Professore id requisitum fuerit, studiose legat. Professor unusquisque in sua Schola Procuratoria auctoritate muniatur.'

Placuit item Stat. Tit. VII. (Corpus, p. 48.) et ad Stat. Tit. VII. Sect. I. §. 9. App. p. 63. et item in Add. p. 170. Tit. VII. abrogare.

Placuit item Stat. Tit. IX. Sect. II. § 4. (Corpus, p. 75.) abrogare.

Placuit item Stat. Tit. IX. Sect. I. § 4. (Corpus, p. 69.) abrogare, et in ejus locum hæc substituere:

'§. 4. *De Magistris necessario Regentibus.*

'Quolibet anno, primo die Martis mensis Julii, Procuratores nomina omnium qui, anno præterito, in aliqua facultate ad incipiendum admissi fuerint, Vice-Cancellario deferant in Catalogo inserenda. Quicunque in hunc Catalogum relati fuerint exinde solenniter incepisse reputentur. Inceptores senioritatem suam sortiantur secundum ordinem quo admissi fuerint ad incipiendum, proviso tamen quod si quis, juxta privata collegii Statuta, ex hoc ordine quidvis patitur detrimenti, in hujusmodi Collegiis Inceptores in Catalogo Inceptorum, si id a Præfecto Collegii requisitum fuerit, inter se disponantur eodem ordine senioritatis juxta quem in suo quisque Collegio dispositi fuerint. Die ultimo Termini S. Trinitatis Inceptores omnes in Catalogo, ut supra statuitur inscripti, a Vice-Cancellario in Venerabili Domo Congregationis pronuntientur admissi ad suam in Facultatibus Regentiam, id est, ad omnes actus necessariæ suæ Regentiæ exercendos; qui Magistri et Doctores necessario Regentes per biennium habeantur.'

Placuit item Universitati §. 5. Sect. I. Tit. IX. (Add. p. 310.) et item, Add. Tit. X. Sect. II. §. 6. p. 315, 'Placuit Universitati —— firmiter credideris,' abrogare; et in §. 1. Sect. VI. Tit. IX. (Add. p. 311.), post verba 'Resp. Do', quæ sequuntur subrogare:

'Tu etiam jurabis quod quum admissus fueris in Domum Congregationis et in Domum Convocationis, in iisdem bene et fideliter, ad honorem et profectum Universitatis, te geres.

'Et specialiter quod in negotiis quæ ad Gratias et Gradus spectant non impedies dignos, nec indignos promovebis.

'Item quod in Electionibus habendis unum aliquem, et unum tantum semel (et non amplius) in singulis scrutiniis scribes et nominabis; et quod neminem nominabis nisi quem habilem et idoneum certo sciveris, vel firmiter credideris. *Resp.* Juro.'

Placuit item Universitati hæc verba in Tit. IX. Sect. I. §. 6 (Corpus, p. 71.) abrogare, scilicet

'Omnes insuper Magistri (durante secundo Regentiæ suæ anno) quibuscum, post finitum primum necessariæ Regentiæ annum, pro secundo Regentiæ suæ anno dispensatum fuerit.'

Placuit item Universitati Tit. IX. Sect. IV. (Corpus, p. 85.) Add. p. 135. et Add. p. 188. abrogare.

Placuit item Universitati in Stat. Tit. IX. Sect. I §. 2. (Corpus, p. 69.) hæc verba abrogare 'Item ut dispensationes'——'petantur, et hæc, 'Item ut ab aliis Academiis——incorporentur.'

et, l. 8. post verbum 'admittantur,' subrogare hæc verba, 'Item, ut Cantabrigienses vel Dublinienses, incorporentur, et si graduati fuerint, ad eundem admittantur Gradum et statum apud nos, quo apud suos sunt.'

Placuit item Universitati Stat. Tit. XII. (Corpus, p. 130.) abrogare; et item in Tit. XVIII. (Corpus, p. 172.) abrogare verba

'et assimilationibus parvis.'

Placuit item Universitati Stat. Tit. XIV. (Corpus, p. 132.), et item §. 3. Stat. novum, Add. Tit. XIV. p. 101, et item Add. p. 210. Tit. XIV. Stat. nov. De usu Vestitus, &c. abrogare, et quæ sequuntur subrogare:

TIT. XIV.
DE VESTITU ET HABITU SCHOLASTICO.

§. 1. *De modo servando in vestitu.*

Academici omnes ut viros graves et studiosos decet vestiantur, nec quæ fastum et luxum præ se ferunt imitentur. In Capillitio etiam modus esto. Si quis novos et insolitos habitus in vestitu introduxerit, Vice-Cancellarius et Præfecti Collegiorum et Aularum, habita inter se deliberatione, de eodem sententias suas proferant. Præfecti suis singuli Scholaribus hujusmodi vestimentorum usu interdicant. Si quis deliquerit, pœnis, quas secundum qualitatem delicti pro arbitrio infligent Vice-Cancellarius, vel Procuratorum utervis, coerceatur.

§. 2. *De usu habitus Academici.*

Cum propter remissiorem habitus Academici usum multa ac gravia incommoda Universitati accrescant, Juniores omnium ordinum, quoties in publicum prodeunt, justo habitu Academico induti incedant. Si quis vero in statu pupillari in hac parte deliquerit, vel penso literario, vel mulcta, a Vice-Cancellario vel Procuratorum altero, vel a quovis ex eorum Deputatis puniatur. Denique si quis post hujusmodi pœnam ter impositam, in consimili delicto deprehensus erit, suspendatur, si ita Vice-Cancellario et Procuratoribus visum fuerit, a Gradu quem ambit per unum terminum toties quoties, et Libro nigro, sive Registro Procuratorum, nomen ejus inseratur, vel aliqua alia pœna coerceatur ad eorum arbitrium infligenda.

§. 3. *De Habitu Academico singulis Gradibus et Facultatibus competente.*

Doctores omnes cujuscunque Facultatis, Baccalaurei etiam in Sacra Theologia, Medicina, et Jure Civili, Magistri et Baccalaurei Artium, Baccalaurei itidem in Musica, Togas gradui et facultati competentes hodie usitatas, juxta exemplar in Archivis repositum, gerant.

Ambo Procuratores, eorumque Deputati, Habitu hodie usitato, secundum exemplar, induti incedant.

Baronum filii in superiore Parliamenti Domo suffragii jus habentium, necnon Baronum ex gente Scotica et Hibernica, iis exceptis qui privilegio suo renunciaverint, Toga talari deaurata, sive Toga nigra laxe manicata serica, et Pileo quadrato cum apice deaurato, induti incedant.

Superioris ordinis commensales Togam talarem sericam, sive ex quovis Panno nigro confectam, cum ornamentis secundum exemplar, et Pileum quadratum holosericum, Anglice *velvet*, cum apice; cæteri vero non-graduati, quotquot non sunt de fundatione Collegii alicujus, vel Aulæ alicujus Scholares vel Clerici, Togam talarem, ex quovis Panno nigro non serico, confectam, cum ornamentis secundum exemplar, et Pileum quadratum Panno obductum cum apice, gerant.

Non-Graduati, quotquot sint alicujus Collegii Socii, Probationarii, Scholares, Capellani, Clerici, vel Choristæ, sicut et quotquot sint alicujus Aulæ Scholares vel Clerici, si modo in matriculam Universitatis sint relati, denique quotquot de fundatione Collegii cujusvis sint, Studentes insuper Ædis Christi, quoties in publicum in Universitate prodeunt, Togis laxe manicatis, ita ut manicæ longitudo dimidiam partem longitudinis Togæ non excedat, et Pileis quadratis cum apice, induti incedant.

Studentes in Jure Civili, vel in Medicina, nondum Graduati, qui examinationes pro gradu A. B. requisitas subierint, Togam talarem semimanicatam, juxta exemplar, gerant, et Pileum quadratum cum apice.

Artium Baccalaurei in omni actu Scholastico Caputium Fimbria pellita prætextum gerant: Graduati omnes, Togas Gradui et Facultati competentes, et Pileos quadratos cum apice, gestent, præcipue in concionibus et in actibus Academicis.

Professores publici in Lectionibus suis ordinariis, Togis Gradui vel Facultati suæ competentibus, et Pileis induti ad Scholas accedant et eodem Habitu induti legant.

Quoties vero ad Congregationes, aut Convocationes accedunt, omnes præter Togas Caputia gradui congrua, Doctores etiam Capas, vel clausas vel apertas, adhibeant.

Doctores singulis diebus Dominicis intra terminum ante meridiem, et in Quadragesima et in Dominica Paschatis post meridiem, Capa, et Caputio coccineo induti concionibus intersint.

Si quis in statu pupillari in præmissis deliquerit, pro arbitrio Vice-Cancellarii et Procuratorum, puniatur. Si quis vero Graduatus ad Convocationem vel Congregationem Habitu competente destitutus accesserit, nullam omnino suffragandi potestatem ea vice habeat.

Placuit item Universitati in Tit. XVIII. Sectio IV. (Corpus, p. 179.) quæ sequuntur abrogare:

l. 16. 'Beatæ Mariæ foribus et alibi si opus fuerit,' et in eorum locum 'debitis locis' subrogare.

Placuit item Universitati abrogare in eodem Statuto

l. 24. 'Pueros'——'castigare.'

l. 31. 'aliarumque'——'Privilegiatarum.'

l. 32. 'decedentium'——'approbandum.'

item, l. 37. 'eodemque habitu,' abrogare; et in eorum locum substituere verbum 'et.'

Item in p. 180.

l. 3. usque ad Sectionis finem, abrogare.

Placuit item Universitati, Tit. XVIII. Sect. V. (Corpus, p. 180.) abrogare.

Placuit item Universitati in Stat. Add. p. 346. Tit. XVI. §. 4. abrogare hæc verba:

'Item in die Dominico Comitiorum, cum ante tum post meridiem, et in die Mercurii proxime post Comitia,'

et in eorum locum quæ sequuntur subrogare:

'Item in die Dominico præcedente primum diem Martis mensis Julii, sicut moris est, preces et sacra synaxis publice secundum Liturgiam Ecclesiæ Anglicanæ celebrentur, et duæ conciones, una ante meridiem, altera post meridiem, lingua vernacula, in Ecclesia Beatæ Mariæ Virginis habeantur, et liberum sit Vice-Cancellario quemlibet ex Theologis qui anno præterito ad incipiendum admissi fuerint, aut ex aliis, ad hæc concionandi munera designare;'

Placuit item Universitati hæc in Stat. Add. Tit. IX. Sect. III. §. 8. p. 503. abrogare,

'Si sit gratia Inceptoris in qualibet facultate——in iisdem comitiis exhibuerit.'

Placuit item Universitati hæc in Stat. Tit. IX. Sect. VIII. §. 3. (Corp. p. 109.) abrogare,

'inter duo deinceps comitia,'

et in eorum locum hæc subrogare,

'inter primum diem Termini Michaelis et ultimum diem Termini S. Trinitatis'——

Placuit item Universitati in Stat. (Corp. p. 110.) Tit. IX. Sect. IX. §. 1. et item in §. 2. abrogare,

'vel in comitiis.'

Placuit item Universitati in Stat. Tit. X. Sect. I. §. 1. (Corp. p. 117.) hæc verba abrogare,

'comitia finita,'

et in eorum locum subrogare,

'Terminum S. Trinitatis finitum.'

Placuit item Universitati in Stat. Tit. XVII. Sect. III. §. 1. (Corp. p. 158.) abrogare,

'intra congruum tempus post comitia.'

et in eorum locum subrogare,

'ante Terminum Michaelis initum.'

Placuit item Universitati in Stat. Tit. XVI. §. 10. (Add. p. 350.) abrogare,

'in comitiis,'

et in eorum locum substituere,

'in die Dominico præcedente primum diem Martis mensis Julii.'

Placuit item Universitati in Stat. Tit. I. Sect. I. §. 5. (Add. p. 1. post 321.) hoc verbum abrogare,

'comitia'

et in ejus locum subrogare,

'primum diem Martis in mense Julio.'

Placuit item Universitati in Stat. Tit. II. Sect. VI. (Add. p. 5. post 319.) 'De Feodis matriculandorum' . . . usque ad finem abrogare.

Placuit item Universitati in Stat. Tit. VI. Sect. IV. §. 4. (Add. p. 415. abrogare hæc verba,

'*De Examinatoribus remunerandis.* Statutum est ut.'

Placuit item Universitati, Supplementum ad Stat. Tit. XIX. 'De Feodis,' &c., (Add. p. 259.) abrogare.

Placuit item Universitati, in Tit. XV. Sect. XIV. (Add. p. 335.) abrogare hæc, 'Statutum est——inserantur.'

Placuit item Universitati in Stat. Add. Tit. IX. Sect. V. §. 5. Add. p. 143. l. 11, abrogare verbum 'eorum,' et in ejus locum substituere 'Inceptorum.'

Placuit item Universitati in Stat. Tit. XX. hæc addere:

§. 7. *De Theatro Sheldoniano.*

Cum singulari munificentia Reverendissimi in Christo Patris Gilberti, Archiepiscopi Cantuariensis, ædificium amplissimum, Theatrum Sheldonianum nuncupatum, hac in Universitate exstructum sit, Statutum est,

1°. Ut in Theatro, ubi res Academiæ id postulaverint, Convocationes, (Encænia præsertim,) et Congregationes celebrare et alios conventus Academicos habere liceat; ibidemque universi, ad solennia quæque illuc confluentes, habitibus gradui et ordini competentibus induantur.

2°. Ut duo Curatores seu ædiles Fabricæ Theatralis, a Venerabili Domo Convocationis e Doctoribus quos Statos Delegatos computi esse contigerit, nominentur. Quorum muneris erit ut domus custodibus et janitoribus præsint, et eosdem constituant; ut cœtum universum, hospites præsertim et peregrinos qui ad Theatrum confluxerint, in sedibus pro eorum dignitate et meritis, una cum Vice-Cancellario et Procuratoribus excipiant et disponant, (ita tamen ut Professor Theologiæ, Professor Jurisprudentiæ, et Professor Medicinæ, in solennibus conventibus subsellia, quæ in comitiis occupare solebant, sortiantur;) necnon ut pacem publicam ibi tueantur; quinetiam Pro-Cancellarii potestate instructi infra Theatri præcinctus immorigeros et tumultuantes in ordinem cogant. Et si insuper necessarium visum fuerit in Artibus Magistros in curæ hujus partem adhibere, ut iidem a Curatoribus nominati, et a Vice-Cancellario et Procuratoribus approbati, durante solenniorum tempore infra Theatri præcinctus Procuratoria Potestate muniantur. Demum, ut Curatores pecunias ad usum Theatri accipiant et impendant, rationemque quotannis reddant coram Statis Delegatis quo tempore computus Vice-Cancellarii habeatur.

Corpus, p. 52. Tit. VII. Sect. I. § 12.

De Statutis his rogandis, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo quinto mensis Januarii. Promulgata sunt eadem Statuta in Domo Congregationis die tricesimo primo ejusdem mensis Januarii, et in eadem Domo die duodecimo mensis Februarii probata; tandem in Convocatione publicata et confirmata die vicesimo sexto ejusdem mensis Februarii anno Domini MDCCCLVI.

DE CONGREGATIONIBUS MAGISTRORUM REGENTIUM.

Corp. Stat. p. 71. Add. pp. 115. 157. 185. 198. 213. 382. 445.

Placuit Universitati, Stat. Tit. IX. Sect. II. §. 2.

post verba

"cautius fiant et integrius,"

hæc verba abrogare:

"ista nominatio primum quidem in Congregatione Domui significetur; deinde in proxima Congregatione Moderatorum nomina sigillatim suffragiis Regentium permittantur; et tandem post tres dies"

et in eorum locum subrogare,

"in Congregatione primum, post justam monitionem, Moderatorum nomina sigillatim suffragiis Regentium permittantur, et inde, post septem dies"

DE OFFICIARIIS UNIVERSITATIS.

Corp. Stat. p. 165. Add. pp. 192. 193. 442.

Placuit Universitati, Stat. Tit. XVII. Sect. v. §. 1.

hæc verba abrogare,

"in Domo Convocationis"—

et in eorum locum subrogare,

"coram Vice-Cancellario."

Add. pp. 447. 460.

Placuit item Universitati, Stat. Tit. IX. Sect. ii. § 1. et Stat. Tit. IX. Sect. ii. §. 6.

hæc verba abrogare,

"in Domo Congregationis,"

et in eorum locum subrogare,

"coram Vice-Cancellario."

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die sexto mensis Februarii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die duodecimo, et in eadem Domo die vicesimo primo ejusdem mensis Februarii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo octavo ejusdem mensis Februarii anno Domini MDCCCLVI.

ADDENDA, DE QUIBUSDAM DOTATIONIBUS.

STATUTUM NOVUM.

De quibusdam dotationibus quæ ante annos quinquaginta ab A. D. 1854 *exstiterint.*

Quum paragrapho 30° Legis a Parliamento, anno 17° et 18° Victoriæ Reginæ, cap. 81°. latæ, provisum fuerit ut Universitati liceat Fundatorum, et Donatorum, sive ordinationes, sive dispositiones Academiæ fidei commissas, quæ vim et effectum suum ante annos quinquaginta obtinuerint, immutare et emendare, prout ad Religionem, Literas, et utilitates quas sibi præcipue proposuerint Fundatores seu Donatores, promovendas magis conducere Academiæ visum fuerit; placuit igitur Universitati de Professore Dominæ Margaretæ Comitissæ de Richmond, de Professoribus Savilianis, de Professore Sedleiano, de Professore Moralis Philosophiæ, de Professore Anatomiæ Tomlinsiano, de Professoro Anatomiæ Aldrichiano, de Professore Chemiæ Aldrichiano, de Professore Linguæ Arabicæ Laudiano, de Professore Linguæ Anglo-Saxonicæ Rawlinsoniano, de Custode Musei Ashmoleani, et de Scholaribus Baronis Craven, quibuscunque Statutis aut ordinationibus non obstantibus, quæ sequuntur constituere.

SECTIO I.

De Professoribus supradictis generatim.

1. Professores quotannis per sex menses in Universitate incolant et commorentur, inter decimum diem Octobris et primum diem Julii sequentis.

2. Fungantur officiis suis, quamdiu iis ita libuerit, et se bene gesserint, Professor Dominæ Margaretæ, Professores Saviliani, Professor Philosophiæ Moralis, et Professor Rawlinsonianus in posterum eligendi; id quod, ut hactenus, in cæteris Professionibus de quibus nunc statuimus, obtinere volumus.

3. Quod si Professores insigniter negligentes in officio suo, vel notabiliter insufficientes fuerint, vel si pravis moribus Academiam dedecoraverint, vel si Statutis ad ipsos spectantibus morem gerere recusaverint, Vice-Cancellario rem proponente, admoneantur, vel etiam, si aliter malo occurri non possit, prius conventi et convicti, destituantur; Dominæ Margaretæ Professor, per

Vice-Cancellarium et majorem partem Doctorum in S. Theologia in Universitate incolentium et commorantinm; cæteri autem Professores per Vice-Cancellarium et Delegatos Appellationum in Congregatione, aut majorem partem eorum.

4. Si autem evenerit nt Professor aliquis ad tempus valetudine impediatur quominus officio suo fungatnr, aut si ei necesse fuerit in termino, propter causas urgentes et Vice-Cancellario approbatas, extra Universitatem morari, Professori Deputatum idoneum et Vice-Cancellario probatum, qui Professoris muneribus, durante infirmitate aut absentia, vacet, nominare liceat; id quod exigero poterit Vice-Cancellarius si sponte Professor in hac parte Statuto non satisfecerit.

5. Si Professor senio, morbo diuturno, aut incurabili impotentia, aut debilitate vel corporis vel animi fractus, suæ Professioni perficiendæ non suffecerit, virum, secundum ea quæ in hoc Statuto decernuntur idoneum, qui Professoris muueribus fungatnr, iis qnibus Professorom ipsum nominandi cura delegata est, rem proponente Vice-Cancellario, nominare liceat. Determinent etiam iidem quantum ex Professoris emolumentis Deputato persolvendum sit.

6. Ex auditoribus suis singulis ne plus exigant mercedis Professores, quam ab Universitate permissum fuerit.

7. Professorum qui intra Academiam eligendi sunt electio nonnisi in pleno termino fiat, et post justam monitionem.

8. Si qnid statuerit posthac Academia de Professoris cujusquam muneribus id observare tenebitur quicunque tunc erit Professor.

9. Si quis in Professorem electus sit, is, antequam munus sunm ineat, declarationi coram Vice-Cancellario subscribere teneatur, sub hac forma;—

"*Ego A. B. ex animo profiteor me de Ecclesia Anglicana esse.*"

10. Duabns Professionibus ne quis eodem tempore fungatur, nisi quatenus hoc Statuto permissum est; neque munus Observatoris Radcliffiani aut Prælectoris alicujus in qnovis Collegio publice legentis cum munere suo conjungat.

11. Professoribus, qui ante diem septimum mensis Augusti A. D. 1854 munus suum in se susceperint, invitis nihil imponimns, quod iis per Statuta antea non incubuit; neqne a privilegiis, quibus per Statuta fruuntur, quidquam demimus.

SECTIO II.

De Professore Dominæ Margaretæ.

1. Eligatur Professor ex iis qui gradu in S. Theologia insigniti fuerint, vel ex Magistris in Artibus qui, in sacris ordinibus constituti, jus intrandi Domum Convocationis per annos septem ad minimum habuerint.

2. In eligendo Professore Dominæ Margaretæ jure suffragii gaudeant ii, qui in Domum Convocationis admissi, et sacris ordinibus saltem initiati fuerint, quique per septimanas viginti in Academia commorati sint in anno ante primum Septembris diem electionem præcedentem proxime elapso, quod et ex Registro Congregationis, et ex suffragantium fide constare poterit. In æqualitate suffragiorum illa persona quæ votum et vocem Cancellarii aut ejus Deputati obtinuerit in electione prævaleat.

3. Theologiæ partes sibi ab Universitate jam assignatas, vel posthac assignandas, tractet Professor. Legat assidue singulis Terminis per sex septimanas, tribus ad minimum diebus in qualibet septimana. Præter Lectiones in quibus generatim materiam suam tractabit Professor catecheticas etiam Lectiones habeat, in quibus scriptorem aliquem sive veterem sive recentiorem discutiat, verba ejus citando, conferendo, et de eorum sensu auditores interrogando; in quem finem curabit ne singulæ auditorum classes justo numerosiores fiant.

SECTIO III.

De Professoribus Savilianis.

§ 1. *De utriusque Professoris munere et officio.*

In Mathematica, quam vocant, pura, et præsertim in Geometria pura et analytica, legat Geometriæ Professor. In Astronomia universa legat Astronomiæ Professor. Per sex septimanas quotannis in duobus discretis terminis publice legere tenebitur uterque Professor, bis ad minus in qualibet septimana. Hoc insuper Professoribus injungitur ut quotannis, præter publicas lectiones, per octo unius alicujus termini septimanas semel ad minus in qualibet septimana, in Hospitio suo, aut alio loco propinquo, vacent, per unius horæ spatium, instruendis auditoribus suis, si qui eorum ipsos adire velint, in iis quæ melius sine ulla solennitate tradi possunt. Omnes autem eos Auditores esse volumus quibuscunque audiendi libertatem concedat Universitas.

§ 2. *Qui et quales eligi debeant in Professores.*

Hos Professores, sive Lectores, prout voluit Fundator, statuimus et decernimus fore perpetuis temporibus eligendos ex hominibus bonæ famæ, et conversationis honestæ, ex quacunque natione orbis Christiani, et cujuscunque ordinis sive Professionis, qui in Mathematicis instructissimi sint, adjuncta mediocri saltem Græcæ linguæ cognitione, et annos ad minimum sex et viginti nati; et, si Anglus fuerit, sit ad minimum Artium Magister, quam conditionem in exteris nihil moramur.

§ 3. *De Electoribus et Electione.*

Horum porro Professorum libera electio et dispositio, quoties vacaverint, aut eorum alterius, quocunque modo vacaverit, commissa est illustrissimis viris, qui pro tempore fuerint, Archiepiscopo Cantuariensi, Cancellario Angliæ sive Custodi Magni Sigilli, Cancellario Universitatis Oxoniensis, Episcopo Londinensi, Principali Secretario Dominæ Reginæ, Capitali Justiciario ad Placita coram Regina tenenda, Capitali Justiciario de Banco, Capitali Baroni Scaccarii, et Decano Curiæ de Arcubus aut majori parti eorum, advocato, si ipsis visum fuerit, in consilium Vice-Cancellario Universitatis Oxoniensis. Ad Vice-Cancellarii autem munus pertinebit, vacante quacunque ex causa Professoris alicujus loco, quam cito fieri commode poterit, Dominis Electoribus de Vacatione significare; iisdemque tradere in Scriptis tenorem hujus Statuti et præcedentis. Qui, vel immediate ad electionem novi Professoris juxta conditiones et qualitates prænotatas, procedant, si de idoneo Professore statim provideri poterit, vel potius, si ipsis ita videbitur, expectent ad aliquod tempus, puta sex vel octo mensium, dum nuntiis ad exteras nationes, opera et diligentia Principalis Secretarii, vel alias, missis, intelligant utrum in transmarinis universitatibus, vel extra, præstans aliquis Mathematicus possit huc nostris conditionibus protrahi, ad faciendam Professionem, et ad hanc rem sumptus suppeditentur ex proventibus Vacationum. Illustrissimos autem Dominos quam humillime exoratos volumus, ut sine ullo respectu dependentiæ, sine ullo discrimine Universitatum aut Nationum, eos solum eligant quos maxime idoneos existimarint ad illud munus obeundum; utque statim, expedita electione, Instrumentum publicum inde fieri jubeant, ad Universitatem, quamprimum illis visum fuerit, transmittendum. Cujus sic electi admissio fiat solenniter in domo Congregationis per Universitatem statim et immediate post Instrumentum prædictum receptum, cessante legitimo impedimento, et in admissione omnia observentur quæ in Professoribus admittendis fieri soleant.

§ 4. *De Prædiorum Administratione et de Stipendiis utriusque Professoris.*

Prædiorum Savilianorum administratio sit penes Delegatos prædiorum Universitatis. Quicquid, post reparationes et cæteras necessarias expensas, ex eorum proventibus supererit, Professoribus Savilianis æqualiter distribuat Vice-Cancellarius. At si utrique Professori libras trecentas pendendo non sufficiant prædiorum proventus, quicquid defecerit solvat Professoribus Vice-Cancellarius e cista Academica.

SECTIO IV.

De Professore Sedleiano.

1. Professor Sedleianus eligatur a Vice-Cancellario, Procuratoribus, Præside Collegii Magdalenensis, Custode Collegii Omnium Animarum, utroque Professore Saviliano, et a Professore Philosophiæ Experimentalis. In æqualitate suffragiorum rem decidat Vice-Cancellarius. Professor Sedleianus Physicam quam vocant Mathematicam tractet. Duas ad minimum lectionum series quotannis in duobus discretis terminis legat, scilicet per sex septimanas in utroque termino, et bis ad minimum in qualibet septimana; et per octo unius alicujus termini septimanas quotannis, semel ad minus in qualibet septimana per unius horæ spatium vacet instruendis auditoribus in iis quæ melius sine ulla solennitate tradi possunt.

2. Professoris Sedleiani prædia administrent Delegati prædiorum Universitatis, et quicquid inde supererit post justas expensas, Professori tradatur. At si Professori libras trecentas pendendo non suffecerint prædiorum proventus, Professori, quidquid defecerit, e Cista Academica solvat Vice-Cancellarius.

SECTIO V.

De Professore Moralis Philosophiæ.

1. Professor eligatur a Vice-Cancellario, Procuratoribus, Decano Ædis Christi, Præsidibus Collegiorum Magdalenensis et D. Joannis Baptistæ, Professoribus Juris Anglicani, Historiæ Modernæ, et Dialectices. In æqualitate suffragiorum rem decidat Vice-Cancellarius.

2. Professor antequam munus suum ineat jus intrandi Domum Convocationis habere teneatur.

3. Quæ nunc percipit emolumenta, percipiat Professor; et ad summam trecentarum librarum, præter feoda legitima, augeantur e cista Academica.

Legat Professor quotannis duas Lectionum series in duobus discretis terminis, scilicet per sex septimanas in utroque termino, et bis ad minimum in unaquaque septimana: atque insuper per octo septimanas unius alicujus termini semel ad minus in qualibet septimana per unius horæ spatium vacet instruendis auditoribus in iis quæ melius sine ulla solennitate tradi possunt; discipulorum profectum quæstionibus statim enucleandis ad examen revocet, et iis exercitationes, si ipsi ita libuerit, domi in scriptis tractandas proponat.

SECTIO VI.

De Professore Anatomiæ Tomlinsiano et Aldrichiano.

1. Quum primum vacaverit Medicinæ Professoris Regii Officium, aut maturius, si id, consentiente qui nunc est Professore Regio, fieri possit,

munera Professorum Anatomiæ a Ricardo Tomlins et a Georgio Aldrich constituta, a munere Medicinæ Professoris Regii disjungantur; et ex utriusque loci proventibus sustentetur Professor unus qui Anatomiæ et Physiologiæ docendis vacet.

2. Eligatnr Professor Anatomiæ a Vice-Cancellario, Procuratoribus, Professore Medicinæ Regio, Professore Chemiæ, Professore Botanices, Professore Philosophiæ Experimentalis, Professore Geologiæ, Professore Mineralogiæ. In æqnalitate suffragiorum rem decidat Vice-Cancellarius.

3. Professor antequam munns suum ineat jus intrandi Domum Convocationis habere teneatur.

4. Duas saltem series Lectionum quotannis diversis terminis habeat; et bis ad minimnm in unaquaque sex hebdomadum legat. Anatomiam et Physiologiam generalem, et specialiter humanam, tractet. Id autem sedulo curet ne auditoribus desint occasiones ita se exercendi, nt evadant manlbns oculisque harum rerum usu periti.

SECTIO VII.

De Professore Medicinæ Aldrichiano.

Quum primum a munere Professoris Medicinæ Regii disjuncta fuerit Lectura Anatomiæ Aldrichiana, conjungantur munera Professoris Medicinæ Regii necnon Professoris Medicinæ Aldrichiani; ita ut Professor Medicinæ Regins pro tempore existens perpetuus sit Professor Aldrichianus.

SECTIO VIII.

De Professore Chemiæ Aldrichiano.

Legat quotannis Professor duas Lectionum series discretis terminis, scilicet per sex hebdomadas in utroque horum terminorum bis ad minimum in unaquaque hebdomade.

SECTIO IX.

De Professore Linguæ Arabicæ Laudiano.

1. Eligatur Professor a Præsidibus Collegiorum D. Joannis Baptistæ et Magdalenensis, Custodibus Collegiorum Novi, Mertonensis, et Omnium Animarum, Professore Linguæ Hebraicæ Regio, Professore Linguæ Arabicæ Domini Eleemosynarii Regii, Professore Linguæ Sanscriticæ, Professore Linguæ Græcæ Regio, et Professore Linguæ et Literarum Latinarum. In æqualitate suffragiorum rem decidat Vice-Cancellarius.

2. Professor antequam munus suum ineat jus intrandi Domum Convocationis habere teneatur.

3. Diligenter instruat sive in Lingua Arabica sive Syriaca Professor Academicos omnes eum adeuntes.

SECTIO X.

De Professore Linguæ Anglo-Saxonicæ Rawlinsoniano.

1. Eligatur Professor Rawlinsonianus Linguæ Anglo-Saxonicæ a Congregatione Universitatis Oxoniensis, ex iis qui jus intrandi Domum Convocationis habent. Candidatus maxime idoneus eligatur, ubicunque et e quacunque prosapia natus fuerit, ex quolibet sit Collegio, aut quibusvis honoribus ornatus fuerit; nec in Professore cœlibatum exigimus.

2. Prælectionum Seriem Lecturas duodecim ad minimum complectentem, hora locoque idoneis, habeat quotannis Professor.

SECTIO XI.

De Custode Musei Ashmoleani.

Custos Musei Ashmoleani stipendio a Doctore Rawlinson legato fruatur, ubicunque et e quacunque prosapia natus, quocunque gradu vel honoribus insignitus sit; et quamvis laicus aut cœlebs non sit.

SECTIO XII.

De Scholaribus Baronis Craven.

1. Scholares e fundatione viri honoratissimi Joannis Baronis Craven in triennium eligant tres Examinatores, a Vice-Cancellario, Professoribus Regiis, Professoribus Historiæ Camdeniano et Linguæ Literarumque Latinarum, et Oratore Academiæ Publico sive e suo ipsorum numero, sive ex aliis qui gradu Artium Magistri, Baccalaurei in Jure Civili, vel Baccalaurei in Medicina insigniti sint, nominandi.

2. Examinatio fiat quotannis in Termino SS. Trinitatis in Literis Græcis et Latinis et Arte de his Critica et Philologica.

3. Quinque sint scholares inter quos reditus annui æqualiter dividantur; duo ex antiqua, tres reliqui e recentiore fundatione.

4. Scholares ex antiqua fundatione juxta voluntatem fundatoris ita eligantur ut Candidati qui sunt ex ejus consanguinitate cæteris præponantur, modo non habeant aliunde quod de suo expendant duplum ejus stipendii quod Scholari unicuique e reditibus Cravenianis pendatur: proviso insuper quod intra Academiam residere inceperint, necdum terminum a matriculatione duodecimum excesserint. Quibus consanguineis deficientibus, eodem modo et sub iisdem conditionibus quibus in recentiore fundatione fiat electio.

5. In recentiorem fundationem Scholaris unus quotannis libere eligatur

ex iis qui Examen Publicum secundum in una saltem schola subierint, necdum terminum a matriculatione vicesimum quartum excesserint.

6. Candidatus unusquisque Examinatoribus exhibere teneatur testimonium de bonis moribus, chirographo Præfecti Domus suæ sive Vicemgerentis ejus munitum.

7. Iis qui nunc sunt scholares jura sua in omnibus reserventur: cauto tamen in posterum ne plures quam duo e consanguinitate fundatoris suo privilegio eodem tempore fruantur.

In iis quæ de Professorum officiis supra statuta sunt Terminus Paschatis et Terminus Trinitatis pro uno Termino habeantur.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die quarto mensis Februarii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die duodecimo, et in eadem Domo die vicesimo primo ejusdem mensis Februarii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die sexto mensis Martii anno Domini MDCCCLVI.

ADDENDA, DE QUIBUSDAM DOTATIONIBUS.

STATUTUM NOVUM.

De quibusdam dotationibus quæ ante annos quinquaginta ab A. D. 1854 *exstiterint.*

SECTIO XIV.

Placuit Universitati, Statuta in Tit. IV. Sect. I. §. 6. Addend. p. 1, post p. 321 [Corp. Stat. p. 15] *De Prælectore Musicæ*, &c., atque Append. p. 45, Statuta Doctoris Heather, *De Musices Praxi Hebdomadali*, abrogare, et in eorum locum subrogare hæc quæ sequuntur,

De Professore Musicæ et de Chorago per Doctorem Heather institutis.

Professor Musicæ a Gulielmo Heather Musicæ Doctore institutus semel vel sæpius in unoquoque anni Termino, in Schola Musicæ, vel alio loco idoneo quem Vice-Cancellarius assignaverit, illius artis theoriam legat, interposito, quando opus sit, vel cantu, vel instrumentorum musicorum modulatione.

Choragus, sive Præfectus Musicæ, secundum ordinationes Gulielmi Heather institutus, constantem Musicæ Practicæ exercitationem habendam curet, excipiendo in Schola Musicæ, vel alio loco commodo quem Vice-Cancellarius assignaverit, saltem bis in quaque septimana, durante pleno Termino, Academicos quicunque musicam exercendi studio illuc venerint.

Professor, si munia sua secundum judicium Vice-Cancellarii et Procuratorum impleverit, recipiat quotannis e fisco Academico centum Libras præter pecunias ei a Nathaniele Barone Crew episcopo Dunelmensi legatas. Choragus recipiat summam illam quam olim Gulielmus Heather e suis reditibus ei numeraverat, scilicet xiii Libras vi Solidos et viii Denarios.

Professorem posthac nominent Vice-Cancellarius, Custos Collegii Novi, Præses Collegii Magdalenensis, Decanus Ædis Christi, Præses Collegii D. Joannis Baptistæ, Procuratores duo, Professores Saviliani, Professor Poeticæ, vel eorum major pars, a Domo Convocationis approbandum.

Choragum nominent Vice-Cancellarius, Duo Procuratores, Professor

Musicæ, et Orator Publicus, vel eorum major pars, a Domo Convocationis approbandum.

Placuit Universitati hæc statuere quæ sequuntur,

De Præcentore sive Coryphæo, et de Schola Musicæ Practicæ.

Præcentor, sive Coryphæus, una cum Chorago bipartita opera constantem Musicæ Practicæ exercitationem habendam curet. Hujus vero exercitationis regimen habeat Professor, modum et materiam præcipiat, distributionem studentium in classes approbet, ipsis musicam exercentibus sæpius adsit et præsideat, et impendia in rebus necessariis facienda dirigat. Academicos quicunque ad Scholam studio Musicam exercendi venerint, in classes distribuant secundum singulorum peritiam, prout omnibus maxime profuturum sit, probante Professore Musicæ, et in praxi musicæ erudiant Choragus et Præcentor. Qui ad praxim admitti velint, conferant in impensas unoquoque Termino quisque summam quæ ne duodecim solidos excedat. Has vero pecunias erogandas curet Professor partim in ea quæ praxi musicæ agendæ necessaria sunt, puta pueros symphoniacos, reliquas autem in salaria æqualiter dispertiat Chorago et Præcentori; probante Vice-Cancellario, cui Professor exhibeat quotannis sub initium Magnarum Feriarum computum receptorum et impensorum in Schola Musicæ Practicæ; hunc vero Vice-Cancellarius inter rationes suas referat.

Scholares musicæ studentes, qui impensa opera in praxim musicam per Terminos saltem quatuor, satis periti esse comprobentur judicio Professoris, Choragi, et Præcentoris, vel Professoris atque utriusvis alterius horum, fruantur privilegiis et commodis Scholæ Musicæ gratuito; sed teneantur tamen Professori opitulari ad illustrandas Lectiones ejus publicas de musica arte, si ab eo requisiti fuerint in Academia præsentes nec negotiis Academicis præpediti.

Societates jam privatim intra Academiam constitutæ ad exercendam Musicam, si intra unum Terminum post sancitum hoc Statutum ad Scholam Musicæ Practicæ sese adcensuerint, tum harum socii singuli dimidium tantummodo summæ supra dictæ conferant in impensas.

Præcentorem sive Coryphæum nominet Professor Musicæ a Domo Convocationis approbandum.

Libri musici, scilicet notis musicis impressi, qui nunc in Bibliotheca Bodleiana et in Museo Ashmoleano reponuntur, transferantur, quantum Curatoribus Bibliothecæ et Custodi Musei, de utroque loco,

visum fuerit, in Scholam Musicæ, quæ nunc est, atque ibi conserventur, una cum illis qui ibidem nunc habentur. Liceat tamen inde libros impressos, si qui ad praxim musicæ præcipue utiles sint, rogatu Choragi vel Præcentoris, foras ad eum locum portare in quo Schola Musicæ Practicæ habeatur. Horum omnium librorum curam habeat et custos sit Professor Musicæ: ita tamen ut ne alienentur a Bibliotheca Bodleiana, cujus Curatores possint et teneantur eos inspicere et visitare, quando opus sit: atque ut Professor ad eosdem Curatores referat quicquid de iis insuper agendum esse censeat.

Siqua instrumenta musica possideat Academia, quæ ad usum Scholæ Musicæ Practicæ dicata fuerint, hæc custodiant Choragus et Præcentor, reficienda, quoties usu fatiscant, sumtibus Academicis, probante Vice-Cancellario.

In Statutis de Professore Musicæ et de Schola Musicæ Practicæ Terminus Paschatis et Terminus Trinitatis pro uno computentur.

Placuit Universitati, Statuta in Tit. VI. Sect. III. §. 2, et §. 4, abrogare, et in eorum locum subrogare hæc quæ sequuntur, Corp. Stat. pp. 39. 40.

§. 2. *De Exercitiis pro Gradu Baccalaurei in Musica præstandis.*

Qui ad Baccalaureatum in Musica promoveri cupit, priusquam pro Gratia sua supplicet, examen subeat, et Canticum componat. Examen illud habeatur quotannis in Termino Paschatis vel Trinitatis a Professore Musicæ, Chorago, et alio quolibet in Universitate Graduato quem Vice-Cancellarius et Procuratores nominaverint Domus autem Convocationis approbaverit, et fiat partim viva voce interrogando et respondendo, partim per scripta. Cantici vero hæc sit ratio, scilicet ut sit quatuor saltem partium cum modulatione organi solius, vel instrumentorum chordatorum non plurium quam quinque; et quando judicio Professoris permittatur, Candidatus data fide, addito etiam chirographo suo, protestetur se Canticum illud totum composuisse: sin minus, ad Gradum ne præsentetur. Probatum vero Canticum publice tam vocibus quam instrumentis musicis exhibeat; et postea, antequam ad Gradum præsentetur, exemplar ejus in manum Professoris tradat reponendum in Schola Musicæ.

§. 4. *De Exercitiis per Inceptorem in Musica præstandis.*

Baccalaureus Musicæ, priusquam ad incipiendum in eadem Facultate admittatur, examen subeat, et Canticum componat. Examen

illud habeatur quotannis eodem Termino et ab iisdem personis et eodem modo, quibus ante capessendum Gradum Baccalaurei, nisi quod nulla sit viva voce interrogatio. Cantici vero hæc sit ratio, scilicet ut sit octo partium cum modulatione plenæ orchestræ. Candidatus quoque eodem modo, quo supra dictum est, testetur se Canticum illud composuisse. Probatum Canticum publice vocibus et instrumentis musicis exhibeat; et postea, antequam ad Gradum præsentetur, exemplar ejus in manum Professoris tradat reponendum in Schola Musicæ. Quibus exercitiis per eundem præstitis, per publicum ejusdem Facultatis Prælectorem Heatherianum, aut alium quemvis per eundem assignatum, Gratia ipsius in Domo Congregationis proponatur; qua concessa, per eundem Professorem Heatherianum, si jus habeat in Convocatione suffragandi, sin minus, per alterutrum Professorem Savilianum, (qui ad hoc alternis præstandum teneantur,) vel per alium quemvis in Artibus Magistrum ab iis deputatum, ad Gradum præsentetur.

Placuit Universitati, in Formula Gratiæ Pro Gradu Baccalaurei in Musica, Addend. p. 500, abrogare verbum, —quinque, et pro eo subrogare, quatuor saltem;

)t, Pro Gradu Inceptoris in Musica, ibid. abrogare verba, —sex vel.

et, in Addend. p. 503, abrogare verba, —et unum canticum sex vel octo partium in iisdem Comitiis exhibuerit.

Hæc quæ nunc statuuntur de Exercitiis ad Gradus in Musica capessendos necessariis, illos obligent omnes qui Baccalaureatum in Musica ambibunt post primum diem Termini Michaelis A. D. 1856.

De Statutis his rogandis, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die duodevicesimo mensis Februarii. Promulgata sunt eadem Statuta in Domo Congregationis die vicesimo sexto ejusdem mensis Februarii, et in eadem Domo die sexto mensis Martii probata; tandem in Convocatione publicata et confirmata die decimo tertio ejusdem mensis Martii anno Domini MDCCCLVI.

Placuit Universitati Stat. Tit. VI. Sect. I. §. 3. 1. (Add. 444. l. 30.)

post verba

"diebus suprascriptis"

hæc verba abrogare,

"hora decima matutina"

Item, Stat. Tit. VI. Sect. I. §. 3. 1. (Add. 445. l. 6.)

hoc verbum abrogare,

"quem"

et in ejus locum subrogare,

"et hora quos"

Item, Stat. Tit. VI. Sect. I. §. 3. 1. (Add. 445. l. 12.)

hæc verba abrogare,

"*Responsiones in Parviso in diem —— prorogantur.*"

et in eorum locum subrogare,

"*Responsiones in Parviso in diem——et horam——prorogantur.*"

Placuit Universitati Stat. Tit. VI. Sect. I. §. 3. 2. (Add. 425. l. 25.)

hæc verba abrogare,

"Hora decima matutina in Responsionibus uniuscujusque diei incipiendis servetur."

et in eorum locum subrogare,

"Horam Responsionibus uniuscujusque diei incipiendis destinatam justa monitione indicent Magistri Scholarum."

Item, Tit. VI. Sect. I. §. 3. 11. (Add. 427. l. 20.)

post verba

"Magister Scholarum Senior"

hæc verba abrogare,

"diem Responsionibus continuandis destinatum."

et in eorum locum subrogare,

"diem et horam Responsionibus continuandis destinatos."

Placuit Universitati Stat. Tit. IX. Sect. II. §. 4. 9. (Add. 451. l. 21.

hæc verba abrogare,

"hora decima matutina."

Item, Stat. Tit. IX. Sect. II. §. 4. 17. (Add. 453. l. 22.
hæc verba abrogare,
"diem Examinationi continuandæ destinatum."
et in eorum locum subrogare,
"diem et horam Examinationi continuandæ destinatos."

Item, Stat. Tit. IX. Sect. II. §. 4. 20. (Add. 454. l. 14.)
post hoc verbum
"diem"
inserere
"et horam"

Placuit Universitati Stat. Tit. IX. Sect. II. §. 4. 20. (Add. 454. l. 19.)
post hæc verba
"*in Disciplinis Mathematicis die* ——"
inserere
"*et hora* ——."

Item, Stat. Tit. IX. Sect. II. §. 4. 24. (Add. 455. l. 8.)
hæc verba abrogare,
"de die quem"
et in eorum locum subrogare,
"de die et hora quos"

Item, Stat. Tit. IX. Sect. II. §. 4. 24. (Add. 455. l. 15.)
post hoc verbum
"*die* ——"
hæc verba inserere,
'*et hora* ——."

Placuit Universitati Stat. Tit. IX. Sect. II. §. 4. 25. (Add. 455. l. 19.)
hæc verba abrogare,
"Hora decima matutina in Examinatione uniuscujusque diei incipienda semper servetur;"
et in eorum locum subrogare,
"Horam Examinationi uniuscujusque diei incipiendæ destinatam justa monitione indicent Moderatores;"

Placuit Universitati Stat. Tit. IX. Sect. II. §. 8. 13. (Add. 465. l. 18.)

hæc verba abrogare,

"hora decima matutina,"

Item, Stat. Tit. IX. Sect. II. §. 8. 18. (Add. 466. l. 16.)

post hoc verbum

"diem"

inserere

"et horam"

Item, Stat. Tit. IX. Sect. II. §. 8. 18. (Add. 466. l. 21.)

post verbum

"*die* ——"

hæc verba inserere,

"*et hora* ——"

Item, Stat. Tit. IX. Sect. II. §. 8. 22. (Add. 467. l. 5.)

post verbum

"diem"

hæc verba inserere,

"et horam"

Item, Stat. Tit. IX. Sect. II. §. 8. 22. (Add. 467. l. 7.)

hæc verba abrogare,

"diem constitutum,"

et in eorum locum subrogare,

"diem et horam constitutos."

Item, Stat. Tit. IX. Sect. II. §. 8. 31. (Add. 468. l. 34.)

hæc verba abrogare,

"diem Examinationi continuandæ destinatum."

et hæc verba subrogare,

"diem et horam Examinationi continuandæ destinatos."

Item, Stat. Tit. IX. Sect. II. §. 8. 36. (Add. 470. l. 6.)

hoc verbum abrogare,

"quem,"

et in ejus locum subrogare,

"et hora quos."

Placuit Universitati, Stat. Tit. IX. Sect. II. §. 8. 36. (Add. 470. l. 13.)
post hoc verbum
"*die* ——"
hæc verba inserere,
"*et hora* ——"

Item, Stat. Tit. IX. Sect. II. §. 8. 37. (Add. 470. l. 17.)
hæc verba abrogare,
"Hora decima matutina in Examinatione uniuscujusque diei incipienda semper servetur,"
et in eorum locum subrogare,
"Horam Examinationi uniuscujusque diei incipiendæ destinatam iusta monitione indicent Examinatores."

Placuit Universitati Stat. Tit. IX. Sect. II. §. 6. 3. (Add. 460. l. 9.)
post verba,
"functus fuerit"
hæc verba abrogare,
"eodem officio in eadem Schola, nisi post biennium elapsum,"
et in eorum locum subrogare,
"in Scholis Scientiarum Mathematicarum et Physicarum, et Scientiæ Naturalis, et Jurisprudentiæ et Historiæ Modernæ, nisi post unam Examinationem peractam; et in Schola Literarum Humaniorum, nisi post unum annum elapsum, eodem officio in eadem Schola,"

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo nono mensis Februarii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die sexto mensis Martii, et in eadem Domo die decimo tertio ejusdem mensis Martii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo mensis Aprilis anno Domini MDCCCLVI.

Placuit Universitati in Addend. p. 499. inserere post "§. 4."

"*Formula petendi gratiam pro Studioso in Jure Civili,*

Supplicat Venerabili huic Congregationi A. B. Scholaris e Collegio C. in quo (*vel, si tempus non in uno aliquo Collegio vel Aula compleverit,* in quo partim, partim in Collegio vel Aula A.) non in domo aliqua privata, per integrum tempus ad Gradum Baccalaurei in Artibus per Statuta requisitum, ipsum cubile et victum continue sumpsisse scio, quatenus Terminum decimum sextum a Matriculatione attigerit; Examen publicum pro Gradu subierit; et reliqua compleverit omnia, quæ per Statuta Universitatis requiruntur; ut hæc sibi sufficiant, quo admittatur ad statum Studiosi in Jure Civili.

§. 5."

Item placuit in p. 503. post

"DE PRÆSENTATIONIBUS"

abrogare verbum

"GRADUANDORUM," et inserere

"*Formula præsentandi ad statum Studiosi in Jure Civili.*

"Insignissime Vice-Cancellarie, vosque Egregii Procuratores, præsento vobis hunc meum Scholarem (*vel* hos meos Scholares) ut admittatur (*vel* admittantur) ad statum Studiosi in Jure Civili."

necnon in p. 504. post "Sectio VII." inserere

"*De Admissione Studiosi in Jure Civili.*"

et post verbum "tum,"

"si præsententur ad statum Studiosi in Jure Civili, Vice-Cancellarius dicet, "Domine, (*vel Domini, si plures fuerint,*) ego admitto te (*vel vos*) ad statum Studiosi in Jure Civili;"

Placuit Universitati in Statuto de Feodis, p. 517. post verba

"Solvat unusquisque admittendus" inserere

"Ad statum S. C. L. . . . £7 10*s*."

In p. 518. post verba

"Gradum Baccalaurei"

hæc verba

"in quavis Superiorum Facultatum £14"

abrogare, et in eorum locum substituere

"in Jure Civili . . . . £6 10*s*."

"Baccalaurei in S. Theologia . . . . £14."

"Baccalaurei in Medicina . . . . . £14."

Item placuit in p. 521. post verba
"Pro unaquaque admissione ad" inserere
"Statum Studiosi in Jure Civili,"
et post verba
"ad Gradum Baccalaurei Artium"
abrogare
"ad Gradum Baccalaurei in Jure Civili."

Item post verba
"Pro admissione unaquaque" inserere
"Ad Statum Studiosi in Jure Civili . . . 13*s.* 4*d.*"

Necnon post "M. A." inserere
M. A. si sit B. C. L. et feoda pro admissione ad Statum Studiosi in Jure Civili persolverit . . . . £1 3*s.* 6*d.*"

Item post verba
"admissione unaquaque" inserere
"ad Statum Studiosi in Jure Civili . . 12*s.*"

Item iterum post verba
"unaquaque admissione ad Gradum B. A." inserere
"vel ad Statum Studiosi in Jure Civili."

Item placuit Universitati Add. Tit. IX. Sect. III. §. 4. p. 501. verbum "Scholaris" abrogare, et in ejus locum subrogare "Studiosus."

Necnon in Tit. VI. Sect. IV. inserere post
"A. B." hæc verba "ad Statum Studiosi in Jure Civili, vel ad Gradum Baccalaurei in Artibus admissus fuerit,"

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo nono mensis Februarii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die sexto mensis Martii, et in eadem Domo die decimo tertio ejusdem mensis Martii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo mensis Aprilis anno Domini MDCCCLVI.

TIT. X.

DE MAGNA CONGREGATIONE.

SECTIO I.

De Personis ex quibus constat magna Congregatio sive Convocatio Magistrorum Regentium et non-Regentium.

Placuit Universitati abrogare

"Cum nullo" Corp. p. 115 —— "persolverunt" p. 116.

et hæc quæ sequuntur verba subrogare:

Ad magnam Congregationem sive Convocationem accedant, et jus ibidem deliberandi et suffragandi habeant:

Primo, Cancellarius, sive Vice-Cancellarius, et ambo Procuratores, sive eorum Deputati.

Secundo, Omnes Doctores in Sacra Theologia, Medicina, vel Jure Civili, et Magistri, necessario Regentes.

Tertio, Omnes Collegiorum et Aularum Præfecti et eorum Deputati, omnes quotquot de Fundatione alicujus Collegii sint, omnes Professores et Prælectores Publici, omnes insuper Doctores in Sacra Theologia, Medicina, vel Jure Civili intra Universitatis præcinctum familiam alentes; modo rexerint et Feoda Universitati debita persolverint. Qui vero hæc Feoda persolvere aut recusaverint, aut moniti neglexerint, iis, cujuscunque sint Ordinis, nullum jus suffragandi concedimus.

Quarto, Omnes Doctores et Magistri, qui aliquando in aliqua Facultate rexerint, et a tempore capessendi Gradum sive Magistri sive Doctoris in libro Promptuarii alicujus sive Collegii sive Aulæ nomina inscripta habuerint, aut, si ab Universitate discesserint, ad jus suffragii juxta Statuta denuo admissi fuerint, et Feoda Universitati debita persolverint.

Placuit etiam abrogare,

Corp. p. 116. l. 14. verba "Exercitium aut"

et l. 29. verba "Proviso tamen —— statutum est quod" l. 35.

Item, l. 38. post verba "Honoris causa" verba "aut ad eundem gradum statum et dignitatem sine Incorporatione" inserere.

Item, abrogare p. 117. l. 5. verba "una cum —— degentium"

et l. 10. verba "Exercitia præstanda, et"

§. 2. *De modo indicendi Convocationem Magnum, et ad eam conveniendi.*

Placuit Universitati abrogare verba
Corp. p. 117. " Statutum est quod —— consideant,"
et in eorum locum hæc subrogare:
sive in Termino, sive in Vacatione, Vice-Cancellarius eos qui jus suffragii habent de die et hora assignatis justa monitione modo consueto certiores faciat.

Hora autem constituta post pulsationem parvæ Campanæ, Doctores, Magistri Regentes et non Regentes ad Domum Convocationis accedant; et præeunte Vice-Cancellario, et uno e Bedellis proclamante (*Magistri intretis in Convocationem, per fidem intretis*) locum Convocationi destinatum ingrediantur, et in locis sibi assignatis consideant.

Sectio II. §. 1.

Placuit Universitati abrogare verba
Corp. p. 118. " Veluti de —— concedendis,"
et in eorum locum hæc subrogare:
Veluti de Decretis condendis vel revocandis, de Statutis rogandis vel abrogandis, de Officiariorum Electionibus, de Delegatis ad certa negotia nominandis—
et post verbum
" approbandis,"
inserere verba
" si quando ex usu Academiæ futurum videbitur."

Placuit Universitati,
abrogare Tit. X. Sect. II. §. 2. §. 3. §. 4. §. 5.
Item, De Statutis, &c. Addend. p. 480.
Item, Tit. X. Sect. II. §. 2. p. 510.
Item, Tit. X. Sect. II. §. 4. p. 438.
et hæc quæ sequuntur subrogare,

§. 2.—*De Statutis et Decretis in Domo Convocationis condendis.*

Si quando ex usu Academiæ futurum videbitur aliquid statuere vel decernere, priusquam Statutum quodvis vel Decretum suffragiis

Magistrorum Regentium et non Regentium permittatur, primo in Hebdomadali Concilio tractetur negotium.

Atque ubi, re mature perpensa, in eo convenerit de verbis conceptis sub quibus Statutum vel Decretum condendum videbitur, Statutum quodvis post justam monitionem in Congregatione Universitatis Oxoniensis promulgetur, dein in Congregatione iterum post spatium tridui integrum ad minimum proponatur, et si a Congregatione acceptum fuerit, post integrum septem dierum spatium ad minimum Convocationi submittatur.

In qua, iisdem verbis quibus in Congregatione propositum fuerat, per Registrarium, mandato Vice-Cancellarii, palam recitetur, et de eodem Regentium et non-Regentium suffragia rogentur. Si autem in Domo Convocationis approbatum fuerit, vim suam ex eo die, nisi aliter in ipso Statuto provisum sit, sortiatur.

Decretum vero quodvis, ut moris fuit, immediate sine Congregationis auctoritate, Convocationi post justam monitionem submittatur.

Si quod vero delictum inciderit, contra quod speciali nullo Statuto cautum fuerit, Vice-Cancellarius cum consensu Concilii Hebdomadalis pro arbitrio pœnam irroget; donec speciali aliquo Statuto contra hujusmodi delictum provisum fuerit.

§. 3. *De Statutis Universitatis custodiendis.*

Ut Statuta omnia in posterum condenda fideliter custodiantur, Registrarius Registra duo ad hunc usum idonea comparet, in quorum utroque unum exemplar seu manu scriptum seu typis mandatum Statuti cujusvis inserendum curet. Hæc autem exemplaria priusquam inserantur Vice-Cancellarius et Procuratores diligenter inspiciant, et si nullus in iis insit error, chirographo suo muniant; quæ deinde authentica exemplaria Statuti cujusvis habeantur.

Horum Registrorum custodiam habeat Registrarius donec ad umbilicum perducta erunt, ubi alterum in Archivis Universitatis, alterum in Bibliotheca Bodleiana reponatur.

Interea, ea inspiciendi copia fiat a Registrario id volentibus Academicis.

§. 4. *De materia Decretorum.*

Cum Statutorum rigorem, modo privatis hominum commoditatibus, modo necessitatibus ipsorum, attemperari quandoque expediat, liceat

V. Domo Convocationis, Vice-Cancellario, cum consensu Concilii Hebdomadalis, rem proponente, his casibus Decreto consulere.

Scilicet si qui hujus Universitatis alumni perspectæ probitatis et eruditionis viri, quique per quindecim annorum spatium (computandum ab admissione eorum ad Regendum) Theologiæ operam navarunt, præstitis prius pro utrovis Gradu requisitis Exercitiis, Gradus cumulare sive simul capessere desiderent.

Vel si Gradum Academicum in quemvis Decreto aut Diplomate conferre placuerit.

Vel si in Prælatos quosvis, Magnates, vel Nobiles, aliisve nominibus illustres viros, honoris causa, Gradus Academicos intra Academiam conferre placuerit.

Vel si Universitati eosdem extra Academiam, (missis qui Cancellarium, Procuratores et Magistros Regentes repræsentent,) iisdem Gradibus ornare visum fuerit.

Et universim si qui alii fuerint casus, disciplinæ Academicæ non repugnantes, (causa prius a Concilio Hebdomadali approbata) Decreta in Domo Convocationis proponi liceat, et pro ratis haberi, si Vice-Cancellarius, Procuratores, et major pars Regentium et non-Regentium assensum præbuerint.

Placuit etiam Tit. XI. §. 3. l. 2. post verbum "nisi" verbum "cuiquam" et l. 3. post verbum "Cancellarius" verba "vel in Decretis proponendis Vice-Cancellarius" inserere.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die tertio mensis Martii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die octavo, et in eadem Domo die decimo tertio ejusdem mensis Martii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo mensis Aprilis anno Domini MDCCCLVI.

1855

EX RELATIONE CURATORUM.

STATUTA BIBLIOTHECÆ PUBLICÆ BODLEIANÆ
IN UNUM REDACTA.

Abrogentur Statuta, Tit. XX. §. 5. (Corp. p. 188.) Stat. A.D. 1610 (App. pp. 5—21); Statuta et Ordinationes A.D. 1613 (Ib. p. 22—25); Ordinationes A.D. 1615 (Ib. p. 25—27); Ordinationes A.D. 1621 (Ib. p. 27); Statutum Novum A.D. 1769 (Add. pp. 98, 9); Statutum Novum de necessitatibus Biblioth. Bodl. A.D. 1780 (Ib. pp. 104, 5); Statutum Novum Bibl. Bodl. A.D. 1813 (Ib. pp. 199—207); verba "Forma juramenti" usque ad "adjuvet, &c." Tit. IX., Sect. 6. §. 1. (Corp. p. 96, 7. et Add. pp. 252, 311, 12, 320.) Statutum Novum A.D. 1836 (Ib. pp. 315, 16); Statutum Novum A.D. 1837 (Ib. p. 319); Stat. A.D. 1838. p. 320, 1; Clausula A.D. 1847 (Add. p. 342); et in Stat. Tit. XIX. de Feodis §. 14. p. 520. verba "Bibliothecæ Bodleianæ Custos," et p. 521. verba "Bibliothecæ Bodleianæ, qui nunc est, Proto-Bibliothecario" usque ad "viginti libras;" et p. 522. verba "Item pendantur a Vice-Cancellario Bibliothecæ Bodleianæ" usque ad "Quivis alius 0 „ 10 „ 0,"

et in eorum locum subrogentur hæc quæ sequuntur:

1. *De Bibliothecario.*

BIBLIOTHECÆ custodia tali viro commendetur, qui cum ob assiduam in studiis operam et constantiam celebris emineat, tum ob fidem probitatem prudentiamque bene apud omnes audiat: insuper qui gradu Artium Magistri aut Baccalaurei in Jure Civili vel Medicina ad minimum sit insignitus, et linguarum tum eruditarum quas vocant, tum vulgarium haud imperitus. App. p. 6. Add. p. 315.

2. *De Forma Bibliothecarii eligendi.*

CUM vero qualicunque de causa locum vacare contigerit, post viginti dierum monitionem et in pleno Termino Convocatio habeatur, in qua novus Bibliothecarius subrogetur. Add. p. 515.

Post consummatam electionem, Bibliothecarius spondeat coram Vice-Cancellario, verba præeunte Procuratore seniore: "Tu dabis fidem, te ea omnia fideliter executurum quæ ad officium Bibliothecarii spectant." Resp. Do.

Tum Juramentum de Primatu Regio agnoscendo subeat, simulque Religionis Fideique Articulis subscribat. App. p. 7.

3. *De Bibliothecarii libera recessione vel amotione.*

BIBLIOTHECARIUS si libere velit officio suo cedere, per mensem integrum ante cessionem suam Vice-Cancellario id denuntiet; qui intra triduum postquam resciverit, ostio exteriori Bibliothecæ affixo programmate, idipsum palam omnibus notum faciat. Nullo tamen modo ad munus suum resignandum cogatur Bibliothecarius, nisi ob indignum aliquod facinus perpetratum, aut insignem App. p. 7.

App. p. 19. defectum, diutius in officio permanere ineptus judicetur. Quod si quicquid aut deliquerit aut male administraverit Bibliothecarius, in eo Vice-Cancellarius ex consensu suffragioque Curatorum, admonendi potestatem habeat. Si autem amotionis pœnam mereatur, eam censuram ex decreto Convocationis publice peragi oportet, penes quam eligendi ipsum potestas fuit.

Siquando Bibliothecarius præ infirmiori valetudine aut senectute ingravescente
Add. p. 200. assiduæ in Bibliotheca moræ impar sit, Vice-Cancellarius, cum majoris partis omnium Curatorum consensu, ei, post triginta annos in munere Bibliothecarii vel in muneribus Hypobibliothecarii et Bibliothecarii positos (ita tamen ut per decem annos ad minimum fuerit Bibliothecarius) beneficium annuum trecentarum librarum e pecuniis Bodleianis ad honorem tribuat; si autem per viginti annos Bibliothecæ operam navaverit, ducentas libras. Vice-Cancellarius autem, sicut antea provisum est, alium Bibliothecarium in ejus locum suffici curet.

4. *De Officio et Munere ejusdem.*

Add. p. 200. BIBLIOTHECARIUS totius interioris administrationis curam habeat, et omni ex parte Bibliothecæ dignitati et utilitati semper invigilet.

App. p. 8. Grande illud album, vel nominum quam vocant matriculam penes ipsum servandi perpetuandique potestas sit; in qua describat illorum nomina quorum beneficentia aliquid aut librorum aut pecuniarum aut rerum denique pretiosarum in usum et emolumentum studentium Bibliothecæ accreverit.

Præcipue vero, libris undequaque conquirendis incumbat, iis præsertim, si qui in aliqua facultate majoris momenti desiderari videantur; eumque in finem catalogos librorum passim venalium, tam domi quam foras, diligenter inspiciat; Curatorum aliorumve doctrina insignium virorum, et speciatim Professorum in sua cujusque facultate, consilium adhibeat; nihil denique prætermittat, quo Bibliotheca libris ad omne eruditionis scientiæque genus pertinentibus locupletetur.

App. p. 22. In libris coemendis judicent Curatores; qui tamen multum arbitrio Bibliothecarii relinquere possunt.

App. p. 22. Si autem ex relatione studentium liber aliquis vel plures ibidem desiderentur, curet Bibliothecarius ut statim in libro aliquo in hunc usum destinato inscribantur tituli eorundem librorum, quo, re mature perpensa, si ex usu fore visum fuerit, emantur hi libri et in usum studiosorum in Bibliothecam inferantur.

App. p. 8. Libros qui singulis annis accedant, signo Bibliothecæ antea apposito, juxta facultates, quumprimum per spatium liceat, in classes suas digerat; singulis facultatibus
App. p. 24. catalogos assignet; in Catalogum autem ampliorem nomina auctorum ordine alphabetico referat, titulum operis, qua forma voluminis excusum, quo loco annoque
App. p. 22, editum, subjiciat. Die autem rationum inspiciendarum Catalogum omnium libro-
Add. p. 105. rum qui anno proxime elapso Bibliothecæ accesserint, adscripto singulis libris pretio suo, in manus Curatorum tradat.

App. p. 9. Quod si largitio pecuniaria ad libros coemendos illius fidei concredatur, donatori catalogum titulorum pretiumque singulorum librorum transmittendum curet.

Pecunias quibus ad libros coemendos cæterasve Bibliothecæ impensas opus habeat Bibliothecarius, ei, prout postulabit occasio, suppeditet Vice-Cancellarius, cujus sit Bibliothecæ census accipere et custodire. Bibliothecarius autem rationes ei reddere teneatur; quæ, si usus poscat, proferri per Vice-Cancellarium in suo postea ratiocinio possunt.

App. p. 24. Quod si post Visitationem, aut alias aliquo tempore, ipsi constiterit librum aliquem deesse, intra triduum rem notam faciat Vice-Cancellario et Procuratoribus, ut omni modo de libro illo inquiratur.

5. *De Numero, Ordine, Nominatione, et Muneribus cæterorum Officiariorum et Ministrorum.*

Bibliothecario in partem laboris sui adjungantur Hypobibliothecarii duo, gradu Artium Magistri vel Baccalaurei in Jure Civili vel Medicina ad minimum insigniti, linguarum tum eruditarum quas vocant tum vulgarium haud imperiti. Bibliothecarii arbitrium in omnibus Bibliothecæ negotiis sequi teneantur; Juramentum de Primatu Regio agnoscendo subeant, simulque Religionis Fideique Articulis subscribant. Ambo autem, quantum fieri potest, in Bibliotheca constanter adsint, atque ex Bibliothecarii mandato libris perquirendis ac digerendis, et Catalogis conficiendis dent operam, cæteraque omnia fideliter exsequantur, quæ Bibliothecæ usus et commoda postulare videantur. Add. p. 200. App. p. 12. Add. p. 200.

Hypobibliothecarii nominentur a Bibliothecario, cum majoris partis omnium Curatorum consensu; quæ quidem nominatio suffragiis Venerabilis Domus Convocationis permittatur, præmissa semper a Vice-Cancellario sex dierum publica monitione. Iidem ab officio removeantur, si quid tale meruerint, ex majoris partis omnium Curatorum sententia. Add. p. 316.

Hypobibliothecarii, quamprimum nominati fuerint, eodem modo quo Bibliothecarius, mutatis mutandis, fidelitatem spondeant. Add. p. 316.

Si autem Hypobibliothecarius aliquis, ætate vel morbo ingravescente, officio suo cedere velit, ei, si per spatium triginta annorum Bibliothecæ inservierit, a Vice-Cancellario, cum majoris partis omnium Curatorum consensu, pendantur annuatim ad honorem centum et quinquaginta libræ; alius vero Hypobibliothecarius in ejus locum, modo supradicto, sufficiatur.

Sint præterea tres vel, si ita Curatoribus videatur, etiam plures Ministri, qui Bibliothecario et Hypobibliothecariis præsto adsint, eorum mandata exsequantur, libris perquirendis et reponendis dent operam, et aliis Bibliothecæ usibus, prout res tulerit, ex Superiorum præscripto diligenter inserviant. Add. p. 319.

Ministri nominentur a Bibliothecario, cum majoris partis Curatorum in Universitate præsentium approbatione, et eadem auctoritate ab officio removeantur. Add. p. 316.

Quod ad quotidianam attinet Bibliothecæ curam, Officiarii omnes, quantum fieri potest, in ea constanter adsint. Nulla autem unquam de causa Officiarii omnes simul absint, sed vel Bibliothecarius, vel unus ex Hypobibliothecariis, semper adesse teneatur. Add. p. 201.

Sed ut aliqua saltem absentiæ venia Officiariis hisce concedatur, liceat unicuique eorum extra Academiæ fines interdum versari, modo (præter dies festos atque sollennes quibus Bibliotheca claudenda sit) absentiæ tempus in unoquoque anno septuaginta dies non exsuperet. Quod si merito in plures dies proroganda sit licentia quam præsenti hoc statuto definitum est, communibus in Venerabili Domo Convocationis suffragiis (dierum trium ad minimum publica monitione præmissa) arbitrium permissum esto. Hoc autem sic intelligendum est, ne cuivis Hypobibliothecariorum Academia abesse liceat, dum Bibliothecario foris esse contingat; nec Bibliothecarius, cum præsens sit, amborum Hypobibliothecariorum auxilio simul careat, nisi ex gravi aliqua et perurgenti causa, majori parti Curatorum in Universitate præsentium approbanda.

Ex ministris nemo absit, nisi speciali venia Bibliothecarii prius impetrata; idque sub pœna amotionis.

Absentis Bibliothecarii munere fungatur Hypobibliothecarius senior.

Bibliothecario et Hypobibliothecariis in posterum eligendis interdicatur, ne curæ animarum in ulla Parœcia inserviant, nisi cum consensu majoris partis omnium Curatorum, approbante Convocatione. Add. p. 342.

Janitor longe a janua non discedat; quæ sit ingredientium conditio non segniter observet; Bibliothecario et Hypobibliothecariis obsequium præstet. App. p. 14.

6. *De Stipendiis Officiariorum et Ministrorum, et de pecuniis in usum Bibliothecæ exigendis et erogandis.*

Add. p. 202. Pendat Vice-Cancellarius, e reditibus Bodleianis,

1. Bibliothecario, loco omnium emolumentorum quæ hactenus percepit, libras septingentas,
2. Hypobibliothecario utrique, trecentas,
3. Janitori, quadraginta,

per singulos anni quadrantes æqualibus portionibus dinumerandas.

Add. p. 319. Item, quantum Curatoribus videatur,

1. Pro stipendiis annuis Ministrorum; modo ne quis eorum minus quam viginti vel plus quam centum libras accipiat.
2. Pro stipendiis eorum, qui in Catalogis librorum extra ordinem conficiendis aut alio quovis in usus Bibliothecæ labore versentur.
3. Pro libris sive MSS. sive impressis prout occasio tulerit coemendis, compingendis, resarciendis. (Add. p. 203.)
4. Pro lapsis inclinatisque resarciendis, prout usus postulet, interioris structuræ, non solum antiquæ Bibliothecæ, sed et Scholarum hactenus annexarum, vel in posterum per decretum Venerabilis Domus Convocationis annectendarum, atque etiam pergulæ Anglice vocatæ *the Picture Gallery*, quatenus illa in Bibliothecæ usus cedat, et tecti tam exterioris quam interioris antiquæ Bibliothecæ.
5. Pro pluteis et abacis reparandis vel de novo compingendis, et cæteris omnibus peragendis quæ ad justam librorum collocationem distributionemque requirantur.
6. Pro novis Catalogis instituendis annuatim librorum sive MSS. sive impressorum qui eo anno Bibliothecæ accesserint.
7. Denique, quoniam fieri non potest ut omnibus speciatim provideatur, pro cæteris quotquot sint Bibliothecæ sumptibus necessariis.

Add. p. 202. In hos autem usus assumantur,

1. Reditus et proventus prædiorum, tenementorum, sive possessionum, quibus ex ipsius Bodleii munificentia fruitur Bibliotheca.
2. Pecuniæ quæ ex munificentia Crewiana Bibliothecario et Bibliothecæ destinabantur.
3. Annui proventus e pecuniis M[ri] Godwyn, et viri munificentissimi Doctoris Mason; et e summa apud Ærarium Publicum perpetuo fœnore collocata, Bibliothecæ autem Bodleianæ per Decretum Convocationis A. D. 1845 annexa.
4. Pecuniæ a Vice-Cancellario Bibliothecæ Bodleianæ pro unoquoque Academico qui quartum annum a matriculatione sua excesserit, pendendæ. (Add. p. 522.)
5. Summa etiam octingentarum et quinquaginta librarum Bibliothecæ Bodleianæ e Fisco Academico quotannis pendatur, loco Feodorum omnium quæ Bibliothecario olim pendebantur, necnon Stipendiorum Bibliothecarii Hypobibliothecarii et Janitoris, tam antiquorum quam quæ Bibliothecario ejusque vicariis Stat. A. D. 1769, et Hypobibliothecariis Decreto Convocationis A. D. 1838. assignabantur; eorum denique quæ pro singulis Scholaribus in Matriculam Universitatis relatis e Fisco Academico juxta Stat. Tit. XIX. de Feodis, A. D. 1855. pendebantur. (Add. pp. 99, 521. Add. p. 99. Add. p. 522.)

7. *De Custodia Numismatum.*

Numismatum custodiam habeat Bibliothecarius; et quo melius tam pretiosæ snpellectilis integritati consulatur, nemo unquam, nisi ipso vel uno ex Hypo-Bibliothecariis præsente, museolum ubi conservatur intrandi copiam habeat. Numismata uno eodemqne tempore pluribus quam duobus nunqnam ostendantur, nisi duo Bibliothecæ Officiarii, vel nnus ex Officiariis et Curatorum aliqnis, per integrum tempus simul adsint. Add. p. 205.

Nemini hoc museolum visenti numisma aliquod suum cum uumismatibus museoli conferre liceat.

8. *De tempore aperiendi et claudendi Bibliothecam.*

Aperiatur Bibliotheca a festo Annunciationis ad festum Divi Michaelis ab hora nona matutina ad quartam postmeridianam. Add. p. 206.

A festo Divi Michaelis ad festum Annunciationis ab hora decima matutina ad tertiam postmeridianam.

Exceptis diebus omnibus Dominicis;

Vigiliis ante Nativitatem Domini, et deinceps usque ad festum Circumcisionis inclusive;

Festo Epiphaniæ;

Die Passionis Domini, Vigiliis Paschatis, ac sex Feriis Pascha immediate sequentibus;

Dio Ascensionis, et duobus Feriis Pentecosten immediate sequentibus;

Die Encæniorum;

Octo diebus Visitationem Bibliothecæ immediate præcedentibus.

Diebus quibuscunque vel festivitatis vel jejunii, de quibus supra uon aliter ordinatum fuerit, statim post conciones publice coram Universitate habitas Bibliothecam accedentibus pateat aditus.

Si vero ex Convocationis edicto alia induciarum tempora inciderint, hoc per schedulam ostio Bibliothecæ exteriori affigendam palam denuntietur. App. p. 10.

Bibliothecarius vel uuus ex Hypobibliothecariis præsto semper aperiendis Bibliothecæ foribus adsit.

Tintinnabuli sonitu exeundi tempus significari iidem curent; quo facto, nemini in Bibliotheca morari liceat.

Nemo illuc, quocuuque prætextu, immo uec ipse Bibliothecarius, ignem, lucernam aut quodvis luminare accensum inferat vel ibi accendat; quod si fecerit, officio sive privilegio suo in perpetuum mulctetur.

9. *De modo studendi.*

Volumina a Bibliothecam studendi causa frequentantibus ne unquam a pluteis amoveantur, nisi permissu Bibliothecarii; quæ vero in clathris et sub custodia Bibliothecarii solius continentur, in manus cuique et numerato tradantur, ante discessum autem reddantur. Qui hanc legem violaverit, in duplum cujusque libri valorem, quem sic retinuerit aut celaverit, condemnetur; et, si destinata animi improbitate id factum comprobetur, e Bibliotheca in perpetuum ejiciatur. Porro, Manuscripta volumina (quæ promiscue singulis in Bibliothecam admissis sine discrimine utenda App. p. 11.

exponi, non potest periculo carere) in Archivis conclusa teneantur; nec cuiquam, qui non sit actu membrum Universitatis, utenda permittantur, nisi qui in Artibus Magistrum aut saltem in Jure Civili Baccalaureum adduxerit, qui de libro indemni et illæso redbibendo spondeat.

App. pp. 11, 25. Libri in Archivis contenti, quando ob antiquitatem, raritatem, pretium, speciem, aut aliam denique præstantiorem ob notam magni æstimandi fuerint, parce tantum ostendantur, adhibita semper cura ne coutrectatione nimia aut pervolutatione corrumpantur.

App. p. 24. Si quis a Bibliothecario aut aliquo officiario Bibliothecæ, interrogatus de nomine suo, et Collegio sive Aula, non responderit statim juxta rei veritatem, ipso facto privilegio Bibliothecæ intrandæ careat, donec per Congregationem Regentium, gratia proposita et concessa, restituatur.

App. p. 24. Nec superior nec inferior Bibliothecarius cuivis tradat librum aliquem ad usum studiorum, nisi nomen ejus (una cum literis locum cujusque libri indicantibus) in libro chartaceo ad hoc munus peculiariter destinato inscribat; libro autem reddito, deleatur nomen.

App. p. 23. Nemo autem, sub pœna decem solidorum, inter legendum in aliquem librum incumbat; charta, sive libello aliquo chartaceo aut membranaceo proposito, super librum aliquem scribat: ne, vel atramenti suffusione, vel foliorum replicatione, vel sordibus contractis contaminetur. Quos nisi persolverit, e Bibliotheca protinus excludatur.

10. *De iis, quos studendi causa ad Bibliothecam admittere licet.*

App. p. 16. Studendi privilegio omnes gradu aliquo insigniti, vel Studiosi in Jure Civili, vel Studentes in Medicina, gaudeant; alii vero, si literas commendatitias a probato aliquo viro secum attulerint. Cæteri, qui tantum Bibliothecæ invisendæ causa frequentissimi adveniunt, ad anteriorem partem ejusdem, quæ 'Artium' nomine insignitur, solummodo admittantur; in cæteram Corporis Bibliothecæ partem nonnisi a Graduato aliquo deductis aditus detur.

Priusquam autem aditus alicui in Bibliothecam studendi causa patefiat, coram Vice-Cancellario, vel Procuratore, vel Bibliothecario, huic quæ sequitur formulæ subscribat:

Add. p. 321. "Ego A. B. in Bibliothecam Bodleianam admittendus ex animo polliceor me libros cæteramque supellectilem sic esse tractaturum ut superesse quam diutissime
App. p. 16. possint, animum ad studia et silentium accommodaturum, et, quantum in me est, curaturum nequid Bibliotheca detrimenti aut incommodi capiat."

App. p. 17. Quod si posthac contigerit ut Graduatus aliquis, aut quilibet alius, lancinandi, aut subducendi, librum aliquem, tractatum, vel paginam cujusvis in Bibliotheca voluminis, liquido reus compertus fuerit, is protinus, cum a Bibliotheca tum ab Academia, cum infamia atque dedecore, sine ulla spe regressus amoveatur.

11. *De libris extra Bibliothecam ad tempus detinendis, aut etiam efferendis.*

Quum plurimis ex usu fore autumetur, libros qui singulis annis Bibliothecæ accedant, uno conspectu percurrere, nonnulli vero variis officiorum suorum negotiis distringantur, quo tempore ad ipsam Bibliothecam aditus patet; camera quædam haud procul a Bibliotheca, quum primum id commode fieri possit, in usus Graduatorum vel etiam exterorum qui licentiam studendi in Bibliotheca adepti sint, seponatur. In qua camera libri omnes nuperrime editi reponantur, simul atque Bibliothecæ accesserint, ibidemque per integrum annum asserventur, et tum demum in interiorem Bibliothecæ partem asportentur.

In hanc cameram libros sive impressos sive MSS. e Bibliotheca vespere in eorundem usus efferri liceat.

Quæ camera ab hora decima matutina usque ad horam decimam postmeridianam aperta maneat, nisi siquando justa de causa visum sit Curatoribus eam prius claudere.

Huic cameræ adsint duo ministri, quorum officium erit libros recenter advectos in pluteis ordinate disponere; eosdem in manus cuique et numerato tradere; redditos in suis quosque locis reponere; quantum fieri potest, librorum titulos auctorumque nomina chartulis inscribere, quæ catalogo annuo conficiendo inservire possint; libris denique et inprimis Codicibus MSS. invigilare (si qui e Bibliotheca in eandem allati fuerint,) ne quid detrimenti inter utendum accipiant.

Quicumque autem librum vel libros in hanc cameram efferri cupit, is semihora ad minimum ante tempus Bibliothecæ claudendæ, libros quibus opus habeat, chartula, quam propria manu subscripserit, Bibliothecario designet.

Quod si videatur opus esse altera etiam camera, quæ studiis severioribus prosequendis reservetur, liceat Curatoribus hanc designare et apparare similibus conditionibus constituendam.

12. *De Curatoribus Bibliothecæ et de Bibliotheca ab iis sæpius perlustranda.*

Octo illis Curatoribus, jam inde a primordiis Bibliothecæ Bodleianæ in perpetuum designatis, (Vice-Cancellario scilicet et Procuratoribus, eorumve Deputatis, Regiis S. Theologiæ, Juris Civilis, et Medicinæ, Hebraici etiam Græcique sermonis Professoribus,) accedant quinque viri, variis doctrinis et literis imbuti, jure intrandi Domum Congregationis Oxoniensis gaudentes, et intra Academiam residentes. A Domo Congregationis Oxoniensis in decennium, si tamdiu resederint, eligantur; iidem, exacto decennio, denuo eligantur, si ita venerabili Domui visum fuerit. App. p. 18.

Curatoribus, iisque solis, jus concedatur sine aliquo ex Bibliothecæ Officiariis comitante in istas partes Bibliothecæ intrandi quæ claustris observantur; excepto semper museolo ubi custodiuntur numismata, de quo supra speciatim statutum est. Quæ potestas ideo conceditur, ut in statum et conditionem Bibliothecæ assidue inquirant, et explorent utrum omnia recte conserventur, et justo ordine disponantur. Et si quid invenerint in quo contra statuta et regulas legitime sancitas peccatum fuerit, vel quod in melius mutari poterit, illico Vice-Cancellarium adeant; qui eorum rogatu Curatores cæteros submoneat et convocet. Add. p. 206.

Neque solum quomodo muneris sui rationem Bibliothecarius obiverit, excutiant; sed incertis etiam in rebus ad se relatis, quid sit faciendum, demonstrent; si imperfecte conditum Statutum; si recenti malo novum sit quærendum remedium; similiterque in cæteris, ubi opem efflagitat necessitas. Atque super hujusmodi incommodis, (postquam inter se, conjunctis opinionibus, convenerint) Convocationis Domus certior facta expeditam afferat emendationem. Proviso tamen, quod, in omni Curatorum ad Ven. Domum Convocationis relatione, ratio semper habeatur Stat. Tit. X. Sect. ii. §. 2. et Tit. XIII. et Legis a Parliamento latæ 17° et 18° Victoriæ, cap. 81. App. p. 19.

Bis in unoquoque Termino, aut sæpius, si res tulerit, die et hora a Vice-Cancellario constituenda, Curatores in Bibliotheca, aut (si justa de causa ita expedire videbitur) in alio loco idoneo, conveniant, de libris emendis et disponendis consulturi. Scripto autem consignent, si quos libros pretio comparari placuerit. Add. p. 105. App. p. 19.

Nemo, præter Vice-Cancellarium attrectandis Bibliothecæ reditibus quovis modo se immisceat, aut cuicunque pecuniarum summæ in ejus usum posthac contribuendæ. Vice-Cancellarius autem qui pro tempore fuerit, superioris anni Vice-Cancellarium, postquam annuum administrationis suæ tempus confecerit, App. p. 20. App. p. 21.

intra mensem a depositis insignibus, una cum Bibliothecæ Curatoribus convocet; vel si magistratum ipsi continuari contigerit, tum, quoties hoc munere defunctus fuerit, intra mensem a depositis insignibus Bibliothecæ convocet Curatores; in scriptis acceptorum expensorumque illius anni rationem reddat, quam illi confestim singulis accepti et expensi nominibus diligenter pensatis, ad calculos vocent.

App. p. 18. Singulis annis die Saturni primo in Termino S. Michaelis, in Bibliothecæ statum ac conditionem singulatim inquirant: in quem finem, pridie ejus diei, Curatores singulos Vice-Cancellarius per Bedellum submoneat, eo ut se primo mane sequente recipiant.

Ibi vero clausis foribus (ne quisquam incommode illos interpellet) et secluso Bibliothecario donec accitus fuerit, examinent, ecquid diligentiam in omnibus officii sui partibus adhibuerit. Libros porro ipsi oculis perlustrent, ne forte aliqui, anno proxime elapso, incuria aut mala fraude amissi sint vel perditi.

Add. p. 207. Curatoribus etiam liceat alterum diem perlustrandæ Bibliothecæ, præcipue Archivis, adsignare.

Quod si tandem aliquando Bibliothecam ita amplificari contigerit, ut libros universos, sicut a Bibliothecæ primordiis factum est, juxta facultates, in classes suas digerere liceat, consilium ineant Bibliothecæ Curatores, ut intra singulas etiam facultates, si ita commode fieri possit, libri distincte et ordinate disponantur: exceptis si quæ Librorum collectiones ea lege Bibliothecæ accreverint, ut seorsim in uno quodam loco servarentur; in quibus tamen ipsis, quantum per donatorum voluntatem licet, libros ordine quodam et serie disponant.

Add. p. 522. In Statuto de Feodis, Tit. XIX. post verba

a matriculatione sua excesserit 0 8*s*. 0

inserantur verba quæ sequuntur;

Item, Bibliothecæ Bodleianæ, loco cæterorum omnium
Feodorum et Stipendiorum £850 0 0

Vim et effectum suum hoc Statutum obtineat die Vicesimo nono Septembris proximo.

De Statutis his rogandis, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die quinto mensis Maii. Promulgata sunt eadem Statuta in Domo Congregationis die octavo ejusdem mensis Maii, et in eadem Domo die decimo quinto ejusdem mensis Maii probata; tandem in Convocatione publicata et confirmata die vicesimo secundo ejusdem mensis Maii Anno Domini MDCCCLVI.

Placuit Universitati abrogare Tit. XVIII. Sect. II. *De Bedellis*, Corp. Stat. pp. 173—7. Tit. II. § 4. p. 5. *De Officio Bedellorum circa Scholares Matriculandos;* Supplem. ad Stat. Tit. XIX. *De Feodis*, p. 212. Supplem. ad Stat. Tit. XIX. *De Feodis*, p. 259. et in Tit. XVI. § 9. p. 338. atque iterum p. 350. verba "In hos autem usus" usque ad "reddet." Item Tit. XVIII. Sect. III. p. 178. *De Virgifero Universitatis.*

et in eorum locum subrogare hæc quæ sequuntur:

TITULUS XVIII.

Sect. II.

DE BEDELLIS ET SUB-BEDELLIS.

§. 1. *De Bedellorum et Sub-Bedellorum numero et electione.*

Quatuor sint Universitatis communes ministri sive servientes, e quibus duo, Bedelli, duo, Sub-Bedelli vocentur. Duo autem ex his, Bedellus et Sub-Bedellus, Facultatibus S.Theologiæ necnon Jurisprudentiæ; cæteri duo Facultatibus Medicinæ necnon Artium assignentur.

Eligantur, post justam monitionem, in pleno termino, a Domo Convocationis.

Electum Procurator Senior hoc modo de præstando suo officio, lingua Latina, si eam intelligat, sin minus, vernacula ad fidem adigat;

Tu dabis fidem te ea omnia et singula fideliter executurum, quæ ad officium Bedelli (vel Sub-Bedelli) pertinent. Resp. *Do.*

Tum vero Vice-Cancellarius eundem sic admittat, "Ego Vice-Cancellarius hujus Universitatis admitto te ad officium Bedelli (vel Sub-Bedelli), et ad omnia præstanda, et ad emolumenta percipienda quæ ad officium illud pertinent."

Deinde officii insigne, baculum scilicet, Bedello deauratum, Sub-Bedello autem argenteum, tradat.

§. 2. *De Bedellorum et Sub-Bedellorum Officiis.*

Bedelli, sicut et Sub-Bedelli, continue in Universitate præsentes resideant, nec nisi ex causa perurgenti ac necessaria (venia prius a Vice-Cancellario impetrata) urbe excedant. Teneantur tamen etiam

extra præcinctum Universitatis fungi quæ sunt muneris sui, ad arbitrium Vice-Cancellarii.

Assidue ac diligenter Cancellario, sive Vice-Cancellario, ad manum præsto sint, eique in omnibus, quæ ad officium ipsius spectant, inserviant et obsequantur. Coram eorum alterutro in publicum prodeunte, habitu decenti et consueto togati, et rotundis pileis induti, solenniter et pro ratione locorum suorum, (Bedellis locum proxime ante Cancellarium sive Vice-Cancellarium obtinentibus) baculis inversis, incedant; coram Domino Rege quidem, intra Universitatis præcinctum existente, superiorem et obtusam baculorum suorum partem de more attollentes; coram vero Cancellario, ejusque Vice-Cancellario, inferiorem sive acuminatam partem, ad differentiam, elevantes et erigentes.

Præcepta et mandata Cancellarii, sive Vice-Cancellarii, denuntient, et promulgent; matriculationis registrum diligenter conficiant; citationes et summonitiones faciant; dies juridicos Universitatis indicant; scholares aut alios coram Cancellario aliisve Universitatis Officiariis, sive in judicio, sive extra judicium, ad comparendum sistant; ad mandatum Vice-Cancellarii in quosvis male se gerentes manus injiciant, eosque in carcerem compingant, sub pœna amittendi muneris sui, si recusaverint, vel hominem quemcunque, in quem manus semel injecerint, cujusve comprehendendi potestas fuerit, e manibus suis elabi patiantur.

S. Theologiæ Bedellus concionatores omnes de propriis eorum concionandi vicibus secundum statuta præmoneat; eosque a Collegiis, vel Aulis, ad ecclesiam et suggestum deducat et reducat.

§. 3. *De Bedellorum et Sub-Bedellorum baculis quotannis deponendis.*

In prima Magistrorum Regentium post Festum S. Michaelis Congregatione, quotannis officiorum suorum insignia, coram Vice-Cancellario, Procuratoribus, et Magistris Regentibus solenniter et de more deponant tum Bedelli tum Sub-Bedelli, et statim e domo Congregationis excedant. Tum Vice-Cancellarius, Magistris præsentibus prius interrogatis, si nihil de ipsis aut eorum aliquo detegatur, quominus inculpate se in officio quisque suo gessisse judicetur, in domum iterum eos revocet, et officiorum insignia restituat.

Quod si quid ab iis, vel eorum aliquo, minus honeste commissum, vel per negligentiam omissum, quisquam Magistrorum conquestus fuerit, et probabiliter hoc ipsum demonstraverit, Vice-Cancellarius

eum in baculorum restitutione admoneat; aut suspensione baculi ad tempus, vel subtractione salarii, pro ratione culpæ cujus convictus fuerit, puniat. Si vero Procuratoribus et majori parti Magistrorum Regentium, ibidem præsentium, placuerit baculum ei non reddendum esse, ad novam electionem, juxta formam Statutorum, procedatur.

Quod si, quocunque alio tempore, Bedellus aliquis sive Sub-Bedellus flagitiosum aliquid commisisse, vel se pravis aut probrosis moribus dedecorasse deprehendatur, Vice-Cancellarius, assidentibus sibi Procuratoribus, eum a munere suo in perpetuum removeat.

Bedelli qui nunc sunt, titulis officio et emolumentis suis secundum Statuta quæ hactenus vim obtinuerunt, quamdiu se bene gesserint, fruantur. Quæ hoc Statuto injunguntur observent, ita tamen ut nihil Bedello superiori Artium qui nunc est invito imponatur quod secundum Statuta hodie ei non incumbat.

Nulla nova Bedelli aut Sub-Bedelli electio fiat, donec eorum numerus ad tres redactus sit, nisi aliter ex usu Academiæ visum fuerit.

Item placuit inserere in Statuto De Feodis Tit. XIX. p. 520. § 14. post verba "Examinatori unicuique in Jure Civili £10,"

Bedello cuique in posterum eligendo, post finitum quemque terminum æqualibus portionibus dinumerandas £150

Sub-Bedello unicuique, post finitum quemque terminum æqualibus portionibus dinumerandas £100

Item placuit, ibidem, post verba

"Bedello Sup. Juris qui nunc est . . . . £250 0 0"

abrogare verba

"Bedellorum Infer. unicuique . . . . . £100 0 0."

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die decimo quinto mensis Februarii et die undecimo mensis Aprilis MDCCCLV. *Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo primo mensis Februarii, et die decimo septimo mensis Aprilis, et in eadem Domo die vicesimo octavo mensis Februarii, et die decimo quinto mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo secundo ejusdem mensis Maii anno Domini* MDCCCLVI.

Statuit Academia in Stat. Add. Tit. IX. §. 7. p. 461. l. 5. post verbum "inserenda" hæc inserere:

Ii scilicet qui in Literarum Humaniorum Schola se examinandos profiteantur, tertio die ante examinationem in hac Sohola habendam; ii autem qui in qualibet cæterarum Scholarum se examinandos profiteantur intra dies quindecim ab Examinatione in Schola Literarum Humaniorum inchoata, die a Procuratore designando, ita tamen ut dies tres integri inter nominum professionem, et Examinationem in Schola Scientiæ Naturalis habendam interjiciantur.

Et hæc abrogare,

"hac tamen lege, ne quis serius quam quinto die ante Examinationem inchoandam Procuratorem de his rebus adeat: neque ulli"

et in eorum locum subrogare

nulli autem

In eodem Stat. p. 462. l. 11. post verbum "Candidatus" hæc inserere:

in Schola Literarum Humaniorum Examinandus

et post verba "Matriculationis suæ,"

quilibet autem Candidatus in alia quavis Schola examinandus Testimonium Matriculationis suæ.

Et in eodem Stat. p. 462. l. 18. post verba "eorum nomina" abrogare verbum "statim"

et l. 26. post verba "Schedulas istas" inserere

singulatim quum primum unaquaque earum confecta fuerit

et l. 32. abrogare hæc

"quæ omnia ita agenda sunt——interjiciantur."

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die quinto mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die octavo ejusdem mensis Maii, et in eadem Domo die decimo quinto ejusdem mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo secundo ejusdem mensis Maii anno Domini MDCCCLVI.

Placuit Universitati abrogare in Tit. X. Sect. II. §. 7. Corp. Stat. p. 125, 126, *De Delegatorum nominatione et munere*, et *De Delegatorum Preli nominatione et munere*, Append. p. 63, 64,

et in eorum locum subrogare hæc quæ sequuntur :

§. 7. *De Delegatorum nominatione et munere.*

Cum varia Universitatis negotia a paucis citius et commodius, quam a pluribus, expediantur; eo nomine statutum est, ut hæc selectis quibusdam viris per Domum Convocationis delegentur, qui de iisdem deliberandi vel deliberandi et statuendi, prout prædictæ Domui videbitur potestatem habeant, et Delegati appellentur; quos Delegatos nominandi jus penes eos sit quibus per Statuta commissum fuerit; penes autem Procuratores sit, si non aliter statutum fuerit. Corp. Stat. p. 125.

E Doctoribus Magistris Regentibus et non Regentibus seligantur Delegati, qui impositum sibi onus subire teneantur.

Si quis Delegatus e vivis excesserit, vel in Universitate commorari et domum suam habere desierit, alius continuo in ejus locum, eadem auctoritate, subrogetur.

Cum opus sit nonnunquam delegari quibusdam prosequenda negotia extra Universitatis præcinctum; hi, quoties id usu venerit, ad mandatum Vice-Cancellarii, et Procuratorum, singuli ad hujusmodi negotia pro virili prosequenda (modo fiat expensis Universitatis) paratos se præstent.

De Delegatis ad Computandas Rationes.

Delegati ad computandas rationes Vice-Cancellarii Procuratorum et aliorum, sint decem; quorum quinque sint in posterum Perpetui Delegati, reliqui quinque post quintum annum officio suo cedant, possint tamen iterum eligi. Eligantur et nominentur a Domo Convocationis e Doctoribus et Magistris Regentibus et non Regentibus, quotiescunque aliquis eorum qui nunc sunt Delegati ad Com- Corp. Stat. p. 126.

putandas Rationes, vel eorum qui posthac electi fuerint, officio cesserit, manentibus interea iis qui nunc sunt, Perpetuis Delegatis. Quumprimum vero horum, qui nunc sunt, numerus ad quatuor redactus sit, tum Delegati eligant e seipsis unum, qui sit Perpetuus Delegatus quintus: et sic deinceps subrogetur alius e ceteris, sive junioribus, Delegatis, ad supplendum perpetuo numerum quinque Perpetuorum Delegatorum.

De Delegatis Preli.

Append. p. 63. Delegati Preli sint decem, præter Vice-Cancellarium; quorum quinque sint in posterum Perpetui Delegati, reliqui quinque post septimum annum officio suo cedant, possint tamen inde post unum annum iterum eligi. Eligantur et nominentur a Vice-Cancellario et duobus Procuratoribus e Doctoribus et Magistris Regentibus et non Regentibus, quotiescunque aliquis eorum qui nunc sunt Delegati Preli, vel eorum qui posthac electi fuerint, officio cesserit, manentibus interea iis qui nunc sunt, Perpetuis Delegatis. Quumprimum vero horum, qui nunc sunt, numerus ad quatuor redactus sit, tum Delegati eligant e seipsis unum, qui sit Perpetuus Delegatus quintus: et sic deinceps subrogetur alius e ceteris, sive junioribus, Delegatis, ad supplendum perpetuo numerum quinque Perpetuorum Delegatorum.

De Delegatis ad Negotia intra Universitatem.

Negotia extraordinaria in Universitate expedienda delegentur viris idoneis quot, et quando, visum sit Concilio Hebdomadali, quorum Delegatorum trientem eligat et nominet e seipso idem Concilium; reliquos autem eligat et nominet Domus Convocationis e Doctoribus et Magistris Regentibus et non Regentibus.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die decimo quarto mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo secundo ejusdem mensis Maii, et in eadem Domo die tricesimo mensis Octobris probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die undecimo mensis Novembris Anno Domini MDCCCLVI.

Placuit Universitati abrogare in Tit. XVII. Sect. IV. §. 1. §. 2. §. 3. §. 4. §. 5. Corp. Stat. p. 161, 162, 163, 164, 165. Addend. p. 208, 209. et, Statuta Carolina *De Cyclo, &c.* Append. p. 56, 57, 58. et Ordo Procuratorius, Append. p. 85, 86.

et in eorum locum subrogare hæc quæ sequuntur:

TIT. XVII. Sect. IV.

§. 1. *De Procuratorum Electione.*

Die Mercurii proxima post primam Dominicam in Quadragesima duo Procuratores eligantur quotannis. Eligant Collegia singillatim, et quinque Aulæ conjunctim, secundum Ordinem sive Cyclum infra designatum triginta annorum; quorum primus sit Annus Domini 1859: proviso tamen, ne unquam Procurator bis ex eadem Aula eligatur duobus proxime succedentibus Cycli recursibus quando iterum Aulæ Vices sortiantur. Corp. Stat. p. 161. Append. p. 56.

Ordo sive Cyclus Electionis Procuratorum, secundum quem singula Collegia et Aulæ suas Vices sortiantur, scilicet. Append. p. 85.

1859	Ædes Christi. Coll. Æn. Nas.	1874	Ædes Christi. Coll. Ænei Nasi.
1860	Coll. D. Joh. Bapt. Aulæ.	1875	Coll. Orielense. Coll. Jesu.
1861	Coll. Exoniense. Coll. Univers.	1876	Coll. Wadham. Coll. Reginense.
1862	Coll. Lincoln. Coll. Balliolense.	1877	Coll. S. Trinitat. Coll. Lincoln.
1863	Coll. Vigornense. Ædes Christi.	1878	Ædes Christi. Coll. Mert.
1864	Coll. Mert. Coll. Orielense.	1879	Coll. Corp. Christi. Coll. Exoniense.
1865	Coll. Reginense. Coll. Corp. Christi.	1880	Coll. Univers. Coll. D. Jo. Bapt.
1866	Coll. Ænei Nasi. Coll. Wadham.	1881	Coll. Ænei Nasi. Aulæ.
1867	Ædes Christi. Coll. Exoniense.	1882	Coll. Balliolense. Ædes Christi.
1868	Coll. S. Ma. Magd. Coll. S. Trinitat.	1883	Coll. Omn. Anim. Coll. S. Ma. Magd.
1869	Coll. Novum. Coll. Omn. Anim.	1884	Coll. Vigornense. Coll. Novum.
1870	Coll. D. Jo. Bapt. Ædes Christi.	1885	Coll. Exoniense. Coll. Orielense.
1871	Aulæ. Coll. Univers.	1886	Ædes Christi. Coll. Wadham.
1872	Coll. Balliolense. Coll. Pemb.	1887	Coll. Pemb. Coll. Reginense.
1873	Coll. Exoniense. Coll. Vigornense.	1888	Coll. Jesu. Coll. S. Trinitat.

§. 2. *De Procuratorum Electoribus.*

Procuratorem suum in singulis Collegiis eligant Præfectus, et omnes socii atque alumni qui jus suffragandi in Convocatione habent, in Aulis vero Principalis et Vice-Principalis; præterea tam in Collegiis quam in Aulis Convictores omnes, qui, cum jus habeant suffragandi in Convocatione, tum aliquando commorantes jure potiti sint suffragandi etiam in Congregatione.

§. 3. *De Procuratoribus Eligendis.*

Procuratores eligantur illi quicunque in Collegiis vel Aulis Procuratorem aliquem eligere possunt, modo quartum annum compleverint necdum decimum sextum attigerint ex quo ad regendum in Artibus admissi essent: proviso tamen, ne unquam duo Procuratores simul existant ex eodem Collegio vel Aula.

In eligendo Procuratore, siquis elector duobus simul Collegiis, vel Collegio et Aulæ adscriptus sit, suffragetur hic in eo solummodo Collegio, vel ea Aula, in quo debita Fisco Academico solvat, vel una pensione dissolverit: et ne quis, postquam semel in aliquo Collegio vel Aula eligendi Procuratoris particeps esse potuerit, inter electores in alio Collegio vel Aula censeatur, nisi ab hujus Domus societate prorsus discesserit. Aulæ autem Principalis, vel Vice-Principalis, Collegio alicui adscriptus, censeatur inter electores Aulæ solius.

Append. p. 57. Procuratorem in unoquoque Collegio, prout Vices postulant, rite et legitime electum decernimus, quem major pars omnium suffragantium nominabit. Quod si duo, pari uterque numero suffragiorum, nominentur, ille pro electo habeatur, quem Præfectus vel, eo absente seu sede vacante, ejus vicem gerens, nominaverit. Si plures nominentur, nec unus aliquis majorem partem omnium suffragiorum retulerit, nec eodem die electio absoluta et ante horam nonam vespertinam Vice-Cancellario renuntiata fuerit, Collegium istud jus præsentandi ista vice amittat, et ad Vice-Cancellarium spectet nominatio; qui intra septimanam personam aptam, et secundum conditiones superius assignatas habilem, in Procuratorem nominet.

Senior inter Principales Aularum in Universitate præsentes, quoties Electio ad Aulas redeat, Aulares qui jus suffragandi habeant, missa ad cujusque Aulæ Principalem triduo ante electionem monitione, in

suam Aulam convocet, et in Electione eodem jure fruatur, et eodem munere fungatur, quibus Præfectus Collegii.

Si Procuratorum aliquem mori contigerit, vel quavis de causa ante annum suum finitum officio suo cedere, locum ejus suppleat alius, habilis et idoneus, per Præfectum Collegii vel Aulæ ejus, seu, hoc absente, aut vacante sede, per Vicarium, intra septimanam post mortem vel cessionem nominandus: quod si talis non exstiterit, tunc Vice-Cancellarius aliquem habilem in Procuratorem substituat, ut supra.

Si ambiguitas aliqua, vel dubium aliquod præter prænominata occurrat de electione modo præfinito in Collegiis vel Aulis facienda; ne, gliscente inter partes discordia, scandalum exinde oriatur, per Vice-Cancellarium, Doctorem in Theologia seniorem, modo sit Præfectus Collegii alicujus, in Universitate præsentem, et Præfectum Collegii, ad quod electio tunc pertinet, vel Aulæ Principalem Seniorem, si ab Aulis eligendus sit Procurator, vel horum duos, quorum Collegii Præfectum unum esse volumus, controversia ejusmodi terminetur. Quod si Præfectus Collegii antedictus tunc temporis Vice-Cancellarii locum obtinuerit; tum in Theologia Doctores duos maxime seniores, Collegiorum vero, ut præfertur, Præfectos, sibi assumat, quibuscum causæ istius cognitionem habeat.

§. 4. *De Procuratoribus admittendis.*

Die Mercurii hebdomadem Paschatis proxime sequente, tempore pomeridiano, superioris anni Procuratoribus in Domo Convocationis sellas suas capessentibus, exsurgens senior Procurator gesta illius anni, quæcunque occurrerint memoratu digna, brevi oratione percenseat; deinde uterque officiorum suorum insignia, scilicet Statutorum libros, et clavium fasciculos, coram tota Convocatione deponat. Addend. p. 208.

Mox novi Procuratores, prius a Collegiis suis, vel a Collegiis vel Aulis in quibus electi sunt, per Præfectos, reliquis comitantibus, et præeunte Bedellorum altero, habitu Gradui et officio competente, solenniter deducti Domino Vice-Cancellario per Præfectos Collegiorum suorum, vel Collegiorum vel Aularum in quibus electi sunt, eorumve Deputatos, ad officia sua hac forma præsententur.

"Insignissime Domine Vice-Cancellarie, præsento tibi hunc egregium virum A. B. in Artibus Magistrum, [vel in superiore aliqua Facultate Baccalaureum aut Doctorem,] e Collegio vel Aula N. secundum Sta-

tuta in alterum Procuratorem istius Universitatis electum, ut ad munus Procuratorium istius Universitatis in annum sequentem obeundum admittatur."

In senioris Procuratoris locum assumatur, qui ordine prior inceperit.

Tunc vero Dominus Vice-Cancellarius, juramentis prius, de Primatu Regio agnoscendo, necnon Allegiantia, per ipsos præstitis, utrumque eorum hoc juramento corporali oneret.

2. " Magister, tu jurabis, quod ea omnia et singula quæ ad officium (senioris vel junioris) Procuratoris istius Universitatis spectant, bene et fideliter, et indifferenter, quatenus te et officium tuum concernunt, omnimoda partialitate seposita, durante tuo officio, exequeris; et executionem eorundem per Deputatos tuos, quantum in te est, procurabis."

Deinde propriis, unicuique ipsorum, officiorum suorum insignibus traditis, scilicet Statutorum libris et clavibus, eosdem ad officia sua sub hac forma admittat.

" Egregie Magister, ego auctoritate mea, et totius Universitatis admitto te ad officium Procuratoris istius Universitatis in annum sequentem; necnon ad reliqua omnia præstanda et peragenda, quæ ad munus vel officium Procuratoris spectant." Mox acceptis officiorum insignibus Procuratorum sellas capessant. Deinde quatuor Magistros, qui tres annos ad minimum a suscepto Magisterii gradu compleverint, quos sibi Deputatos adsciscere placuerit, singuli binos, nominent. Qui si præsentes fuerint, illico, exigente Vice-Cancellario, eodem quo ipsi Procuratores juramento astringantur; alioqui, in proxima Congregatione. Quorum muneris sit, inter alia, Concionum tempore plateas, et loca publica perlustrare, ne juniores tunc licenter obambulent.

Dimissa autem Convocatione, Procuratores, una cum Magistris, Vice-Cancellarium domum suam deducant; deinde Magistri utrumque Procuratorem, primo seniorem, dein juniorem, Bedellis præeuntibus, ad Collegia sua deducant.

§. 5. *De Procuratorum Officio et Auctoritate.*

Corp. Stat. p. 163.

Procuratorum officium sit, negotia Universitatis procurare: Delegatos in quibuscunque negotiis, nisi aliter statutum sit, dare: in singulis casibus in Universitate tractatis, ipsi Cancellario, sive ejus Com-

missario, assessores esse: in scrutiniis vota suffragantium excipere, et, inito suffragiorum numero, secundum eum pronuntiare, in quem major suffragantium numerus consenserit: in præsentationibus ad Gradus cujuscunque Facultatis Vice-Cancellario assidere: Inceptores quoscunque, juramentis, tum de præterito, quoad præstita, tum de futuro, quoad præstanda, onerare; ac insuper juramentum de Primatu Regio agnoscendo, et de Fidelitate præstanda, a singulis exigere: Concilio Hebdomadali interesse: in initiis Terminorum Litaniam cantare vel legere, vel duos alios Magistros qui hoc faciant, designare: literas ad Academiam missas legere: nomina bannitorum, necnon Perturbatorum pacis publicæ, et aliorum hujusmodi crimina perpetrantium, quæ Graduum suspensione, aut negatione, secundum Statuta Universitatis, punienda sunt, Registro peculiari, penes seniorem Procuratorem adservando, secundum seriem alphabeti inserere: quod Registrum in singulis Congregationibus præsto esse, ac demum, finito anno, ad succedentem Procuratorem transmitti oportet: Urbe raro excedere: Examinationibus quibuscunque in Scholis frequenter interesse, et explorare an omnia rite secundum Statuta præstentur; non obstante quod Vice-Cancellarius, quandocunque videbitur, eodem munere fungatur; Noctivagos, impetrata prius, in introitu muneris sui, a Vice-Cancellario venia, diligenter investigare: deinde in singulos, Statuta, consuetudines, et privilegia Universitatis violantes inquirere et animadvertere; juniores quidem, infra gradum Baccalaurei in Jure, aut Magistri in Artibus, increpando, mulctando, domi cohibendo, vel aliter puniendo, prout Statuta requirunt: ab aliis vero mulctas secundum Statuta exigendo; quas exigendi potestatem habeant, juxta antiquas Academiæ consuetudines: mulctæ vero in usum Universitatis cedere intelligantur, quotquot vel expresse addicuntur Universitati, vel indefinito irrogantur: et in gravioribus delictis ad Vice-Cancellarium nomina delinquentium deferendo.

§. 7. *De Procuratorum Computo.*

Procuratores in Rotulo omnia accepta et expensa nomine Universitatis fideliter describant.

Intra quindecim vero dies, ex quo officiis suis cesserint, pecuniarum, coram Auditoribus ad audiendum Computum suum delegatis, fidelem Computum reddant; et super eo Apocham etiam, Auditorum manibus subscriptam, obtineant.

Et, si in Ære Universitatis discesserint, intra unius Hebdomadis spatium, sub pœna dupli, satisfaciant.

Ipsis vero, præter pecunias quas Salarii nomine ab Academia accipiunt, accedat honorarii loco, si velint, exemplar cujusque libri qui a Preli Delegatis editus sit intra tempus quo quisque officio suo fungatur, utrique Procuratori a Prelo Academico juxta antiquam consuetudinem exhibendum.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo mensis Octobris. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die tricesimo ejusdem mensis Octobris, et in eadem Domo die undecimo mensis Novembris probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo quinto ejusdem mensis Novembris Anno Domini MDCCCLVI.

Placuit Universitati (Stat. Aul. Sect. IV. Add. p. 300. § 3.) hæc verba abrogare:

"nec Societatem in quocunque Collegio retineat, ultra sex menses post adeptam Principalitatem; sub pœna amittendæ Principalitatis."

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo septimo mensis Octobris. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die quarto mensis Novembris, et in eadem Domo die vicesimo quinto ejusdem mensis Novembris probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die quarto mensis Decembris Anno Domini MDCCCLVI.

Placuit Universitati

1. In Tit. IX. Sect. 9. §. 6, (Addenda, p. 290.), abrogare verba,

"Nos etiam Cancellarius Magistri et Scholares antedicti testamur præfatum A. B. juramentum de Primatu Regiæ Majestatis suscepisse, etc., *prout supra in forma licentiæ ad publice concionandum.*"

et subrogare verba

"in quorum omnium majorem fidem et plenius testimonium, sigillum Universitatis Oxoniensis commune, quo in hac parte utimur, præsentibus apponi fecimus. Datum in domo nostra Congregationis," etc.

2. in Tit. IX. Sect. 7. §. 1. (Addenda, p. 504.) inserere verba "ad incipiendum" post verba "Præstitis ab omnibus."

3. in Tit. XVIII. Sect. 1. (Corp. Stat. p. 172), abrogare "LL.,"

et substituere,

"Juris Civilis."

4. in Tit. XXI. (Corp. Stat. p. 197), abrogare §. 12. "*De iis qui majorum criminum suspicione tenentur,*——— coget et compellet."

5. in Tit. XXI. §. 14. (Corp. Stat. p. 198), abrogare verba "scilicet galero vel ocreis indutus."

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo primo mensis Novembris. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo septimo ejusdem mensis Novembris; et in eadem Domo die quarto mensis Decembris probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die undecimo ejusdem mensis Decembris Anno Domini MDCCCLVI.

Placuit Universitati, hæc quæ sequuntur sancire:

DE HEBDOMADALI CONCILIO.

Lege lata 17° et 18° Vict. cap. 81, constitutum est Hebdomadale Concilium; ad quod eadem lege translata sunt jura omnia privilegia et officia quatenus in Statutis Universitatis de Hebdomadali Conventu Præfectorum Collegiorum et Aularum extabant.

De Hebdomadali vero et Ordinario Conventu Præfectorum Collegiorum et Aularum antehac statutum fuerat his verbis quæ sequuntur.

[Tit. XIII. (Corp. Stat. p. 131.)

DE HEBDOMADALI ET ORDINARIO CONVENTU PRÆFECTORUM COLLEGIORUM ET AULARUM.

Quo melius ea quæ ad regimen et tranquillitatem Universitatis pertinent expediantur et procurentur, secundum ordinationem serenissimi Regis Caroli ejus nominis Primi gratiose nuper ad Universitatem super ea re transmissam, sancitum est quod die Lunæ cujuslibet septimanæ per totum annum tam in vacatione quam terminorum temporibus (præterquam in principalibus festis, aut ubi Vice-Cancellario videbitur ex publica aliqua occasione hujusmodi congressum intermittere) hora prima pomeridiana (et etiam alias quandocunque Vice-Cancellario ex urgente aliqua occasione convocare videbitur) Dominus Vice-Cancellarius ejusve deputatus una cum Procuratoribus et singulis Collegiorum et Aularum Præfectis tum in Universitate præsentibus in loco certo et stato conveniant, ibique de privilegiis et libertatibus Universitatis (prout occasio emerserit) tuendis deliberent, et de statutis et consuetudinibus Universitatis observandis inter se tractent inquirant et consilium ineant; quo melius et consultius post hujusmodi ipsorum deliberationem in venerabili domo Congregationis proponatur, et deinde maturo cum consilio in venerabili domo Convocationis de eodem statuatur et decernatur. Siquis vero Præfectorum prædictorum in Universitate præsentium (cessante impedimento legitimo per Vice-Cancellarium approbando) ab hujusmodi congressibus frequenter se absentaverit, nomen ejus, tanquam personæ bono Universitatis regimini minus faventis, ad Cancellarium per Vice-Cancellarium deferatur.]

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo primo mensis Novembris. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo septimo ejusdem mensis Novembris; et in eadem Domo die quarto mensis Decembris probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die undecimo ejusdem mensis Decembris Anno Domini MDCCCLVI.

Placuit Universitati in Tit. X. Sect. II. inserere quæ sequuntur:

De Delegatis Musei Academici.

Delegati ad Museum Academicum administrandum sint sex, præter Vice-Cancellarium et Procuratores; qui sex Delegati a Congregatione Universitatis Oxoniensis in quinquennium eligantur.

Eligatur nemo ex Professoribus intra Musei præcinctus docentibus. Hi vero Professores ad Delegatorum consessus vocentur, ut de rebus singulis una concilium ineant, nec tamen jus suffragii habeant.

ADDENDA. TIT. XX.

Placuit Universitati in Tit. XX. inserere quæ sequuntur:

Musei Academici cura custodi committatur a Musei Delegatis nominando, et a Domo Convocationis approbando. Cui domum ipsi destinatam pensionis immunem concedat Universitas. Accipiat custos præterea salarium octoginta librarum; ea tamen conditione, ut huic summæ nihil ultra stipendii accedat si id ita contingat ut idem Musei Ashmoleani et Academici sit custos.

De Statutis his rogandis, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo quarto mensis Novembris. Promulgata sunt eadem Statuta in Domo Congregationis die secundo mensis Decembris, et in eadem Domo die undecimo ejusdem mensis Decembris MDCCCLVI *probata; tandem in Convocatione publicata et confirmata die tertio mensis Februarii anno Domini* MDCCCLVII.

Placuit Universitati quæ sequuntur statuere:

STATUTUM NOVUM.

De Professore Anatomiæ Tomlinsiano et Aldrichiano.

1. Quum primum vacaverit Medicinæ Professoris Regii Officium, aut maturius, si id, consentiente qui nunc est Professore Regio, fieri possit, munera Professorum Anatomiæ a Ricardo Tomlins et a Georgio Aldrich constituta, a munere Medicinæ Professoris Regii disjungantur; et ex utriusque loci proventibus sustentetur Professor unus qui Anatomiæ et Physiologiæ docendis operam impendat.

2. Utcunque Professor Physiologiæ Linacerianus creatus fuerit, sit idem Professor Tomlinsianus et Aldrichianus. Quin si ante fundatam Professionem Physiologiæ Professiones Tomlinsianæ et Aldrichianæ vacaverint, liceat Professoris Linaceriani electoribus vel Professorem Tomlinsiano-Aldrichianum nominare, vel nominationem, donec emolumenta ad Professionem instaurandam sufficere judicarint, differre.

3. Quum primum autem Professori emolumenta Linaceriana accreverint, Anatomiæ Demonstratorem, quem vocant, et earum rerum quæ Physiologiæ illustrandæ causa in Museo Academico repositæ fuerint custodem nominet; qui ex emolumentis Tomlinsiano-Aldrichianis accipiat quantum Universitati placuerit.

4. Professor quotannis per sex menses in Universitate incolat et commoretur, inter decimum diem Octobris et primum diem Julii sequentis.

5. Fruatur officio suo quamdiu se bene gesserit.

6. Quod si insigniter negligens in officio suo, vel notabiliter insufficiens fuerit, vel si pravis moribus Academiam dedecoraverit, vel si Statutis ad ipsum spectantibus morem gerere recusaverit, Vice-Cancellario rem proponente, prius conventus, auditus (si ipsi libuerit), et convictus, admoneatur, vel etiam, si aliter malo occurri non possit, a munere suo moveatur, per Vice-Cancellarium et Delegatos Appellationum in Congregatione, aut majorem partem eorum.

7. Si evenerit ut Professor ad tempus valetudine impediatur quominus officio suo fungatur, aut si ei necesse fuerit præscripto legendi tempore, propter causas urgentes et Vice-Cancellario approbatas, extra Universitatem morari, ei Deputatum idoneum, et Vice-Cancellario probatum, qui Professoris muneribus, durante

infirmitate aut absentia, fungatur nominare liceat; id quod exigere poterit Vice-Cancellarius, si sponte Professor in hac parte Statuto non satisfecerit.

8. Si Professor senio, morbo diuturno, incurabili impotentia, aut debilitate vel animi vel corporis fractus, suæ Professioni perficiendæ non suffecerit, virum, secundum ea quæ in hoc Statuto decernuntur idoneum, qui Professoris muneribus fungatur, iis quibus Professorem ipsum nominandi cura supra delegata est, rem proponente Vice-Cancellario, nominare liceat. Determinent etiam iidem quantum ex Professoris emolumentis Deputato persolvendum sit.

9. Ex auditoribus ne plus exigatur mercedis quam ab Universitate permissum fuerit.

10. Ne alia quapiam Professione eodem tempore fungatur Professor, nec officium Prælectoris alicujus in quovis collegio publice legentis cum munere suo conjungat.

11. Partes materiei suæ sibi ab Universitate assignandas tractent tum Professor, tum Demonstrator. Numerum quoque, et tempora lectionum, docendi rationes, atque Auditores examinandi Academiæ, prout expedire videbitur, præscribere liceat.

12. Abrogentur ordinationes Aldrichianæ et Tomlinsianæ, nisi quatenus hoc Statuto includuntur.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die decimo octavo mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo octavo ejusdem mensis Maii, et in eadem Domo die decimo mensis Junii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo octavo ejusdem mensis Junii anno Domini MDCCCLVII.

Placuit Universitati quæ sequuntur statuere:

STATUTUM NOVUM.

De Professore Dominæ Margaretæ.

1. Professor quotannis per sex menses in Universitate incolat et commoretur, inter decimum diem Octobris et primum diem Julii sequentis.

2. Fruantur officio suo quamdiu se bene gesserint Professores posthac eligendi.

3. Quod si Professor insigniter negligens in officio suo, vel notabiliter insufficiens fuerit, vel si pravis moribus Academiam dedecoraverit, vel si Statutis ad ipsum spectantibus morem gerere recusaverit, Vice-Cancellario rem proponente, prius conventus, auditus (si ipsi libuerit), et convictus, admoneatur, vel etiam, si aliter malo occurri non possit, a munere suo moveatur, per Vice-Cancellarium et majorem partem Doctorum in S. Theologia jus suffragii in Congregatione Universitatis Oxoniensis habentium.

4. Si evenerit ut Professor ad tempus valetudine impediatur quominus officio suo fungatur, aut si ei necesse fuerit præscripto legendi tempore, propter causas urgentes et Vice-Cancellario approbatas, extra Universitatem morari, ei Deputatum idoneum et Vice-Cancellario probatum, qui Professoris muneribus durante infirmitate aut absentia fungatur, nominare liceat; id quod exigere poterit Vice-Cancellarius, si sponte Professor in hac parte Statuto non satisfecerit.

5. Si Professor senio, morbo diuturno, incurabili impotentia, aut debilitate vel animi vel corporis fractus, suæ Professioni perficiendæ non suffecerit, virum, secundum ea quæ in hoc Statuto decernuntur idoneum, qui Professoris muneribus fungatur, iis quibus Professorem ipsum eligendi cura infra deleganda est, rem proponente Vice-Cancellario, nominare liceat. Determinent etiam iidem quantum ex Professoris emolumentis Deputato persolvendum sit.

6. Ex auditoribus ne quid exigat mercedis Professor nisi id ab Universitate permissum fuerit.

7. Ne alia quapiam Professione eodem tempore fungatur Professor, nec officium Prælectoris alicujus in quovis collegio publice legentis cum munere suo conjungat.

8. Eligatur Professor in pleno termino, post justam monitionem, modo in aliis electionibus academicis usitato, ex iis qui gradu in S. Theologia insigniti fuerint,

vel ex Magistris in Artibus, qui in sacris ordinibus constituti jus intrandi domum Convocationis per annos septem ad minimum habuerint.

9. In eligendo Professore suffragii jus habeant graduati omnes in S. Theologia, et ii præterea qui in domum Convocationis admissi, et sacris ordinibus saltem initiati, per septimanas viginti in Academia commorati sint in anno ante primum Septembris diem electionem præcedentem proxime elapso; quod et ex Registro Congregationis Universitatis Oxoniensis et ex suffragantium fide constare poterit. In æqualitate suffragiorum rem decidat Vice-Cancellarius.

10. Theologiæ partes sibi ab Universitate assignatas vel assignandas tractet Professor. Tempora quoque et numerum lectionum, necnon docendi rationes atque auditores examinandi Academiæ, si ita expedire videbitur, præscribere liceat.

11. Abrogentur ordinationes Dominæ Margaretæ, nisi quatenus hoc Statuto includuntur.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die decimo octavo mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo octavo ejusdem mensis Maii, et in eadem Domo die decimo mensis Junii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo octavo ejusdem mensis Junii anno Domini MDCCCLVII.

Placuit Universitati Stat. Tit. IV. §. 9. abrogare, et quæ sequuntur statuere:

STATUTUM NOVUM.

De Professore Sedleiano.

1. Professor quotannis per sex menses in Universitate incolat et commoretur, inter decimum diem Octobris et primum diem Julii sequentis.

2. Quod si insigniter negligens in officio suo, vel notabiliter insufficiens fuerit, vel si pravis moribus Academiam dedecoraverit, vel si Statutis ad ipsum spectantibus morem gerere recusaverit, Vice-Cancellario rem proponente, prius conventus, auditus (si ipsi libuerit), et convictus, admoneatur, vel etiam, si aliter malo occurri non possit, a munere suo moveatur, per Vice-Cancellarium et Delegatos Appellationum in Congregatione, aut majorem partem eorum.

3. Si evenerit ut Professor ad tempus valetudine impediatur quominus officio suo fungatur, aut si ei necesse fuerit præscripto legendi tempore, propter causas urgentes et Vice-Cancellario approbatas, extra Universitatem morari, ei Deputatum idoneum, et Vice-Cancellario probatum, qui Professoris muneribus durante infirmitate aut absentia fungatur, nominare liceat; id quod exigere poterit Vice-Cancellarius, si sponte Professor in hac parte Statuto non satisfecerit.

4. Si Professor senio, morbo diuturno, incurabili impotentia, aut debilitate vel animi vel corporis fractus, suæ Professioni perficiendæ non suffecerit, virum, secundum ea quæ in hoc Statuto decernuntur idoneum, qui Professoris muneribus fungatur, iis quibus Professorem ipsum eligendi cura infra deleganda est, rem proponente Vice-Cancellario, nominare liceat. Determinent etiam iidem quantum ex Professoris emolumentis Deputato persolvendum sit.

5. Ex auditoribus ne plus exigat mercedis Professor quam ab Universitate permissum fuerit.

6. Ne alia quapiam Professione eodem tempore fungatur Professor, nec munus Observatoris Radcliffiani, nec officium Prælectoris alicujus in quovis collegio publice legentis cum munere suo conjungat.

7. Professor eligatur a Vice-Cancellario, Præposito Collegii Reginensis, Præside Societatis Regiæ Londinensis, Astronomo Regio, quibus vel Præses Collegii

Magdalenensis, vel Custos Collegii Omnium Animarum alternis vicibus accedat. In æqualitate suffragiorum rem decidat Vice-Cancellarius.

8. Partes Physicæ sibi ab Universitate assignatas, vel assignandas, tractet Professor. Numerum quoque et tempora lectionum, necnon docendi rationes, atque auditores examinandi, Academiæ, si ita expedire videbitur, præscribere liceat.

9. Professoris Sedleiani prædia administrent Delegati Prædiorum Universitatis, et quicquid inde supererit post justas expensas Professori pendat Vice-Cancellarius. At si Professori trecentas libras pendendo non suffecerint prædiorum proventus, ei quidquid defecerit e Cista Academica suppeditetur.

10. Abrogentur ordinationes ad hunc Professorem spectantes, nisi quatenus hoc Statuto includuntur.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die decimo octavo mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo octavo ejusdem mensis Maii, et in eadem Domo die decimo mensis Junii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo octavo ejusdem mensis Junii anno Domini MDCCCLVII.

Placuit Universitati quæ sequuntur statuere:

STATUTUM NOVUM.

De Professoribus Savilianis.

1. Professores quotannis per sex menses in Universitate incolant et commorentur, inter decimum diem Octobris et primum diem Julii sequentis.

2. Fruantur officio suo quamdiu se bene gesserint.

3. Quod si eorum alteruter insigniter negligens in officio suo, vel notabiliter insufficiens fuerit, vel si pravis moribus Academiam dedecoraverit, vel si Statutis ad ipsum spectantibus morem gerere recusaverit, Vice-Cancellario rem proponente, prius conventus, auditus (si ipsi libuerit), et convictus, admoneatur, vel etiam, si aliter malo occurri non possit, a munere suo moveatur, per Vice-Cancellarium et Delegatos Appellationum in Congregatione, aut majorem partem eorum.

4. Si evenerit ut Professor alteruter ad tempus valetudine impediatur quominus officio suo fungatur, aut si ei necesse fuerit præscripto legendi tempore, propter causas urgentes et Vice-Cancellario approbatas, extra Universitatem morari, ei Deputatum idoneum, et Vice-Cancellario probatum, qui Professoris muneribus, durante infirmitate aut absentia, fungatur nominare liceat; id quod exigere poterit Vice-Cancellarius, si sponte Professor in hac parte Statuto non satisfecerit.

5. Si Professor alteruter senio, morbo diuturno, incurabili impotentia, aut debilitate vel animi vel corporis fractus, suæ Professioni perficiendæ non suffecerit, virum, secundum ea quæ in hoc Statuto decernuntur idoneum, qui Professoris muneribus fungatur, Concilio Hebdomadali, rem proponente Vice-Cancellario, nominare liceat. Determinet etiam Concilium Hebdomadale quantum ex Professoris emolumentis Deputato persolvendum sit.

6. Ex auditoribus ne plus exigant mercedis Professores quam ab Universitate permissum fuerit.

7. Ne alia quapiam Professione eodem tempore fungatur Professor alteruter nec munus Observatoris Radcliffiani, nec officium Prælectoris alicujus in quovis collegio publice legentis cum munere suo conjungat.

8. Mathematicæ partes sibi ab Universitate assignatas, vel assignandas, tractet Geometriæ Professor. Professor item Astronomiæ partes materiei suæ sibi ab Universitate assignatas, vel assignandas tractet. Tempora quoque et numerum lectionum, necnon docendi rationes et auditores examinandi Academiæ, si ita expedire videbitur, præscribere liceat.

9. Hos Professores, sive Lectores, prout voluit fundator, statuimus et decernimus fore perpetuis temporibus eligendos ex hominibus bonæ famæ, et conversationis honestæ, ex quacunque natione orbis Christiani, et cujuscunque ordinis sive professionis, qui in mathematicis instructissimi sint, et annos ad minimum sex et viginti nati; et, si Angli fuerint, sint ad minimum artium magistri.

10. Horum porro Professorum electio commissa est illustrissimis viris, qui pro

tempore fuerint, Archiepiscopo Cantuariensi, Cancellario Angliæ sive Custodi Magni Sigilli, Cancellario Universitatis Oxoniensis, Episcopo Londinensi, Principali Secretario a rebus domesticis Dominæ Reginæ, Capitali Justiciario ad Placita coram Regina tenenda, Capitali Justiciario de Banco, Capitali Baroni Scaccarii, et Decano Curiæ de Arcubus, et Custodi Collegii Novi, aut majori parti eorum, advocato in consilium Vice-Cancellario Universitatis Oxoniensis. Ad Vice-Cancellarii autem munus pertinebit, vacante quacunque ex causa Professoris alicujus loco, quam cito fieri commode poterit, Dominis Electoribus de vacatione significare; iisdemque tradere in scriptis tenorem hujus statuti. Qui, vel immediate ad electionem novi Professoris juxta conditiones et qualitates prænotatas, procedant, si de idoneo Professore statim provideri poterit, vel potius, si ipsis ita videbitur, expectent ad aliquod tempus, puta trium mensium, dum nuntiis ad exteras nationes, opera et diligentia Principalis Secretarii, vel alias, missis, intelligant utrum in transmarinis universitatibus, vel extra, præstans aliquis Mathematicus possit huc nostris conditionibus protrahi ad faciendam professionem, et ad hanc rem sumptus suppeditentur ex proventibus vacationum. Illustrissimos autem dominos quam humillime exoratos volumus, ut sine ullo respectu dependentiæ, sine ullo discrimine universitatum aut nationum, eos solum eligant quos maxime idoneos existimarint ad illud munus obeundum; utque statim, expedita electione, instrumentum publicum inde fieri jubeant, ad Universitatem, quumprimum illis visum fuerit, transmittendum. Cujus sic electi admissio fiat solenniter in domo Congregationis Universitatis Oxoniensis statim et immediate post instrumentum prædictum receptum, cessante legitimo impedimento, præstito tamen ante admissionem hoc speciali juramento: "Ego N. electus Geometriæ [*vel* Astronomiæ] Professor, juro me fideliter, pro meo posse, observaturum omnes ordinationes et statuta, munus et officium meum concernentia, sicut Deus me adjuvet, per Jesum Christum hoc Sacrosancto Evangelio annuntiatum," et in admissione omnia observentur quæ in Professoribus admittendis fieri solent.

11. Prædiorum Savilianorum administratio sit penes Delegatos prædiorum Universitatis. Quicquid, post reparationes et cæteras necessarias expensas, ex eorum proventibus supererit, Professoribus Savilianis æqualiter distribuat Vice-Cancellarius. At si utrique Professori libras trecentas pendendo non sufficiant prædiorum proventus, quicquid defecerit solvat Professoribus Vice-Cancellarius e cista Academica.

12. Professoribus qui nunc sunt sua jura in omnibus reserventur.

13. Abrogentur ordinationes Savilianæ, nisi quatenus hoc Statuto includuntur.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die decimo octavo mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo octavo ejusdem mensis Maii, et in eadem Domo die decimo mensis Junii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo octavo ejusdem mensis Junii anno Domini MDCCCLVII.

Placuit Universitati quæ sequuntur statuere:

STATUTUM NOVUM.

De Professore Moralis Philosophiæ.

1. Sit Professor (secundum Fundatoris ordinationes) Membrum Universitatis Oxoniensis; sit insuper bonis literis excultus, morum gravitate et sobrietate, vitæ probitate, religionis sinceritate commendatus. Idem ab omni alibi cura animarum vacet.

2. Professor quotannis per sex menses in Universitate incolat et commoretur, inter decimum diem Octobris et primum diem Julii sequentis.

3. Fruantur officio suo quamdiu se bene gesserint Professores posthac eligendi.

4. Quod si Professor insigniter negligens in officio suo, vel notabiliter insufficiens fuerit, vel si pravis moribus Academiam dedecoraverit, vel si Statutis ad ipsum spectantibus morem gerere recusaverit, Vice-Cancellario rem proponente, prius conventus, auditus (si ipsi libuerit), et convictus, admoneatur, vel etiam, si aliter malo occurri non possit, a munere suo moveatur, per Vice-Cancellarium et Delegatos Appellationum in Congregatione, aut majorem partem eorum.

5. Si evenerit ut Professor ad tempus valetudine impediatur quominus officio suo fungatur, aut si ei necesse fuerit præscripto legendi tempore, propter causas urgentes et Vice-Cancellario approbatas, extra Universitatem morari, ei Deputatum idoneum, et Vice-Cancellario probatum, qui Professoris muneribus durante infirmitate aut absentia, fungatur, nominare liceat; id quod exigere poterit Vice-Cancellarius, si sponte Professor in hac parte Statuto non satisfecerit.

6. Si Professor senio, morbo diuturno, incurabili impotentia, aut debilitate vel animi vel corporis fractus, suæ Professioni perficiendæ non suffecerit, virum, secundum ea quæ in hoc Statuto decernuntur idoneum, qui Professoris muneribus fungatur, iis quibus Professorem ipsum eligendi cura infra deleganda est, rem proponente Vice-Cancellario, nominare liceat. Determinent etiam iidem quantum ex Professoris emolumentis Deputato persolvendum sit.

7. Ex auditoribus ne plus exigat mercedis Professor quam ab Universitate permissum fuerit.

8. Ne alia quapiam Professione eodem tempore fungatur Professor, nec officium Prælectoris alicujus in quovis collegio publice legentis cum munere suo conjungat.

9. Professor eligatur a Vice-Cancellario, Procuratoribus, Decano Ædis Christi, Præsidibus Collegiorum Magdalenensis et D. Joannis Baptistæ, Professore Dominæ Margaretæ, et Professoribus Juris Anglicani, Historiæ Modernæ, et Dialecticæ. In æqualitate suffragiorum rem decidat Vice-Cancellarius.

10. Partes materiei suæ ab Universitate assignatas vel assignandas tractet Professor. Tempora et numerum lectionum necnon docendi rationes, atque Auditores examinandi Academiæ, prout expedire videbitur, præscribere liceat.

11. Abrogentur ordinationes Domini Doctoris White, nisi quatenus hoc Statuto includuntur.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die decimo octavo mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo octavo ejusdem mensis Maii, et in eadem Domo die decimo mensis Junii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo octavo ejusdem mensis Junii anno Domini MDCCCLVII.

Placuit Universitati quæ sequuntur statuere:

STATUTUM NOVUM.

De Professore Linguæ Arabicæ Laudiano.

1. Professor quotannis per sex menses in Universitate incolat et commoretur, inter decimum diem Octobris et primum diem Julii sequentis.

2. Quod si insigniter negligens in officio suo, vel notabiliter insufficiens fuerit, vel si pravis moribus Academiam dedecoraverit, vel si Statutis ad ipsum spectantibus morem gerere recusaverit, Vice-Cancellario rem proponente, prius conventus, auditus (si ipsi libuerit), et convictus, admoneatur, vel etiam, si aliter malo occurri non possit, a munere suo moveatur, per Vice-Cancellarium et Delegatos Appellationum in Congregatione, aut majorem partem eorum.

3. Si evenerit ut Professor ad tempus valetudine impediatur quominus officio suo fungatur, aut si ei necesse fuerit præscripto legendi tempore, propter causas urgentes et Vice-Cancellario approbatas, extra Universitatem morari, ei Deputatum idoneum, et Vice-Cancellario probatum, qui Professoris muneribus, durante infirmitate aut absentia, fungatur nominare liceat; id quod exigere poterit Vice-Cancellarius, si sponte Professor in hac parte Statuto non satisfecerit.

4. Si Professor senio, morbo diuturno, incurabili impotentia, aut debilitate vel animi vel corporis fractus, suæ Professioni perficiendæ non suffecerit, virum, secundum ea quæ in hoc Statuto decernuntur idoneum, qui Professoris muneribus fungatur, iis quibus Professorem ipsum nominandi cura infra deleganda est, rem proponente Vice-Cancellario, nominare liceat. Determinent etiam iidem quantum ex Professoris emolumentis Deputato persolvendum sit.

5. Ex auditoribus ne plus exigat mercedis Professor quam ab Universitate permissum fuerit.

6. Si quid statuerit Academia de materie, numero aut tempore lectionum, de rationibus docendi, et de Auditoribus examinandis, id observet quicunque tum erit Professor.

7. Ne alia quapiam Professione eodem tempore fungatur Professor, nec officium Prælectoris alicujus in quovis collegio publice legentis cum munere suo conjungat.

8. Eligatur Professor a Præsidibus Collegiorum D. Joannis Baptistæ et Magda-

lenensis, Custodibus Collegiorum Novi, Mertonensis, et Omnium Animarum, Professore Linguæ Hebraicæ Regio, Professore Linguæ Sanscriticæ, Professore Linguæ Græcæ Regio, et Professore Linguæ et Literarum Latinarum. In æqualitate suffragiorum rem decidat Vice-Cancellarius.

9. Diligenter instruat tum in Lingua Arabica tum Syriaca Professor Academicos omnes eum adire volentes.

10. Professoris Laudiani prædia administrent Delegati Prædiorum Universitatis, et quicquid inde supererit post justas expensas Professori pendat Vice-Cancellarius.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die decimo octavo mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo octavo ejusdem mensis Maii, et in eadem Domo die decimo mensis Junii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo octavo ejusdem mensis Junii anno Domini MDCCCLVII.

Placuit Universitati quæ sequuntur statuere:

STATUTUM NOVUM.

De Professore Rawlinsoniano.

1. Professor quotannis per sex menses in Universitate incolat et commoretur, inter decimum diem Octobris et primum diem Julii sequentis.

2. Fruatur officio suo quamdiu se bene gesserit.

3. Quod si insigniter negligens in officio suo, vel notabiliter insufficiens fuerit, vel si pravis moribus Academiam dedecoraverit, vel si Statutis ad ipsum spectantibus morem gerere recusaverit, Vice-Cancellario rem proponente, prius conventus, auditus (si ipsi libuerit), et convictus, admoneatur, vel etiam, si aliter malo occurri non possit, a munere suo moveatur, per Vice-Cancellarium et Delegatos Appellationum in Congregatione, aut majorem partem eorum.

4. Si evenerit ut Professor ad tempus valetudine impediatur quominus officio suo fungatur, aut si ei necesse fuerit præscripto legendi tempore, propter causas urgentes et Vice-Cancellario approbatas, extra Universitatem morari, ei Deputatum idoneum, et Vice-Cancellario probatum, qui Professoris muneribus, durante infirmitate aut absentia, fungatur nominare liceat; id quod exigere poterit Vice-Cancellarius, si sponte Professor in hac parte Statuto non satisfecerit.

5. Si Professor senio, morbo diuturno, incurabili impotentia, aut debilitate vel animi vel corporis fractus, suæ Professioni perficiendæ non suffecerit, virum, secundum ea quæ in hoc Statuto decernuntur idoneum, qui Professoris muneribus fungatur, Congregationi Universitatis Oxoniensis, rem proponente Vice-Cancellario, nominare liceat. Determinet etiam hæc Congregatio quantum ex Professoris emolumentis Deputato persolvendum sit.

6. Ex auditoribus ne plus exigat mercedis Professor quam ab Universitate permissum fuerit.

7. Ne alia quapiam Professione eodem tempore fungatur Professor, nec officium Prælectoris alicujus in quovis collegio publice legentis cum munere suo conjungat.

8. Eligatur Professor a Congregatione Universitatis Oxoniensis, ex iis qui jus intrandi domum Convocationis habent. Candidatus maxime idoneus eligatur, ubi-

cunque et e quacunque prosapia natus fuerit, ex quocunque sit collegio, aut quibuscunque honoribus ornatus; nec in Professore cœlibatus exigatur.

9. Professor de lingua et historia Anglo-Saxonum, de dialectis veteribus Germaniæ inferioris, et de antiquitatibus Europæ Borealis legat.

10. Partes materiei suæ ab Universitate assignandas tractet Professor. Numerum quoque et tempora lectionum Academiæ, prout expedire videbitur, præscribere liceat.

11. Abrogentur ordinationes Rawlinsonianæ, nisi quatenus hoc Statuto includuntur.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die decimo octavo mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo octavo ejusdem mensis Maii, et in eadem Domo die decimo mensis Junii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo octavo ejusdem mensis Junii anno Domini MDCCCLVII.

Placuit Universitati quæ sequuntur statuere:

STATUTUM NOVUM.

De Museo Ashmoleano.

1. Delegati Musei Academici sint Musei Ashmoleani Visitatores. Quandocunque ipsis commodum videbitur, Museum visitent, cimelia et libros manuscriptos ordinent, et ubi expedire visum fuerit deponant.
2. In cæteris abrogentur Ordinationes Ashmoleanæ.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die decimo octavo mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo octavo ejusdem mensis Maii, et in eadem Domo die decimo mensis Junii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo octavo ejusdem mensis Junii anno Domini MDCCCLVII.

Placuit Universitati quæ sequuntur statuere:

STATUTUM NOVUM.

De Custode Musei Ashmoleani.

1. Custos Musei Ashmoleani sit etiam Custos Musei Academici, et nominetur a Delegatis Musei Academici, a Venerabili Domo Convocationis deinceps approbandus. Stipendio a Doctore Rawlinson legato fruatur, si gradum M.A. vel Baccalaurei in Jure Civili, vel in Medicina adeptus fuerit, ubicunque et e quacunque prosapia natus sit, quocunque superiore gradu aut quibuscunque honoribus insignitus; et quanquam laicus aut cœlebs non sit. Quicquid de officio ejus statuerit Academia, observare teneatur.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die decimo octavo mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo octavo ejusdem mensis Maii, et in eadem Domo die decimo mensis Junii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo octavo ejusdem mensis Junii anno Domini MDCCCLVII.

STATUTUM NOVUM.

De Examinatione Candidatorum qui non sunt de corpore Universitatis.

Quum sit multifariam petitum ut bonæ spei adolescentes extra Academiam literis artibusque humanioribus studentes, examinatione habita, in Clientelam Universitatis recipiantur,

Placuit Universitati hæc quæ sequuntur sancire—

Candidatorum qui non sunt de corpore Universitatis Examinatio, vel intra Academiam, vel, si res ita ferat, etiam alibi, quotannis habeatur duplex, videlicet,—Seniorum qui decimum octavum, Juniorum qui decimum quintum ætatis annum nondum compleverint.

Fiat Examinatio tum in Rudimentis Fidei et Religionis (nisi alicujus parentes vel qui in loco parentis sint hanc renuerint); tum in Literis Anglicis, in Historia, in Linguis, in Mathematica, in Scientiis Physicis, et in cæteris artibus quæ ad juventutem liberaliter educandam pertinent.

Testimonium accipiat quicunque tum Seniorum tum Juniorum Examinatoribus satisfecerit; titulo etiam Associati in Artibus ex Academiæ auctoritate Senioribus collato.

Delegati sint, præter Vice-Cancellarium et Procuratores, duodeviginti, ex iis qui jus intrandi domum Convocationis habent in triennium ad hoc nominandi, sex a Concilio Hebdomadali e suo ipsius corpore, sex a Congregatione Universitatis Oxoniensis, sex denique a Vice-Cancellario et Procuratoribus. Quorum sit officium Examinatores nominare, necnon tempora, loca, modum Examinationum, classium numerum, cæteraque eodem pertinentia speciatim ordinare.

Feoda a singulis examinandis exigantur, quanta, e judicio Delegatorum, expensis necessariis Examinationum sufficiant.

Teneantur Delegati ad rationem actorum quotannis Universitati reddendam.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo septimo mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die quinto mensis Junii, et in eadem Domo die decimo ejusdem mensis Junii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo octavo ejusdem mensis Junii Anno Domini MDCCCLVII.

TITULUS XV. (XIX.)

Placuit Universitati

In Statuto de Feodis Tit. XV. (XIX.) Nov. Edit. p. 179, hæc verba

Clericorum Mercatus deputato qui nunc est . . . 40 0 0

abrogare, et in eorum locum hæc verba subrogare,

Clericorum Mercatus deputato 40 0 0

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die undevicesimo mensis Junii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo tertio ejusdem mensis Junii, et in eadem Domo die secundo mensis Julii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die undecimo ejusdem mensis Julii anno Domini MDCCCLXII.

Placuit Universitati regulas quasdam Decreto Convocationis Aprilis die 10[mo]. 1845 et Martis die 4[to]. 1847 sancitas abrogare, et quæ sequuntur sancire.

STATUTUM NOVUM DE INSTITUTIONE TAYLORIANA.

SECTIO I.

De Curatoribus.

1. Curatores sint novem, scilicet, Vice-Cancellarius, Procurator uterque, Professor Historiæ Modernæ Regius, et viri quinque ex iis qui in aliqua facultate inceperint, a Vice-Cancellario, utroque Procuratore, et Professore Regio in quinquennium nominandi, rem decidente Vice-Cancellario si forte suffragia pariter divisa fuerint, et a domo Convocationis approbandi. Eosdem Collegas denuo, quoties expedire videbitur, nominatoribus supra dictis sibi adsciscere liceat.

2. Curatores inter se, omnes vel saltem quinque, consilium ineant in secunda quaque hebdomada mensium Februarii, Maii et Novembris, et si quando præterea a Vice-Cancellario convocati fuerint. Professorem et Præceptores a Domo Convocationis approbandos nominent. Nulla tamen nominatio rata habeatur in quam Curatores quinque non consenserint. Præceptores ab officio amoveant si ita censuerint quinque saltem Curatores. Ostiarium nominent et, si opus fuerit, ab officio amoveant. Si forte acciderit ut Professor vel Præceptores valetudine aut alia aliqua graviore causa impediantur quominus officio suo fungantur, Deputatum ad tempus nominent Curatores, cui solvatur quicquid æquum judicaverint ex stipendio Professoris vel Præceptoris depromendum.

SECTIO II.

De Professore.

Professor, Linguarum Modernarum Europæ Professor nuncupandus, in quinquennium eligatur; post quinquennium elapsum denuo eligatur quoties id Curatoribus expedire videbitur. Professor electus ne ad munus suum admittatur nisi prius in matriculam Universitatis receptus fuerit. Si in ditione Britannica natus fuerit, articulis fidei et religionis coram Vice-Cancellario subscribat. Ne curæ animarum incumbat. Si officium suum neglexerit, si contra bonos mores offenderit, si quid Ecclesiæ Anglicanæ doctrinæ vel disciplinæ adversum professus sit vel docuerit, a munere suo, quinque Curatoribus consentientibus, amoveatur. De literis vel philologia alicujus ex usitatioribus Europæ linguis legat. In unoquoque termino lectionum seriem octo ad minimum lectiones comprehendentem legat. Academicis omnibus liberum esto lectionibus interesse. Ab auditoribus nihil exigat Professor. Professor Examinationibus Candidatorum locum

Scholaris ambientium, si nominatus fuerit, operam præstet. Intra Academiam per terminum unumquemque incolat et commoretur; absentiæ tamen veniam, graviore aliqua causa urgente, Professori ad tempus definitum concedendi Curatores facultatem habeant.

SECTIO III.

De Præceptoribus.

Præceptores sint tres, quorum unus linguam Italicam, alter linguam Teutonicam, tertius linguam Gallicam doceant, in quinquennium eligendi; quos tamen denuo, quoties expedire videbitur, eligere liceat Curatoribus. Amoveantur si opus fuerit a munere suo, quinque Curatoribus consentientibus. Sit etiam Præceptor unus qui linguam Hispanicam doceat, in quinquennium eligendus, nec denuo eligendus nisi interim de officio ejus continuando statuerit Academia. Præceptores in Universitate per terminum unumquemque incolant et commorentur, per horas quatuor singulis diebus, nisi aliter jusserint Curatores, in Ædibus Taylorianis doceant, et Academicos omnes ibi eos adeuntes erudiant. Examinationibus Candidatorum Scholaris locum ambientium, si requisiti fuerint, operam impendant. Ne privatim legant nisi licentia a Curatoribus impetrata. Privatæ lectiones ne habeantur in Ædibus Taylorianis. Si in ditione Britannica nati fuerint articulis fidei et religionis coram Vice-Cancellario subscribant. Absentiæ veniam Præceptoribus ad tempus definitum concedendi, graviore aliqua causa urgente, facultatem Curatores habeant.

SECTIO IV.

De Bibliothecario, et de Bibliotheca.

Bibliothecarius a Curatoribus nominetur. Si hoc munus Professori, vel uni ex Præceptoribus commissum fuerit, Professor vel Præceptor deputatum ex judicio Curatorum idoneum nominet. Deputato suo quicquid Curatoribus æquum videbitur persolvat Bibliothecarius. Bibliothecam adire omnibus Academicis liceat. Horas et dies quibus Bibliotheca aperienda sit statuant Curatores. Libris etiam extra Bibliothecam utantur Academici, et Præceptores, si ita expedire Curatoribus videbitur. In Bibliotheca Bibliothecarius vel ejus Deputatus per horas a Curatoribus assignatas sedulo adsit. Quicquid præscripserint Curatores circa Bibliothecam observet Bibliothecarius sicut et ejus Deputatus. Ne ex Academia exeant sine Curatorum licentia.

SECTIO V.

De Scholaribus.

Quatuor sint Scholares, qui annum ætatis suæ vicesimum quartum tempore electionis non excesserint, duo in unoquoque anno in biennium eligendi. Ex duo-

bus Scholaribus annuatim eligendis unus eligatur propter profectum in lingua Teutonica et in alia quadam lingua quæ intra Ædes Taylorianas docetur, et in literis utriusque linguæ; alter propter profectum in lingua Gallica et in alia quadam lingua quæ intra Ædes Taylorianas docetur, et in literis utriusque linguæ. Unusquisque Candidatorum nomen suum coram Examinatoribus profiteatur, et literas commendatorias a Præfecto Domus suæ, vel ab ejus Deputato, una cum testimonio ætatis suæ exhibeat ante diem tertium ad minimum quam ad examinationem procedatur. Examinatores, si velint, nomina aliorum Candidatorum qui se insigniter profecisse demonstraverint publici juris faciant. Numerum Examinatorum, locum et tempus Examinationis, et cætera quæ ad Examinationes pertinent præscribant Curatores; qui etiam nominent Examinatores.

SECTIO VI.

De Ostiario.

Ostiarius ad Januam sedulo adsit. Ædes mundet. Quicquid præterea præscripserint Curatores observet. Bibliothecario in iis quæ ad Ædium curam pertinent sit dicto obediens.

SECTIO VII.

De Proventibus Taylorianis.

Rationes acceptorum et expensorum Delegatis Computorum quotannis submittant Curatores. E proventibus quotannis seponant libras centum et quinquaginta, ut inde majoribus reparationibus et damnis improvisis subveniatur, et ut dotatio Tayloriana subinde augeatur. Professori libræ quingentæ, Præceptori unicuique, sicut et Bibliothecario, libræ centum et quinquaginta, Scholari unicuique libræ viginti quinque, Ostiario libræ nonaginta, quotannis pendantur. Quicquid superfuerit post consuetas et necessarias expensas ad libros coemendos et sarciendos erogetur.

Quod ad hoc Statutum attinet, terminus Paschatis et terminus Trinitatis pro uno termino reputentur.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die secundo mensis Novembris. Promulgatum est idem Statutum die decimo ejusdem mensis Novembris, et in eadem Domo die vicesimo quarto ejusdem mensis Novembris probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die primo mensis Decembris anno Domini MDCCCLVII.

De Scholaribus Baronis Craven.

1. Scholares e fundatione viri honoratissimi Joannis Baronis Craven in triennium eligant tres Examinatores, a Vice-Cancellario, Professoribus Regiis, Professoribus Historiæ Camdeniano et Linguæ Literarumque Latinarum, et Oratore Academiæ Publico sive e suo ipsorum numero, sive ex aliis qui gradu Artium Magistri, Baccalaurei in Jure Civili, vel Baccalaurei in Medicina insigniti sint, nominandi.

2. Examinatio fiat quotannis in Termino SS. Trinitatis in Literis Græcis et Latinis et Arte de his Critica et Philologica.

3. Sex sint Scholares, inter quos reditus annui, cum id primum fieri poterit, dividantur.

4. Scholares duo quotannis libere eligantur ex iis qui Examen Publicum secundum in una saltem schola subierint, necdum terminum a matriculatione vicesimum quartum excesserint.

5. Candidatus unusquisque Examinatoribus exhibere teneatur testimonium de bonis moribus, chirographo Præfecti Domus suæ sive Vicemgerentis ejus munitum.

6. Is in unoquoque anno Senior Scholaris reputetur qui se Examinatoribus maxime probaverit.

7. Scholaribus qui nunc sunt jura sua in omnibus reserventur.

8. Abrogentur Ordinationes de Fundatione Craveniana, nisi quatenus hoc Statuto includuntur.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo quinto mensis Novembris. Promulgatum est idem Statutum die primo mensis Decembris, et in eadem Domo die decimo ejusdem mensis Decembris MDCCCLVII *probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die primo mensis Februarii* MDCCCLVIII.

TIT. I. SECT. I.

Cum Quæstio orta fuerit quo potissimum tempore terminus quisque incipiat vel desinat; ad tollendam hanc dubitationem, placuit Universitati statuere, ut totus ille dies in quo terminus quisque inchoabitur vel terminabitur intra terminum istum reputetur.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die quarto mensis Decembris. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die decimo ejusdem mensis Decembris MDCCCLVII. *et in eadem Domo die secundo mensis Februarii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo tertio ejusdem mensis Februarii anno Domini* MDCCCLVIII.

Placuit Universitati quæ sequuntur statuere:

STATUTUM NOVUM.

De Professore Medicinæ Aldrichiano.

1. Quum primum a munere Professoris Medicinæ Regii disjuncta fuerit Lectura Anatomiæ Tomlinsiana cui ex voluntate Fundatoris adjuncta est Lectura Anatomiæ Aldrichiana, conjungantur munera Professoris Medicinæ Regii necnon Professoris Medicinæ Aldrichiani; ita ut Professor Medicinæ Regius pro tempore existens perpetuus sit Professor Aldrichianus.

2. Quod si Professor Medicinæ Regius se Lectura Tomlinsiana intra tres menses non abdicaverit, eligatur Professor Medicinæ Aldrichianus, qui munere suo fruatur quamdiu Lectura Anatomiæ Tomlinsiana a munere Professoris Regii non disjuncta fuerit.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo quinto mensis Januarii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die secundo mensis Februarii, et in eadem Domo die decimo tertio ejusdem mensis Februarii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo tertio ejusdem mensis Februarii anno Domini MDCCCLVIII.

Placuit Universitati, Tit. VI. (IX.) II. § 3, (p. 54 ed. novæ) abrogare verba

"Hisce Examinationibus habendis assignentur Terminus Michaelis et Terminus Paschatis. Termino autem Michaelis vicesimo die mensis Novembris; et Termino Paschatis die Mercurii Dominicam primam post festum Paschatis proxime sequente, inchoentur"

et hæc quæ sequuntur verba subrogare

Examinationibus coram Moderatoribus habendis assignentur Terminus Michaelis et Terminus Paschatis. Termino autem Michaelis vicesimo die mensis Novembris; et Termino Paschatis die festum Ascensionis proxime sequente inchoentur.

Item Tit. VI. (IX.) II. § 8. 39. (p. 78 ed. novæ) abrogare verba

"Ne liceat Moderatori aut Examinatori Candidatum ex eadem domo ex qua ipse sit examinare"

et hæc verba subrogare

Ne liceat Moderatori aut Examinatori Candidatum ex eadem domo ex qua ipse sit viva voce examinare, vel quem ipse privatim intra biennium proxime elapsum mercede docuerit.

Item Tit. VI. (IX.) II. § 4. 30 (p. 64.) et Tit. VI. (IX.) II. § 8. 45 (p. 79.) post verba

"unde candidatus ipse de quo agatur"

hæc verba subjicere

nec candidatum istum intra biennium proxime elapsum mercede docuerit.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo quinto mensis Januarii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die secundo mensis Februarii, et in eadem Domo die decimo tertio ejusdem mensis Februarii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo tertio ejusdem mensis Februarii anno Domini MDCCCLVIII.

Placuit Universitati Tit. VII. (X.) II. § 5. p. 115. ed. novæ, hæc verba abrogare

"et eorum altero schedulam sic accedenti exhibente votum suum simpliciter et absolute inscribat"

et hæc quæ sequuntur subrogare

Vice-Cancellario tradat tabulam in qua nomen suum et Candidati cui suffragatur inscripserit, in hanc formam

Ego A. B. e Coll. vel Aula C. D. nomino E. F. e Coll. vel Aul.

Item abrogare verba "schedula apud Vice-Cancellarium deposita" et verba "schedulis interim quibus singulorum vota inscripta fuerint penitus abolitis et igni traditis."

Item p. 116, post verba "pro electo habeatur" hæc quæ sequuntur subjicere

Electus vero ne ad munus suum admittatur nisi post triduum. Interim tabulæ in custodia Vice-Cancellarii conserventur. Et si qua de suffragiis latis controversia orta fuerit, cujus Candidatus quivis Vice-Cancellario et Procuratoribus probaverit causam esse rationabilem, Scrutatores iterum Scrutinium tabularum ineant, et is demum electus habeatur, in quem post hoc Scrutinium major pars suffragantium consensisse comperta sit,

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die quinto mensis Februarii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die decimo tertio ejusdem mensis Februarii, et in eadem Domo die vicesimo tertio ejusdem mensis Februarii probatum ; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die nono mensis Martii anno Domini MDCCCLVIII.

Placuit Universitati abrogare Stat. Tit. IV. Sect. III. 3.

et in illius locum subrogare

Percipiat Prælector Philosophiæ Experimentalis summam 170 librarum, qui per tres terminos in Universitate quotannis commoretur: tres lectionum series, unam scilicet in unoquoque termino, legat.

Quæ sequuntur statuit Academia:

De Professore Philosophiæ Moralis.

1. Professor, tum disserendo, tum auctores probatos interpretando Philosophiam Moralem exponat: Historiam insuper Philosophiæ, prout expedire videbitur, liceat Professori tractare.

2. Legat Professor quotannis duas Lectionum series in duobus discretis terminis, scilicet per sex septimanas in utroque termino, et bis ad minimum in unaquaque septimana: atque insuper per octo septimanas unius alicujus termini, bis ad minus in qualibet septimana per unius horæ spatium vacet instruendis auditoribus in iis quæ melius sine ulla solennitate tradi possunt; discipulorum profectum quæstionibus statim enucleandis ad examen revocet, et iis exercitationes, si ipsi ita libuerit, domi in scriptis tractandas proponat.

3. Quæ nunc percipit emolumenta percipiat Professor; ea vero ad summam trecentarum librarum, præter feoda legitima, augeantur e cista Academica.

De Professore Rawlinsoniano.

1. Prælectionum seriem unam de lingua Anglo-Saxonica duodecim ad minimum lecturas complectentem, et seriem alteram, eam quoque duodecim lectiones saltem complectentem, de aliqua alia materiei suæ parte, in duobus discretis terminis quotannis ad minimum legat Professor. Atque insuper, per octo septimanas unius alicujus termini, bis ad minus in qualibet septimana, per unius horæ spatium, vacet instruendis auditoribus in iis quæ melius sine ulla solennitate tradi possunt.

2. Professoris emolumenta ad summam trecentarum librarum, præter feoda legitima augeantur ex cista Academica donec ei aliunde provisum fuerit.

De Professoribus Savilianis.

In Mathematica, quam vocant, pura, et præsertim in Geometria pura et analytica legat Geometriæ Professor. In Astronomia universa legat Astronomiæ

Professor. Per sex septimanas quotannis in duobus discretis terminis publice legat uterque Professor bis ad minus in qualibet septimana. Hoc insuper Professoribus injungetur ut quotannis præter publicas lectiones, per octo unius alicujus termini septimanas bis ad minus in qualibet septimana, in Hospitio suo, aut alio loco propinquo, vacent, per unius horæ spatium, instruendis auditoribus suis, si qui eorum ipsos adire velint, in iis quæ melius sine ulla solennitate tradi possunt.

De Professore Sedleiano.

Professor Sedleianus Physicam quam vocant Mathematicam tractet. Duas ad minimum lectionum series quotannis in duobus discretis terminis legat, scilicet per sex septimanas in utroque termino, et bis ad minimum in qualibet septimana; et per octo unius alicujus termini septimanas, bis ad minus in qualibet septimana, per unius horæ spatium vacet instruendis auditoribus in iis quæ melius sine ulla solennitate tradi possunt.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo sexto mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die tertio mensis Junii, et in eadem Domo die octavo ejusdem mensis Junii probatum ; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo septimo ejusdem mensis Junii anno Domini MDCCCLVIII.

Placuit Universitati,

Stat. Tit. V. (VI.) 3. § 2. (p. 546 = 37) post verba

'vel Trinitatis'

inserere

'atque etiam si opus fuerit, in Termino S. Michaelis'——

Tit. V. (VI.) 3. § 2. (p. 546 = 38.) hæc verba addere,

'Quibus peractis, et Candidato in matriculam Universitatis recepto, Examinatores, si dignum invenerint, ei testimonium perhibeant sub hac forma :

A. B. (die mensis et anni) *pro gradu Baccalaurei in Musica, cantico quatuor partium composito, et examinatione habita, satisfecit nobis Examinatoribus.*

Ita testamur { A. B. / C. D. / E. F.'

Tit. XV. (XIX.) § 2. (p. 525 = 175.) post verba

'in Medicina . . . £1 0 0'

inserere

'in Musica . . . . £1 0 0'

Tit. XV. (XIX.) § 14. (p. 520 = 179.) post verba

'Examinatori unicuique in Jure Civili . . . . £10 0 0'

inserere

— — — — — 'in Musica, si una saltem examinatio habita fuerit . . . . £5 0 0'

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo sexto mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die tertio mensis Junii, et in eadem Domo die octavo ejusdem mensis Junii probatum ; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo septimo ejusdem mensis Junii anno Domini MDCCCLVIII.

Placuit Universitati quæ sequuntur statuere:

STATUTUM NOVUM.

DE PROFESSORE BOTANICÆ.

Eligatur Professor ex iis omnibus qui ad incipiendum in Artibus admissi fuerint.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die tricesimo primo mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die octavo mensis Junii, et in eadem Domo die decimo septimo ejusdem mensis Junii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo quinto ejusdem mensis Junii anno Domini MDCCCLVIII.

Academiæ placuit abrogare in Stat. XV. (XIX.) De Feodis hæc verba:—

"Urbi nocte custodiendæ, pro unoquoque Academico qui annum a matriculatione sua quartum excesserit - - - - - - - - -	0	6	0
"Pro quovis alio Academico - - - - - - - - - - - - -	0	8	0"

et in eorum locum subrogare—

Urbi nocte custodiendæ, pro quovis Academico - - - - - - -	0	7	0

Hoc Statutum vim suam obtineat a die vicesimo nono Septembris 1858.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die sexto mensis Decembris. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die decimo ejusdem mensis Decembris, et in eadem Domo die decimo sexto ejusdem mensis Decembris MDCCCLVIII *probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die octavo mensis Februarii anno Domini* MDCCCLIX.

De Professore Juris Belli et Pacis necnon Rei Diplomaticæ Chicheleiano.

Quoniam e proventibus Collegii Omnium Animarum in Universitate Oxoniensi Professio Juris Belli et Pacis necnon Rei Diplomaticæ fundata sit, aliis auctoritate Regia legibus sancitis, aliis ab Universitate postea ferendis;—

Placuit Academiæ hæc sancire—

1. Professor Chicheleianus utramque materiei suæ partem quotannis tractet. Duas lectionum series in duobus discretis terminis legat, scilicet per sex septimanas in utroque termino, et bis ad minimum in unaquaque septimana: atque insuper per octo septimanas unius alicujus termini, bis ad minimum in unaquaque septimana, per unius horæ spatium vacet instruendis auditoribus in iis quæ melius sine ulla solennitate tradi possunt: discipulorum profectum quæstionibus statim enucleandis ad examen revocet; et iis exercitationes, si ipsi ita libuerit, domi in scriptis tractandas proponat.

Ex auditoribus ne plus exigat mercedis quam ab Universitate permissum est.

Unam porro ad minimum lectionem quotannis publice habeat, ab Academicis quibuscunque sine mercede audiendam.

2. Si evenerit ut Professor ad tempus valetudine impediatur, quominus officio suo fungatur, aut si ei necesse fuerit præscripto legendi tempore propter causas urgentes et Vice-Cancellario probatas extra Universitatem morari, ei Deputatum idoneum et Vice-Cancellario probatum, qui Professoris muneribus durante infirmitate aut absentia fungatur, nominare liceat; id quod exigere poterit Vice-Cancellarius, si sponte Professor in hac parte Statuto non satisfecerit.

3. Si Professor senio, morbo diuturno, incurabili impotentia, aut debilitate vel animi vel corporis fractus, suæ Professioni perficiendæ non suffecerit, virum secundum ea quæ in hoc Statuto decernuntur idoneum, qui Professoris muneribus fungatur, iis quibus Professorem ipsum eligendi cura delegata est, rem proponente Vice-Cancellario, nominare liceat.

4. Si quando Deputatus nominatus sit, determinet Vice-Cancellarius quantum ex Professoris emolumentis Deputato persolvendum sit.

5. Si quid statuerit Academia de materie, numero aut tempore lectionum, de rationibus docendi, et de Auditoribus examinandis, id observet quicumque tum erit Professor.

6. Ne alia quapiam Professione eodem tempore fungatur Professor, nec officium Prælectoris alicujus in quovis Collegio publice legentis cum munere suo conjungat.

7. Quod ad hoc statutum pertinet, terminus Paschatis et terminus S. Trinitatis pro uno termino reputentur.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die sexto mensis Decembris. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die decimo ejusdem mensis Decembris, et in eadem Domo die decimo sexto ejusdem mensis Decembris MDCCCLVIII *probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die octavo mensis Februarii anno Domini* MDCCCLIX.

Placuit Universitati in Stat. Tit. XV. (XIX.) (p. 195)

post verba "Famulus uterque Procuratorum in annum designatus"
hæc verba "50 0 0" abrogare,

et in eorum locum subrogare
30 0 0.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo septimo mensis Januarii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die octavo mensis Februarii, et in eadem Domo die vicesimo secundo ejusdem mensis Februarii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo quinto mensis Martii anno Domini MDCCCLIX.

Placuit Universitati,

(1) Stat. Tit. IV. Sect. I. § I *De Lectore ad lecturam adhuc indotatam designando* et § 2 *De Prælectore Logicæ* abrogare, et hæc quæ sequuntur statuere

Sectio I.—*Statuta specialia ad Professores pertinentia.*

Quoniam Professores publici in plurimis scientiis et facultatibus non sine liberalibus salariis ex Benefactorum munificentia aut Universitatis instituti sint, visum est Academiæ quæ ad Professores attinent in ordinem et methodum redigere, hæc quæ sequuntur de quaque lectura statuendo.

§ I. *De Professore Logicæ sive Dialecticæ.*

1. Professores Logicæ in posterum eligendi ex iis qui in aliqua facultate inceperint a Venerabili Domo Convocationis eligantur; et officio suo, quamdiu se bene gesseriut, fruantur.

2. Professor quotannis per sex menses in Universitate incolat et commoretur, inter decimum diem Octobris et primum diem Julii sequentis.

3. Professor quamlibet partem Logicæ Aristotelis vel probatum aliquem ex recentioribus in ista materie scriptoribus exponat, vel quæstiones ad Logicam pertinentes discutiat.

4. Legat Professor quotannis duas lectionum series in duobus discretis terminis, scilicet per sex septimanas in utroque termino, et bis ad minimum in unaquaque septimana; atque insuper per octo septimanas unius alicujus termini bis ad miuimum in qualibet septimana per unius horæ spatium vacet instruendis auditoribus in iis quæ melius sine ulla solennitate tradi possunt; discipulorum profectum quæstionibus statim enucleandis ad examen revocet, et iis exercitationes, si ipsi ita libuerit, domi in scriptis tractandas proponat.

5. Quod si Professor insigniter negligens in officio suo, vel notabiliter insufficiens fuerit, vel si pravis moribus Academiam dedecoraverit, vel si Statutis ad ipsum spectautibus morem gerere recusaverit, Vice-Cancellario rem proponente, prius couventus, auditus (si ipsi libuerit), et convictus, admoneatur, vel etiam, si aliter malo occurri non possit, a munere suo moveatur per Vice-Cancellarium et Delegatos Appellationum in Congregatione aut majorem partem eorum.

6. Si evenerit ut Professor ad tempus valetudine impediatur quominus officio suo fungatur, aut si ei necesse fuerit præscripto legendi tempore propter causas urgentes et Vice-Cancellario approbatas extra Universitatem

morari, ei Deputatum idoneum et Vice-Cancellario probatum, qui Professoris muneribus durante infirmitate aut absentia fungatur, nominare liceat; id quod exigere poterit Vice-Cancellarius, si sponte Professor in hac parte Statuto non satisfecerit.

7. Si Professor senio, morbo diuturno, incurabili impotentia, aut debilitate vel animi vel corporis fractus, suæ Professioni perficiendæ non suffecerit, virum, secundum ea quæ in hoc Statuto decernuntur idoneum, qui Professoris muneribus fungatur, Domui Convocationis nominare liceat.

8. Si quando Deputatus muneribus Professoris fungatur, determinet Vice-Cancellarius quantum ex Professoris emolumentis Deputato persolvendum sit.

9. Si quid statuerit Academia de materie, numero aut tempore lectionum, de rationibus docendi, et de Auditoribus examinandis, id observet quicunque tum erit Professor.

10. Ne alia quapiam Professione eodem tempore fungatur Professor, nec officium Prælectoris alicujus in quovis collegio publice legentis cum munere suo conjungat.

(2) Placuit Universitati Stat. Tit. IV. Sect. 1. § 3, verba "Prælector Philosophiæ Moralis......discutiat" abrogare.

(3) Item ibid. § 4, *De Prælectore Geometriæ per Henricum Savile militem instituto* abrogare.

(4) Item ibid. § 5, *De Prælectore Astronomiæ per Henricum Savile militem instituto* abrogare.

(5) Item ibid. § 7, verba "Prælector Naturalis......subrogabunt" abrogare.

(6) Item ibid. § 8, verba "Prælector Historiarum......consulatur" abrogare, et hæc quæ sequuntur statuere

1. Professor Historiarum per celeberrimum virum Gulielmum Camdenum constitutus a Venerabili Domo Convocationis eligatur.

2. Professor quotannis per sex menses in Universitate incolat et commoretur, inter decimum diem Octobris et primum diem Julii sequentis.

3. Professor quæstiones ad historiam antiquam pertinentes exponat, vel antiquiores quosvis et melioris notæ historicos prælegat.

4. Legat Professor quotannis duas lectionum series in duobus discretis terminis, scilicet per sex septimanas in utroque termino, et bis ad minimum in unaquaque septimana; atque insuper per octo septimanas unius alicujus termini bis ad minimum in qualibet septimana per unius horæ spatium vacet instruendis auditoribus in iis quæ melius sine ulla solennitate tradi possunt; et, si ipsi ita libuerit, discipulorum profectum quæstionibus statim enucleandis ad examen revocet, et iis exercitationes domi in scriptis tractandas proponat.

5. Quod si Professor insigniter negligens in officio suo, vel notabiliter in-

sufficiens fuerit, vel si pravis moribus Academiam dedecoraverit, vel si Statutis ad ipsum spectantibus morem gerere recusaverit, Vice-Cancellario rem proponente, prius conventus, auditus (si ipsi libuerit), et convictus, admoneatur, vel si aliter malo occurri non possit, a munere suo moveatur per Vice-Cancellarium et Delegatos Appellationum in Congregatione aut majorem partem eorum.

6. Si evenerit ut Professor ad tempus valetudine impediatur quominus officio suo fungatur, aut si ei necesse fuerit præscripto legendi tempore propter causas urgentes et Vice-Cancellario approbatas extra Universitatem morari, ei Deputatum idoneum et Vice-Cancellario probatum, qui Professoris muneribus durante infirmitate aut absentia fungatur, nominare liceat; id quod exigere poterit Vice-Cancellarius, si sponte Professor in hac parte Statuto non satisfecerit.

7. Si Professor senio, morbo diuturno, incurabili impotentia, aut debilitate vel animi vel corporis fractus, suæ Professioni perficiendæ non suffecerit, virum, secundum ea quæ in hoc Statuto decernuntur idoneum, qui Professoris muneribus fungatur, Domui Convocationis nominare liceat.

8. Si quando Deputatus muneribus Professoris fungatur, determinet Vice-Cancellarius quantum ex Professoris emolumentis Deputato persolvendum sit.

9. Ne alia quapiam Professione eodem tempore fungatur Professor, nec officium Prælectoris alicujus in quovis collegio publico legentis cum munere suo conjungat.

10. Si quid statuerit Academia de materie, numero aut tempore lectionum, de rationibus docendi, et de Auditoribus examinandis, id observet quicunque tum erit Professor.

11. Professori persolvatur ad incrementum stipendii sui summa centum et sexaginta librarum annuatim e proventibus prædiorum quibus ex munificentia fundatoris celeberrimi fruitur Academia.

12. Professori qui nunc est sua jura in omnibus reserventur.

(7) Placuit Universitati Stat. Tit. IV. Sect. 1. § 14 verba "Prælector Anatomicæ ...... in anatomica," abrogare.

(8) Item ibid. § 15, verba "Legat Prælector Praxeos Medicinæ ...... fundatoris," abrogare.

(9) Item ibid. § 17, verba "Quanquam Prælector ...... tempus excesserint" abrogare.

(10) Item ibid. § 19, verba "Arabicæ linguæ ...... Julii 2do" abrogare.

(11) Item ibid. § 22, hæc verba "duas lectionum series quotannis" abrogare.

(12) Item ibid. § 23, post verbum "exponat" hæc verba inserere ;—

Ad incrementum stipendii Professoris Chemiæ summam unius et septua-

ginta librarum decem solidorum quotannis pendat Vice-Cancellarius, sub hisce conditionibus, nempe,

1. Professor quotannis per sex menses in Universitate incolat et commoretur, inter decimum diem Octobris et primum diem Julii sequentis.

2. Professor Chemiam tum theoreticam tum practicam tractet.

3. Legat Professor quotannis duas lectionum series in duobus discretis terminis, scilicet per sex septimanas in utroque termino, et bis ad minimum in unaquaque septimana; atque insuper per octo septimanas unius alicujus termini bis ad minimum in qualibet septimana per unius horæ spatium vacet instruendis auditoribus in iis quæ melius sine ulla solennitate tradi possunt; discipulorum profectum quæstionibus statim enucleandis ad examen revocet, et iis exercitationes, si ipsi ita libuerit, domi in scriptis tractandas proponat.

4. Si evenerit ut Professor ad tempus valetudine impediatur quominus officio suo fungatur, aut si ei necesse fuerit præscripto legendi tempore propter causas urgentes et Vice-Cancellario approbatas extra Universitatem morari, ei Deputatum idoneum et Vice-Cancellario probatum, qui Professoris muneribus durante infirmitate aut absentia fungatur, nominare liceat; id quod exigere poterit Vice-Cancellarius, si sponte Professor in hac parte Statuto non satisfecerit.

5. Si Professor senio, morbo diuturno, incurabili impotentia, aut debilitate vel animi vel corporis fractus, suæ Professioni perficiendæ non suffecerit, virum, secundum ea quæ in hoc Statuto decernuntur idoneum, qui Professoris muneribus fungatur, Hebdomadali Concilio, rem proponente Vice-Cancellario, nominare liceat.

6. Si quando Deputatus muneribus Professoris fungatur determinet Concilium Hebdomadale quantum ex Professoris emolumentis Deputato persolvendum sit.

7. Ne alia quapiam Professione eodem tempore fungatur Professor, nec munus Observatoris Radcliffiani, nec officium Prælectoris alicujus in quovis Collegio publice legentis cum munere suo conjungat.

8. Si quid statuerit Academia de materie, numero aut tempore lectionum, de rationibus docendi, et de Auditoribus examinandis, id observet quicunque tum erit Professor.

9. Professori qui nunc est sua jura in omnibus reserventur.

(13) Item ibid. § 24, post verbum "explicabit" hæc verba inserere:—

Ad incrementum stipendii Professoris Philosophiæ Experimentalis quotannis pendat Vice-Cancellarius summam centum et septuaginta librarum, sub hisce conditionibus, nempe,

1. Professor quotannis per sex menses in Universitate incolat et commore-

tur, inter decimum diem Octobris et primum diem Julii sequentis. Liceat tamen Professori Philosophiæ Experimentalis qui nunc est, in vicinia Universitatis habitanti, ut stipendii sui incrementum percipiat, modo ne longius discedat neve in cæteris officio suo desit.

2. Philosophiæ Experimentalis quasque partes tractet Professor: nempe Mechanicam, Pneumaticam, Opticam, Thermoticam, Electricam et Magneticam; et quasvis alias partes Philosophiæ quæ per experimenta commode illustrentur.

3. Legat Professor quotannis duas lectionum series in duobus discretis terminis, scilicet per sex septimanas in utroque termino, et bis ad minimum in unaquaque septimana; atque insuper per octo septimanas unius alicujus termini bis ad minimum in qualibet septimana per unius horæ spatium vacet instruendis auditoribus in iis quæ melius sine ulla solennitate tradi possunt; discipulorum profectum quæstionibus statim enucleandis ad examen revocet, et iis exercitationes, si ipsi ita libuerit, domi in scriptis tractandas proponat.

4. Si evenerit ut Professor ad tempus valetudine impediatur quominus officio suo fungatur, aut si ei necesse fuerit præscripto legendi tempore propter causas urgentes et Vice-Cancellario approbatas extra Universitatem morari, ei Deputatum idoneum et Vice-Cancellario probatum, qui Professoris muneribus durante infirmitate aut absentia fungatur, nominare liceat; id quod exigere poterit Vice-Cancellarius, si sponte Professor in hac parte Statuto non satisfecerit.

5. Si Professor senio, morbo diuturno, incurabili impotentia, aut debilitate vel animi vel corporis fractus, suæ Professioni perficiendæ non suffecerit, virum, secundum ea quæ in hoc Statuto decernuntur idoneum, qui Professoris muneribus fungatur, Hebdomadali Concilio, rem proponente Vice-Cancellario, nominare liceat.

6. Si quando Deputatus muneribus Professoris fungatur determinet Concilium Hebdomadale quantum ex Professoris emolumentis Deputato persolvendum sit.

7. Ne alia quapiam Professione eodem tempore fungatur Professor, nec munus Observatoris Radcliffiani, nec officium Prælectoris alicujus in quovis Collegio publice legentis cum munere suo conjungat.

8. Si quid statuerit Academia de materie, numero aut tempore lectionum, de rationibus docendi, et de Auditoribus examinandis, id observet quicunque tum erit Professor.

9. Professori qui nunc est sua jura in omnibus reserventur.

(14) Item ibid. § 25, post verbum "exponat" hæc verba inserere:—

Ad incrementum stipendii Professoris Mineralogiæ pendat quotannis Vice-

Cancellarius summam centum et quinquaginta librarum sub hisce conditionibus, nempe,

1. Professor quotannis per sex menses in Universitate incolat et commoretur, inter decimum diem Octobris et primum diem Julii sequentis.

2. Professor Mineralogiæ tractet mineralia secundum qualitates chemicas et physicas; structuram eorum geometricam exponat; quibus elementis et quo modo consociatis constent; quomodo inter se pondere, colore, duritie, aliisque affectibus distinguantur; et quomodo in ordines digerantur.

3. Legat Professor quotannis duas lectionum series in duobus discretis terminis, scilicet per sex septimanas in utroque termino, et bis ad minimum in unaquaque septimana; atque insuper per octo septimanas unius alicujus termini bis ad minimum in qualibet septimana per unius horæ spatium vacet instruendis auditoribus in iis quæ melius sine ulla solennitate tradi possunt; discipulorum profectum quæstionibus statim enucleandis ad examen revocet, et iis exercitationes, si ipsi ita libuerit, domi in scriptis tractandas proponat.

4. Si evenerit ut Professor ad tempus valetudine impediatur quominus officio suo fungatur, aut si ei necesse fuerit præscripto legendi tempore propter causas urgentes et Vice-Cancellario approbatas extra Universitatem morari, ei Deputatum idoneum et Vice-Cancellario probatum, qui Professoris muneribus durante infirmitate aut absentia fungatur, nominare liceat; id quod exigere poterit Vice-Cancellarius, si sponte Professor in hac parte Statuto non satisfecerit.

5. Si Professor senio, morbo diuturno, incurabili impotentia, aut debilitate vel animi vel corporis fractus, suæ Professioni perficiendæ non suffecerit, virum, secundum ea quæ in hoc Statuto decernuntur idoneum, qui Professoris muneribus fungatur, Hebdomadali Concilio, rem proponente Vice-Cancellario, nominare liceat.

6. Si quando Deputatus muneribus Professoris fungatur determinet Concilium Hebdomadale quantum ex Professoris emolumentis Deputato persolvendum sit.

7. Ne alia quapiam Professione eodem tempore fungatur Professor, nec munus Observatoris Radcliffiani, nec officium Prælectoris alicujus in quovis Collegio publice legentis cum munere suo conjungat.

8. Si quid statuerit Academia de materie, numero aut tempore lectionum, de rationibus docendi, et de Auditoribus examinandis, id observet quicunque tum erit Professor.

9. Professori qui nunc est sua jura in omnibus reserventur.

(15) Item ibid. § 26, post verbum "exponat," hæc verba inserere:—

Ad incrementum stipendii Professoris Geologiæ pendat quotannis Vice-Cancellarius summam ducentarum librarum sub hisce conditionibus, nempe,

1. Professor quotannis per sex menses in Universitate incolat et commoretur, inter decimum diem Octobris et primum diem Julii sequentis.

2. Professor principia Geologiæ tractet, speciatim telluris physicam structuram, lithologiam et palæontologiam; nec omittat occasionem demonstrandi quomodo rei metallariæ agriculturæ et aliis artibus Geologia inserviat.

3. Legat Professor quotannis duas lectionum series in duobus discretis terminis, scilicet per sex septimanas in utroque termino, et bis ad minimum in unaquaque septimana; atque insuper per octo septimanas unius alicujus termini bis ad minimum in qualibet septimana per unius horæ spatium vacet instruendis auditoribus in iis quæ melius sine ulla solennitate tradi possunt; discipulorum profectum quæstionibus statim enucleandis ad examen revocet, et iis exercitationes, si ipsi ita libuerit, domi in scriptis tractandas proponat.

4. Si evenerit ut Professor ad tempus valetudine impediatur quominus officio suo fungatur, aut si ei necesse fuerit præscripto legendi tempore propter causas urgentes et Vice-Cancellario approbatas extra Universitatem morari, ei Deputatum idoneum et Vice-Cancellario probatum, qui Professoris muneribus durante infirmitate aut absentia fungatur, nominare liceat; id quod exigere poterit Vice-Cancellarius, si sponte Professor in hac parte Statuto non satisfecerit.

5. Si Professor senio, morbo diuturno, incurabili impotentia, aut debilitate vel animi vel corporis fractus, suæ Professioni perficiendæ non suffecerit, virum, secundum ea quæ in hoc Statuto decernuntur idoneum, qui Professoris muneribus fungatur, Hebdomadali Concilio, rem proponente Vice-Cancellario, nominare liceat.

6. Si quando Deputatus muneribus Professoris fungatur determinet Concilium Hebdomadale quantum ex Professoris emolumentis Deputato persolvendum sit.

7. Ne alia quapiam Professione eodem tempore fungatur Professor, nec munus Observatoris Radcliffiani, nec officium Prælectoris alicujus in quovis Collegio publice legentis cum munere suo conjungat.

8. Si quid statuerit Academia de materie, numero aut tempore lectionum, de rationibus docendi, et de Auditoribus examinandis, id observet quicunque tum erit Professor.

(16) Item ibid. § 27, verba "Prælector Linguæ Anglo-Saxonicæ ...... legat" abrogare.

(17) Item ibid. § 33, *De Professore Linguæ et Literarum Latinarum*, abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare

De Professore Linguæ et Literarum Latinarum, a Collegio Corporis Christi constituto.

1. Professor a Vice-Cancellario, ab utroque Procuratore, a Præsidente et

aliquo e sociis Collegii Corporis Christi ad hoc munus deputato, a Professore Græcæ Linguæ Regio, a Professore Historiæ Camdeniano, ab Oratore Publico, a Professore Poeticæ, ab Examinatore publico seniore in Literis Humanioribus, et a Moderatore seniore in Literarum Græcarum et Latinarum Schola, eligatur ex iis qui in aliqua facultate inceperint; et ille in quem major pars suffragantium consenserit electus a Vice-Cancellario pronuntietur.

2. Professor quotannis per sex menses in Universitate incolat et commoretur, inter decimum diem Octobris et primum diem Julii sequentis.

3. In lectionibus rem criticam, quod ad linguam et literas Latinas pertinet, diligenter tractet Professor; linguæ Latinæ origines ab ipsis fontibus repetat; linguam Latinam cum aliis linguis comparet, et ad philosophiæ rationes explicet; et alia in materie sua tractet quæ usibus Academiæ expedire putaverit. Optimæ notæ scriptores cum junioribus legat; auditorum acumen in interpretandis scriptoribus exerceat, profectum quæstionibus statim enucleandis ad examen revocet, diligentiam stimulet et judicium colat locos ex poetis nostratibus vel pedestris sermonis scriptoribus Latine vertendos proponendo, vel etiam argumenta de quibus, suopte ingenio freti, aut soluta oratione disserant aut versus componant: aliis denique modis Juniorum usibus inserviat.

4. Professor quadraginta octo ad minimum lectiones quotannis in usum Juniorum sive in duobus sive in tribus terminis legat. Insuper duas ad minimum lectiones solennes sermone vernaculo quotannis legat, nec quidquam mercedis ab iis exigat qui hisce lectionibus interesse velint. De die hora et loco quibus habendæ sunt hæ solennes lectiones Academiam modo consueto certiorem Professor faciat.

5. Quod si Professor insigniter negligens in officio suo, vel notabiliter insufficiens fuerit, vel si pravis moribus Academiam dedecoraverit, vel si Statutis ad ipsum spectantibus morem gerere recusaverit, Vice-Cancellario rem proponente, prius conventus, auditus (si ipsi libuerit), et convictus, admoneatur, vel etiam, si aliter malo occurri non possit, a munere suo moveatur per Vice-Cancellarium et Delegatos Appellationum in Congregatione aut majorem partem eorum.

6. Si evenerit ut Professor ad tempus valetudine impediatur quominus officio suo fungatur, aut si ei necesse fuerit præscripto legendi tempore propter causas urgentes et Vice-Cancellario approbatas extra Universitatem morari, ei Deputatum idoneum et Vice-Cancellario probatum, qui Professoris muneribus durante infirmitate aut absentia fungatur, nominare liceat; id quod exigere poterit Vice-Cancellarius, si sponte Professor in hac parte Statuto non satisfecerit.

7. Si Professor senio, morbo diuturno, incurabili impotentia, aut debilitate vel animi vel corporis fractus, suæ Professioni perficiendæ non suffecerit, virum, secundum ea quæ in hoc Statuto decernuntur idoneum, qui Profes-

soris muneribus fungatur, iis quibus Professorem ipsum eligendi cura delegata est, rem proponente Vice-Cancellario, nominare liceat.

8. Si quando Deputatus muneribus Professoris fungatur, determinet Vice-Cancellarius quantum ex Professoris emolumentis Deputato persolvendum sit.

9. Si quid statuerit Academia de materie, numero aut tempore lectionum, de rationibus docendi, et de Auditoribus examinandis; id observet quicunque tum erit Professor.

10. Alumni Collegii Corporis Christi a Professore gratis omnino instruantur.

11. Ne alia quapiam Professione eodem tempore fungatur Professor, nec officium Prælectoris alicujus in quovis collegio publice legentis cum munere suo conjungat.

12. Professori qui nunc est sua jura in omnibus reserventur.

(18) Item ibid. Sect. II. § 2, post verba "Quod si post publicam istam monitionem" hæc verba "tres Academici prælectoris cujuslibet lectioni intersint, Prælector" abrogare, et in eorum locum subrogare "vel unus Academicus Professoris cujuslibet lectioni intersit, Professor."

Quod ad statuta in hoc titulo comprehensa pertinet terminus Paschatis et terminus S. Trinitatis pro uno termino reputentur.

De Statutis his rogandis, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo septimo mensis Januarii. Promulgata sunt eadem Statuta in Domo Congregationis die octavo mensis Februarii, et in eadem Domo die vicesimo secundo ejusdem mensis Februarii probata; tandem in Convocatione publicata et confirmata die decimo quinto mensis Martii anno Domini MDCCCLIX.

Placuit Universitati

Tit. XV. (XIX.) §. 8. post verba "Clerico quoque Universitatis" hæc verba "qui nunc est" abrogare.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die decimo quarto mensis Martii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die decimo septimo ejusdem mensis Martii, et in eadem Domo die vicesimo quarto ejusdem mensis Martii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die tricesimo primo ejusdem mensis Martii anno Domini MDCCCLIX.

De Professore Philosophiæ Moralis et Metaphysicæ Waynfletiano.

Quoniam e proventibus Collegii Magdalenensis in Universitate Oxoniensi Professio Philosophiæ Moralis et Metaphysicæ fundata sit, aliis auctoritate Regia legibus sancitis, aliis ab Universitate postea ferendis;—

Placuit Academiæ hæc sancire—

1. Professor Waynfletianus tum disserendo, tum auctores probatos interpretando Philosophiam Moralem et Metaphysicam exponat: historiam insuper philosophiæ, prout expedire videbitur, liceat Professori tractare.

2. Legat Professor quotannis duas lectionum series in duobus discretis terminis, scilicet per sex septimanas in utroque termino, et bis ad minimum in unaquaque septimana: atque insuper per octo septimanas unius alicujus termini, bis ad minimum in unaquaque septimana, per unius horæ spatium vacet instruendis auditoribus in iis quæ melius sine ulla solennitate tradi possunt: discipulorum profectum quæstionibus statim enucleandis ad examen revocet; et iis exercitationes, si ipsi ita libuerit, domi in scriptis tractandas proponat.

Ex auditoribus ne plus exigat mercedis quam ab Universitate permissum est.

Unam porro ad minimum lectionem quotannis publice habeat, ab Academicis quibuscunque sine mercede audiendam.

3. Si evenerit ut Professor ad tempus valetudine impediatur, quominus officio suo fungatur, aut si ei necesse fuerit præscripto legendi tempore propter causas urgentes et Vice-Cancellario probatas extra Universitatem morari, ei Deputatum idoneum et Vice-Cancellario probatum, qui Professoris muneribus durante infirmitate aut absentia fungatur, nominare liceat; id quod exigere poterit Vice-Cancellarius, si sponte Professor in hac parte Statuto non satisfecerit.

4. Si Professor senio, morbo diuturno, incurabili impotentia, aut debilitate vel animi vel corporis fractus, suæ Professioni perficiendæ non suffecerit, virum secundum ea quæ in hoc Statuto decernuntur idoneum, qui Professoris muneribus fungatur, iis quibus Professorem ipsum eligendi cura delegata est, rem proponente Vice-Cancellario, nominare liceat.

5. Si quando Deputatus nominatus sit, determinent Vice-Cancellarius et Procuratores quantum ex Professoris emolumentis Deputato persolvendum sit.

6. Si quid statuerit Academia de materie, numero aut tempore lectionum, de ationibus docendi, et de Auditoribus examinandis, id observet quicumque tum rit Professor.

7. Ne alia quapiam Professione eodem tempore fungatur Professor, nec officium Prælectoris alicujus in quovis Collegio publice legentis cum munere suo conjungat.

8. Quod ad hoc statutum pertinet, terminus Paschatis et terminus S. Trinitatis pro uno termino reputentur.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die decimo quarto mensis Martii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die decimo septimo ejusdem mensis Martii, et in eadem Domo die vicesimo quarto ejusdem mensis Martii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die tricesimo primo ejusdem mensis Martii anno Domini MDCCCLIX.

Placuit Universitati verba in Stat. Tit. XII. (XVI.) §. 2. "excepto tempore magnæ vacationis" abrogare, et hæc verba "exceptis iis qui in tempore magnæ vacationis, et inter Natalem Domini et diem in quo Concio Latina in initio termini Hilarii habetur occurrunt" subrogare.

Ibidem post verba "exceptis iis, qui in tempore magnæ vacationis occurrunt" hæc verba "necnon S. Stephani, S. Joannis Evangelistæ, SS. Innocentium festis." subjicere.

Placuit etiam ibid. §. 4. verba "Statutum est quod——semper habeantur" abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare:

"Concio etiam extra ordinem in festo Inaugurationis Regiæ ab aliquo ad id muneris a Vice-Cancellario assignato habeatur. Porro conciones sive prælectiones octo theologicæ, quas supremo testamento suo vir Rev. Joannes Bampton A.M. in ecclesia B. Mariæ inter initium ultimi mensis termini Hilarii atque finem tertiæ septimanæ termini Trinitatis quolibet anno haberi mandavit, diebus Dominicis intra terminum ante meridiem intra tempus præstitutum, semper habeantur."

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die decimo quarto mensis Martii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo quinto ejusdem mensis Martii, et in eadem Domo die tricesimo primo ejusdem mensis Martii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die septimo mensis Aprilis anno Domini MDCCCLIX.

Placuit Universitati

(1.) In Stat. Tit. V. (VI.) Sect. I. §. 1. lin. 2, verba

"termino a matriculatione decimo sexto, ex quo autem intra Academiam "degere inceperint duodecimo", abrogare, et

"termino ex quo intra Academiam degere inceperint duodecimo," subrogare.

(2.) Item ibid. §. 2. par. 3, abrogare, et hæc verba subrogare:

"Nemini Responsio sua cedat pro forma post finitum terminum a tempore "matriculationis suæ quintum."

(3.) Item ibid. par. 4, verba "a tempore matriculationis suæ sextum terminum", abrogare, et

"a tempore matriculationis suæ quartum terminum", subrogare.

(4.) Item ibid. Sect. VII. par. 2, abrogare, et hæc verba subrogare:

"Insuper in iis gradibus qui a non graduatis primo suscipiuntur, tempus "hujusmodi gradui præstitutum per terminos residentiæ computandum "est."

(5.) Item Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 3, par. 3, abrogare, et hæc verba subrogare:

"Nemini autem examen suum cedat pro forma, qui vel ante inchoatum a "tempore matriculationis suæ terminum septimum, vel post finitum deci-"mum se examinandum stiterit; exceptis iis quibus indulget Academia ut "integro biennio in studiis academicis completo ad gradum promoveantur. "Hisce liceat post inchoatum sextum terminum examen subire."

(6.) Item ibid., par. 4, verba "undecimum terminum", abrogare, et "nonum ter-"minum", subrogare.

(7.) Item ibid., §. 4, par. 27, hæc verba addere:

"Nullus autem Candidatus honore afficiatur, qui terminum a matricula-"tione sua decimum excesserit."

(8.) Item ibid. §. 7, par. 3, abrogare, et hæc verba subrogare:

"Omnibus liceat sese examinandos sistere termino a tempore matricula-"tionis suæ duodecimo. Quod si cujusvis terminus undecimus in termi-

" num Paschatis inciderit, illi in eo ipso termino liceat sese examinandum " sistere. Iis vero quibus indulget Academia ut integro biennio in studiis " academicis completo ad gradum promoveantur, liceat post inchoatum ter- " tium annum a tempore matriculationis suæ examen subire."

(9.) Item ibid., Sect. III. §. 1, par. 1, verba "a tempore matriculationis suæ annos " ad primum quem ambit gradum requisitos" abrogare, et " terminos ad " primum quem ambit gradum requisitos," subrogare.

(10.) Item ibid. §. 4, par. 1, verba " terminum decimum sextum a matriculatione " attigerit", abrogare.

(11.) Item ibid., par. 4, verba, " terminum duodecimum a matriculatione attigerit," abrogare, et " terminos per statuta requisitos," subrogare.

(12.) Item ibid., §. 4, prope finem, verba " terminum decimum sextum a matricu- " latione attigerit," abrogare.

De Statutis his rogandis, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die decimo octavo mensis Martii. Promulgata sunt eadem Statuta in Domo Congregationis die vicesimo quarto ejusdem mensis Martii, et in eadem Domo die tricesimo primo ejusdem mensis Martii probata; tandem in Convocatione publicata et confirmata die septimo mensis Aprilis anno Domini MDCCCLIX.

Placuit Universitati Stat. Tit. XI. (XV.) post §. 15, p. 150, hæc verba addere:

Proviso tamen, si e Republica visum fuerit, ut per Vice-Cancellarium et Procuratores armis utendi licentia concedi possit, Statutis quibusvis aliis non obstantibus.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die decimo sexto mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo ejusdem mensis Maii, et in eadem Domo die vicesimo quinto ejusdem mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die secundo mensis Junii anno Domini MDCCCLIX.

Placuit Universitati Stat. Tit. VI. (IX). Sect. II. §. 7. cl. 4. 5. 6. 7. 8. 9. ed. min. p. 82. abrogare verba, "Nemo ad hoc examen——deferri curet:" et subrogare,

4. Nemo ad hoc examen subeundum admittatur, nisi qui Moderatoribus satisfecerit.

5. Testimonium sub chirographo trium Moderatorum quilibet candidatus in schola literarum humaniorum examinandus, una cum testimonio matriculationis suæ, quilibet autem candidatus in alia quavis schola examinandus testimonium matriculationis suæ, per se vel per tutorem suum coram Procuratore seniore, eo ipso tempore quo et nomen suum inter candidatos profitetur, exhibeat; neque liceat Procuratori, testimoniis istis non exhibitis, candidatum in numerum examinandorum referre.

6. Procurator autem senior, ubi tandem modo supra præscripto de iis omnibus qui sese examinandos in termino aliquo profiteri velint, certior factus fuerit, eorum nomina in quatuor schedulas referat secundum ordinem literarum disposita: hæ autem schedulæ hos titulos præ se ferant, nempe,

Prima, Nomina examinandorum secunda examinatione, termino —— A. D. —— in schola lit. hum.
Secunda, Nomina, &c.......in schola scient. math. et phys.
Tertia, Nomina, &c.......in schola scient. naturali.
Quarta, Nomina, &c.......in schola jurisprud. et hist. mod.

Deinde schedulas istas singillatim, quum primum unaquæque earum confecta fuerit, chirographo suo munitas et typis mandatas ad Vice-Cancellarium, ad singulos collegiorum et aularum Præfectos, ad Procuratorem juniorem, ad singulos Examinatores, et ad cujusque collegii vel aulæ refectorium tam publicum quam privatum Magistrorum deferri, et ostiis etiam Bibliothecæ Bodleianæ, scholæ Metaphysicæ et apodyterii venerabilis domus Convocationis affigi curet.

7. Et hæ schedulæ procuratoriæ, modo et forma præscriptis publicatæ, pro licentia monitione et notificatione generali tam ab ipsis Examinatoribus qnam a candidatis habendæ et accipiendæ sunt.

8. Procurator insuper in aliam schedulam nomina referat candidatorum omnium qni terminum duodevicesimum ab ipsorum matriculatione excesserint; et hanc schedulam, manu scriptam et nomine suo signatam, una cum schedulis rerum et librorum in quibus unusquisque candidatus sese examinandum profitetur, qnum primum fieri poterit ad Examinatorem in unaquaque schola seniorem deferri curet.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die tricesimo mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die septimo mensis Junii, et in eadem Domo die vicesimo quarto ejusdem mensis Junii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die secundo mensis Julii anno Domini MDCCCLIX.

Placuit Universitati Tit. V. (VI.) Sect. II. §. 1. edit. nov. 1858, p. 50, hæc verba abrogare:—

"et in uno saltem termino post admissionem ad gradum Baccalaurei per tres septimanas in Universitate commorati fuerint."

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo mensis Junii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo quarto ejusdem mensis Junii, et in eadem Domo die secundo mensis Julii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die tertio mensis Novembris anno Domini MDCCCLIX.

Placuit Universitati Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. 1. § 4. post verba "in Catalogo inserenda" hæc verba inserere,

Si modo eo tempore nomina in Promptuario Collegii vel Aulæ alicujus inscripta habeant, quod ex Collegiorum vel Aularum Præfectis comperiant Procuratores.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo tertio mensis Januarii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo sexto ejusdem mensis Januarii, et in eadem Domo die decimo sexto mensis Februarii probatum ; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo tertio ejusdem mensis Februarii anno Domini MDCCCLX.

Placuit Universitati Tit. VII. (X.) Sect. II, §§. 2, 3, 4 abrogare, et iu eorum locum quæ sequuntur subrogare:—

§. 2.—*De statutis et decretis in domo Convocationis condendis.*

Si quando ex usu Academiæ futnrum videbitur aliquid statuere vel decernere, priusquam statutum quodvis vel decretum suffragiis Magistrorum Regentinm et Non-regentium permittatur, primo in Hebdomadali Concilio tractetur negotium.

2. Atque ubi, re mature perpensa, in eo convenerit de verbis conceptis snb quibus statutum vel decretum condendum videbitur, statutum quodvis post justam monitionem in Congregatione Universitatis Oxoniensis promnlgetur, dein in Congregatione iterum post spatium tridui integrum ad minimum proponatur, et, si a Congregatione acceptum fuerit, post integrum septem dierum spatium ad minimum Convocationi submittatur.

3. In qua iisdem verbis quibns in Congregatione propositum fuerat, per Registrarium mandato Vice-Cancellarii palam recitetnr, et de eodem Regentium et Non-regentium suffragia rogentur. Si autem in domo Convocationis approbatum fuerit, vim suam ex eo die, nisi aliter in ipso statnto provisum sit, sortiatur.

4. Decretum vero quodvis, postquam a Concilio Hebdomadali approbatum fuerit, immediate, sine Congregationis auctoritate, Convocationi post justam monitionem submittatur.

5. Quæcunque negotia ad legem generalem dirigi possint, per statuta administrari volumus. Sin autem casus singuli inciderint, quibus illico providendum sit, his per decreta liceat occurrere.

Porro, cum statutorum rigorem modo privatis hominum commoditatibus, modo necessitatibus ipsorum attemperari quandoqne expediat, liceat his casibus decreto consulere.

Scilicet, si qui hujns Universitatis alnmni perspectæ probitatis et eruditionis viri, quique per quindecim annorum spatium (compntandum ab admissione eorum ad Regendum) theologiæ operam navarunt, præstitis prius pro utrovis gradu requisitis exercitiis, gradus cumnlare sive simul capessere desiderent.

Vel si gradum Academicum in quemvis Decreto aut Diplomate conferre placuerit.

Vel si in prælatos quosvis, magnates vel nobiles, aliisve nominibus illustres viros, honoris causa gradus Academicos, sive intra Academiam, sive (missis qui Cancellarium, Procuratores et Magistros Regentes repræsentent) extra Academiam, conferre placnerit.

Et universim si qui alii fuerint casus disciplinæ Academicæ non repugnantes.

6. Si quod vero delictum inciderit contra quod speciali nullo statuto cautum fuerit, Vice-Cancellarius cum consensu Concilii Hebdomadalis pro arbitrio pœnam irroget; donec speciali aliquo statuto contra hujusmodi delictum provisum fuerit.

7. Ut statuta et decreta omnia in posterum condenda fideliter custodiantur, Registrarius registra duo ad hunc usum idonea comparet, in quorum utroque unum exemplar, seu manu scriptum seu typis mandatum, statuti cujusvis et decreti inserendum curet. Hæc autem exemplaria priusquam inserantur Vice-Cancellarius et Procuratores diligenter inspiciant, et si nullus in iis insit error, chirographo suo muniant; quæ deinde authentica exemplaria statuti cujusvis et decreti habeantur.

Horum registrorum custodiam habeat Registrarius donec ad umbilicum perducta erunt, ubi alterum in archivis Universitatis, alterum in Bibliotheca Bodleiana reponatur.

Interea, ea inspiciendi copia fiat a Registrario id volentibus academicis.

Necnon in Titulo VII (X). Sect. I. §. 2. 4 ante verbum "decreto," verbum "Statuto" inserere.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die nono mensis Martii. Promulgatum est idem Statutum die decimo quinto ejusdem mensis Martii, et in eadem Domo die vicesimo sexto mensis Aprilis probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die tertio mensis Maii anno Domini MDCCCLX.

Placuit Universitati Tit. VII. (X.) II. 6. post verba "nec tamen jus suffragii habeant" hæc verba subjicere:

Pecuniarum sibi concreditarum, et in administratione Musei erogatarum, Delegati rationem reddant Delegatis ad computandas Rationes quotannis.

Placuit Universitati Tit. XV. (XIX.) 14. post verba

"Clarendoniarum Ædium famulo	£50	0	0"

hæc verba subjicere:

Delegatis Musei Academici quotannis,

In usum Musei in triennium, nec amplius, summam non excedentem	565	0	0
In usum Professoris Chemiæ ad ignes et lumina, item in triennium, summam non excedentem	80	0	0

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die duodecimo mensis Martii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo ejusdem mensis Martii, et in eadem Domo die tertio mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo quinto ejusdem mensis Maii anno Domini MDCCCLX.

Sectio V.—*De tempore et exercitiis requisitis ad gradus in Medicina capessendos.*

§. 1. *Quot anni in studio Medicinæ ponendi requirantur ad gradum Baccalaurei in Medicina.*

Unusquisque, antequam Baccalaureatum in Medicina consequatur, tres annos integros, sive duodecim terminos, eodem modo quo scholares in facultate Artium in Academia absque dolo malo degat, examinationes omnes ad gradum Baccalaurei in Artibus requisitas subeat, et postquam Examinatoribus in una saltem schola satisfecerit, Medicinæ studio, sive intra Academiam sive alibi, per quatuor annos (scil. sedecim terminos) operam dedisse teneatur. Postquam autem in examinationibus pro gradu Baccalaurei in Artibus Examinatoribus satisfecerit, vel gradum Baccalaurei in Artibus suscipiat vel ad Statum Studiosi in Medicina admittatur. Si ad statum Studiosi in Medicina admitti malit, habitu academico uti liceat, qualem Academia Studiosis in Jure Civili indulget.

2. Magistris vero in Artibus vel Baccalanreis in Jure Civili liceat Baccalaureatum in Medicina capessere, si modo Examinatoribus in examinationibus infra sancitis satisfecerint.

§. 2. *De examinationibus pro gradu Baccalaurei in Medicina, et de Examinatoribus designandis et juramento onerandis.*

Si quis ad Baccalaureatum in Medicina promoveri cupiat, priusquam ad supplicandum pro gratia admittatur, duas examinationes subeat.

2. Harum examinationum prima in iis scientiis habeatur quibus Medicina tanquam fundamento innititur, secunda in ipsa Medicina et iis scientiis quæ cum Medicina arctius cohærent. Ad primam examinationem subeundam nemo (iis exceptis de quibus infra dicendum est) admittatur, nisi qui duos annos (scil. octo terminos) compleverit, postquam Examinatoribus publicis in una schola (ut supra dictum) satisfecerit; ad secundam nemo, nisi qui quatuor annos (scil. sedecim terminos) ex eodem puncto temporis computandos, et duos saltem annos postquam Examinatoribus in prima examinatione pro gradu Baccalaurei in Medicina satisfecerit, compleverit.

Proviso tamen quod si qui in schola Naturalis Scientiæ primos vel secundos honores reportaverint, his fas sit testimonia ab Examinatoribus postulare, quo appareat num in Philosophia Mechanica, Chemia, vel Botanica Examinatoribus se eximie commendaverint. Quicunque vero ista testimonia exhibuerint, iis liceat primam examinationem pro gradu Baccalaurei in Medicina primo quoque tempore subire, nec in ea scientia vel iis scientiis ad quas testimonia pertineant denuo examinari.

3. Quod ad primam examinationem attinet, tres Examinatores ex eorum numero qui in aliqua facultate rexerint, quod ad secundam, duo ex iis qui in Medicina inceperint, a Vice-Cancellario singulis examinationibus nominentur, et deinceps a domo Convocationis approbentur. His semper adjiciatur Medicinæ Professor Regius, cujus erit huic negotio præesse et in paritate suffragiorum rem decidere. Sin Professor propter gravem aliquam causam absit, alium quendam in Medicina Doctorem Vice-Cancellarius in ejus locum substituat.

4. Singuli autem Examinatores antequam munera sua adeant, coram Vice-Cancellario, exigente Seniore Procuratore, juramentum præstent in hæc verba; viz.

Domine Doctor [vel Magister], *tu jurabis quod munus et officium Examinatoris publici in facultate Medicinæ sedulo et fideliter pro virili exequeris, forma et modo per statuta requisitis.* Resp. *Juro.*

Item tu jurabis quod, sepositis omni odio et amicitia, timore et spe, neque indigno cuivis testimonium perhibebis neque digno denegabis. Resp. *Juro.*

Item tu jurabis quod nullo modo revelabis suffragium quod vel ipse tuleris vel alius quivis Examinator tulerit de testimonio alicui perhibendo vel denegando. Resp. *Juro.*

§. 3. *De tempore, loco, materie et modo examinationum.*

Semel quolibet anno examinatio utriusque generis habeatur in pleno termino Michaelis.

2. His examinationibus liceat Examinatoribus cum consensu Vice-Cancellarii locum aliquem idoneum assignare, modo ante examinationem habendam triduo saltem de hac re Academiam certiorem faciant.

3. Instituatur examinatio prima in Anatomia et Physiologia Humana (ratione habita cum descriptionis tum praxeos), et aliquatenus in Anatomia et Physiologia Comparativa, insuper in iis partibus Philosophiæ Mechanicæ, Botanicæ, et Chemiæ quæ Medicinæ subserviunt. Secundæ examinationis hæc esto materies, scilicet theoria et praxis Medicinæ (morbis mulierum et infantium inclusis), Materia Medica, Ars Therapeutica et Pathologia, principia Chirurgiæ et Artis Obstetriciæ, Jurisprudentia Medica et Hygiene (quam vocant) generalis. Examinatoribus liberum esto quemlibet candidatum vel in hisce universis vel in aliqua parte harum (prout ipsis satius visum fuerit) examinare. Porro nunquam non adjiciantur veteres illi scriptores, Hippocrates, Aretæus, Galenus et Celsus, quorum duo ad minimum in omni examine semper adhibentor.

Proviso tamen ut in alterius locum substituere liceat quemvis ex recentioribus a Professore Regio approbatum.

4. Cujuslibet candidati examen partim viva voce partim scriptis partim via practica peragatur, et quantum fieri poterit uno decursu, vel saltem sine diei intervallo, absolvatur. Omnes Examinatores uniuscujusque examini per integrum tempus intersint, nisi aliquid in scriptis vel in via practica præstandum sit, quo in casu unus tantummodo adesse teneatur.

5. Peracta utraque examinatione, Examinatores de candidatis singulis inter se judicium ferant, et quemcunque dignum invenerint ei testimonium perhibeant;—in prima examinatione sub hac forma:

> *A. B.*, [die mensis et anni], *in prima examinatione pro gradu Baccalaurei in Medicina examinatus prout Statuta requirunt, satisfecit nobis Examinatoribus.*

Ita testamur { C. D., M. P. R.
E. F.
G. H.
I. K.

In secunda autem sub hac forma:

> *A. B.*, [die mensis et anni], *in secunda examinatione pro gradu Baccalaurei in Medicina examinatus prout Statuta requirunt, satisfecit nobis Examinatoribus.*

Ita testamur { C. D., M. P. R.
E. F.
G. H.

6. Nomina quoque eorum qui Examinatoribus satisfecerunt in registrum peculiare inserantur penes Registrarium Universitatis, finita quaque examinatione, adservandum.

7. Quod si contingat aliquem hujusmodi testimonio indignum reperiri, liceat illi in aliqua sequente examinatione candidatum se iterum profiteri.

8. His examinationibus interesse liceat omnibus Magistris in Artibus, Baccalaureis in Jure Civili, et quibuslibet superiore aliquo gradu insignitis; necnon Baccalaureis in Artibus, si modo coram Professore Regio spoponderint Medicinæ se operam daturos. Sub eadem conditione liceat juristis et aliis nondum graduatis, qui examen pro gradu Baccalaurei in Artibus vel Baccalaurei in Jure Civili subierint, his examinationibus interesse.

9. Unusquisque candidatus examen subiturus Medicinæ Professorem Regium hac de re certiorem facere tenebitur decimo quarto die ad minimum ante

hebdomadam examinationi habendæ destinatam. Ante secundam vero Examinationem Professori in manus literas certificatorias tradendas curet, quibus se apud quoddam melioris notæ nosocomium morbis curandis interfuisse constet. Nec Professori Regio licebit, literis certificatoriis istis a majori parte Examinatorum non approbatis, aliquem ad examen subeundum admittere.

§. 4. *Quot anni in studio vel praxi Medicinæ ponendi ad incipiendum in Medicina requirantur.*

Si quis ad Doctoratum in Medicina promoveri cupiat, post gradum Baccalaurei in Medicina susceptum per tres annos integros studio vel praxi Medicinæ incumbat, sive intra Academiam sive alibi, priusquam ad incipiendum in eadem facultate admittatur.

§. 6. *De incorporandis sive Medicinæ studiosis sive graduatis.*

Unusquisque sive Graduatus in Medicina sive Studiosus, ex alia Academia hic incorporandus, priusquam in matriculam hujus Academiæ referatur, testimonia coram Vice-Cancellario exhibeat, quibus liquido pateat eum exercitia præstitisse omnia quæ in sua Academia nondum graduati pro Baccalaureatu in Artibus præstare tenentur. Cautum sit insuper nequis in Medicina graduatus incorporetur, nisi examinationes prius subierit, tempus compleverit, et reliqua præstiterit omnia quæ per præsens hoc Statutum requiruntur.

Prior Examinatio hoc Statuto sancita primum fiat termino Michaelis A. D. 1861, secunda termino Michaelis A. D. 1863. Interim vero examinentur pro Baccalaureatu in Medicina ut hactenus fuit moris. Quicunque autem ante terminum Hilarii, A. D. 1860, Studiosus in Medicina factus sit, Baccalaureatum in Medicina capessere poterit, si examen subierit juxta formam Statuti ante istum terminum valentis.

Placuit Universitati post Stat. Tit. VI. (IX.) III. §. 4. hæc verba inserere,

Formula petendi gratiam pro Studioso in Medicina.

Supplicat venerabili huic Congregationi A. B. scholaris e collegio C. in quo (*vel, si tempus non in uno aliquo collegio vel aula compleverit,* in quo partim, partim in collegio vel aula A.) non in domo aliqua privata, per integrum tempus ad gradum Baccalaurei in Artibus per statuta requisitum, ipsum cubile et victum continue sumpsisse scio; quatenus examen publicum pro gradu subierit; et reliqua compleverit omnia quæ per statuta Universitatis requiruntur; ut hæc sibi sufficiant, quo admittatur ad statum Studiosi in Medicina.

Item, Tit. VI. (IX.) Sect. IV. §. 3. post verba "in Jure Civili:"

Formula præsentandi ad statum Studiosi in Medicina:

Insignissime Vice-Cancellarie, vosque egregii Procuratores, præsento vobis hunc meum Scholarem (*vel* hos meos Scholares) ut admittatur (*vel* admittantur) ad statum Studiosi in Medicina.

Item, Tit. VI. (IX.) Sect. VI. §. I. post verba "in Jure Civili:"

Si præsententur ad statum Studiosi in Medicina, Vice-Cancellarius dicet "Domine (*vel* Domini *si plures fuerint*) ego admitto te (*vel* vos) ad statum Studiosi in Medicina."

Placuit Universitati in Statuto de Feodis, Tit. XV. (XIX.),

p. 189, edit. 1858, post verba "In medicina" inserere "pro unaquaque examinatione."

——	post verba "Ad statum Studiosi in Jure Civili	£7	10	0,"
	inserere "Ad statum Studiosi in Medicina............	7	10	0."
——	post verba "Baccalaurei in Artibus	7	10	0,"
	inserere "Baccalaurei in Artibus, si fuerit ad statum Studiosi in Jure Civili vel Studiosi in Medicina admissus.............................	2	0	0."
——	post l. 21, "Magistri, si sit Bacc. in Medicina	7	0	0,"
——	pro verbis "Baccalaurei in Medicina	14	0	0,"
	subrogare "Baccalaurei in Medicina	6	10	0."
p. 193,	abrogare hæc verba, "Regio Professori, vel qui ejus loco fuerit Examinator senior in Medicina	15	0	0."
——	pro verbis "Utrique cæterorum Examinatorum," subrogare "Unicuique Examinatorum."			
p. 194,	post l. 19, "Ad statum Studiosi in Medicina	0	13	4."
p. 195,	post l. 6, "Ad statum Studiosi in Medicina	0	12	0."
——	post verba "Baccalaurei in Jure Civili	2	0	0,"
	inserere "Baccalaurei in Medicina......................	5	0	0."
——	pro verbis "Doctoris in Medicina," subrogare "Doctoris in eadem facultate."			

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die decimo nono mensis Martii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo sexto mensis Aprilis, et in eadem Domo die tertio mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo quinto ejusdem mensis Maii anno Domini MDCCCLX.

Placuit Universitati

In Stat. Tit. Supplet. (XIX.) v. (Add. p. 597 = p. 252. edit. 1858), verba

"Seniorum, qui decimum octavum; Juniorum, qui decimum quintum
"ætatis annum nondum compleverint."

abrogare, et verba quæ sequuntur subrogare ;—

"Seniorum, qui ante diem Examinationis decimum octavum; Juniorum,
"qui ante diem primum mensis Januarii immediate præcedentis decimum
"quintum ætatis annum non compleverint."

Item ibid., verba

"Delegati sint præter Vice-Cancellarium ———————— Quorum sit
"officium"

abrogare, et verba quæ sequuntur subrogare ;—

"Delegati sint, præter Vice-Cancellarium et Procuratores, duodeviginti, ex
"iis qui jus intrandi Domum Convocationis habent in sexennium ad hoc
"nominandi; sex a Concilio Hebdomadali e suo ipsius corpore, sex a
"Congregatione Universitatis Oxoniensis, sex denique a Vice-Cancellario
"et Procuratoribus. Terni in singulis trientibus officio suo cedant in Ter-
"mino Michaelis post electionem Concilii Hebdomadalis triennalem,—ju-
"nioribus in unaquaque triente prima vice post triennium cedentibus.
"Delegatorum sit officium ———"

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die decimo quarto mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo quarto ejusdem mensis Maii, et in eadem Domo die septimo mensis Junii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo sexto ejusdem mensis Junii anno Domini MDCCCLX.

Placuit Universitati in Tit. V. (VI.) Sect. IV. § 2. edit. nov. 1858, p. 53, verba "per unum saltem terminum lecturis Professoris Regii intersit, "et postea" abrogare; pro verbo "absolutum" verbum "inchoatum" substituere; necnon verbum "quartum" et verba "exceptis tamen "iis, qui per statuta alicujus collegii in quo morantur citius quam ceteri "ad gradum Baccalaurei in Jure Civili promoveri tenentur, quibus li-"ceat post absolutum a tempore matriculationis suæ terminum vicesi-"mum se examinandos sistere" abrogare.

Item § 3. Cl. 2. verbum "quarto" abrogare, et in Cl. 10. pro verbo "decimo" verbum "tertio" substituere, et verba "necnon per unum "saltem terminum Professoris Regii lecturis interfuisse" abrogare.

Item § 4. Cl. 3. verba "Qui vero in curiis ecclesiasticis et mariti-"mis regni se exercere statuerit, illi conceditur, (modo in gratia propo-"nenda causa exponatur, et declaratio per supplicantem ante admis-"sionem ad gradum coram seniore Procuratore facta fuerit) si Bacca-"laureus in Jure Civili fuerit, ut post quatuor annos integros in studio "Juris Civilis positos, sive intra Academiam sive alibi, ad incipiendum "in eadem facultate admittatur.

"Formula declarationis hæc esto;

"*Tu declarabis te hunc gradum Doctoris ambire eo animo ut in* "*numerum et collegium Advocatorum Londinensium in curiis* "*ecclesiasticis et maritimis hujusce regni se exercentium bona fide* "*admittaris, et admissus in iisdem curiis te realiter exerceas.*
"Resp. *Eo animo hunc gradum ambio*" abrogare.

Item Tit. VI. (IX.) III. 4. p. 103, 104, ubicunque occurrunt, verba "per unum saltem terminum lecturis Professoris Regii Juris Civilis in-"terfuerit" abrogare.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die decimo quarto mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo quarto ejusdem mensis Maii, et in eadem Domo die septimo mensis Junii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo sexto ejusdem mensis Junii anno Domini MDCCCLX.

Placuit Universitati

Tit. XIII. (XVII.) Sect. I. §. 2. 12 (p. 164), verba "burgensibus necnon" abrogare.

Item Tit. XIII. (XVII.) Sect. III. §. 2. 7 (p. 168), verba "majoris et oppidanorum, necnon" abrogare.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo sexto mensis Novembris. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die septimo mensis Decembris MDCCCLX, *et in eadem Domo die vicesimo nono mensis Januarii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die undevicesimo mensis Februarii anno Domini* MDCCCLXI.

Placuit Universitati

Hoc Statutum Titulo IV. Sect. I, § 27, inserere,

De Professore Linguæ Sanskriticæ per Josephum Boden, Præfectum Militum, instituto.

Professor Linguæ Sanskriticæ in singulis terminis per sex Septimanas, quatuor ad minimum in unaquaque Septimana diebus, auditores diligenter instruat:—terminis Paschatis et S. Trinitatis quod ad hoc attinet pro uno computatis.

Certamen pro Scholari e fundatione Bodeniana eligendo singulis annis termino S. Hilarii (nisi aliter Academia pro re nata decreverit) die ab Electoribus indicendo habeatur.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die quarto mensis Martii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die duodecimo ejusdem mensis Martii, et in eadem Domo die decimo octavo mensis Aprilis probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die secundo mensis Maii anno Domini MDCCCLXI.

ADDENDA. TIT. XV.

Placuit Universitati hæc quæ sequuntur in Stat. Tit. XV. (XIX.) post verba "in Musica, si una saltem examinatio habita fuerit" inserenda statuere,

—— in certaminibus pro Scholaribus e fundatione Domini Craven, Joannis Ireland, S.T.P., Hertfordiana, necnon e fundatione ad Scientias Mathematicas promovendas - - - - - 10 10 0

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die quarto mensis Martii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die duodecimo ejusdem mensis Martii, et in eadem Domo die decimo octavo mensis Aprilis probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die secundo mensis Maii anno Domini MDCCCLXI.

Placuit Universitati, in Stat. Tit. XV. (XIX.) "De Feodis," etc. hæc verba abrogare,

"Urbi nocte custodiendæ, pro quovis Academico	0	8	0"

Et in eorum locum hæc quæ sequuntur subrogare,

Urbi nocte, custodiendæ bonis Academicis defendendis, et igni exstinguendo	2300	0	0

Placuit item Universitati in eodem Statuto hæc verba,

"Ambulacris publicis reparandis pro unoquoque Academico,	0	0	6"

abrogare, et in eorum locum subrogare,

Ambulacris publicis reparandis	150	0	0

Placuit item Academiæ in eodem Statuto hæc verba abrogare,

"Bonis Academicis defendendis, pro unoquoque Academico ...	0	0	4
Igni exstinguendo, pro unoquoque Academico	0	0	6"

Placuit item Academiæ hæc verba,

"Bibliothecæ Bodleianæ pro unoquoque Academico qui quartum annum a matriculatione sua excesserit	0	8	0"
Item, "Bibliothecæ Bodleianæ loco cæterorum omnium feodorum et stipendiorum	850	0	0"

abrogare, et in eorum locum subrogare,

Bibliothecæ Bodleianæ	2800	0	0

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die decimo quinto mensis Aprilis. Promulgatum est idem Statutum die duodevicesimo ejusdem mensis Aprilis, et in eadem Domo die secundo mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo sexto ejusdem mensis Maii anno Domini MDCCCLXI.

Placuit Universitati

In Statuto *de Examinatione Candidatorum qui non sunt de corpore Universitatis* (Addenda p. 597, = 251 seq., edit. 1858; Add. p. 640) verba "Candidatorum qui non sunt de corpore Universitatis Examinatio . . . . quotannis Universitati reddendam" abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare:—

Candidatorum qui non sunt de corpore Universitatis Examinatio vel intra Academiam, vel, si res ita ferat, etiam alibi, quotannis habeatur duplex; videlicet, Seniorum qui ante diem Examinationis decimum octavum; Juniorum, qui ante diem primum mensis Januarii immediate præcedentis decimum quintum ætatis annum non compleverint.

Fiat examinatio tum in rudimentis Fidei et Religionis (nisi alicujus parentes vel qui in loco parentis sint conscientiæ causa hanc renuerint); tum in literis Anglicis, in historia, in linguis, in mathematica, in scientiis physicis, et in cæteris artibus quæ ad juventutem liberaliter educandam pertinent.

Eorum vero, quorum parentes vel qui in loco parentis sint Examinationem in Rudimentis Fidei et Religionis renuerint, si quis in Scripturis Sacris solis examen subire voluerit, id ei reputetur: proviso ne cui Testimonium de Rudimentis Fidei et Religionis concedatur, nisi qui tum in Scripturis Sacris, tum in doctrina et ritibus Ecclesiæ Anglicanæ Examinatoribus satisfecerit.

Testimonium accipiat quicunque tum Seniorum tum Juniorum Examinatoribus satisfecerit; titulo etiam Associati in Artibus ex Academiæ auctoritate Senioribus collato.

Delegati sint præter Vice-Cancellarium et Procuratores duodeviginti, ex iis qui jus intrandi domum Convocationis habent in sexennium ad hoc nominandi, sex a Concilio Hebdomadali e suo ipsius corpore, sex a Congregatione Universitatis Oxoniensis, sex denique a Vice-Cancellario et Procuratoribus. Terni in singulis trientibus officio suo cedant in Termino Michaelis post electionem Concilii Hebdomadalis triennalem,—junioribus in unaquaque triente prima vice post triennium cedentibus.

Delegatorum sit officium Examinatores a domo Convocationis approbandos nominare, necnon tempora, loca, modum examinationum, classium numerum, cæteraque eodem pertinentia speciatim ordinare. Sin Examinator aliquis postea munere

se abdicaverit, Vice-Cancellarius et Procuratores sua auctoritate alium in ejus locum sufficiant.

Feoda a singulis examinandis exigantur, quanta, e judicio Delegatorum, expensis necessariis examinationum sufficiant.

Teneantur Delegati ad rationem actorum quotannis Universitati reddendam.

Hoc Statutum nonnisi in triennium valeat a die primo Termini Michaelis, 1861:—interea vim suam retineat Statutum anni 1857.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die duodevicesimo mensis Martii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die duodevicesimo mensis Aprilis, et in eadem Domo die secundo mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo sexto ejusdem mensis Maii anno Domini MDCCCLXI.

Placuit Universitati

Stat. Tit. VI (IX). Sect. VII (*De Incorporatione*) abrogare, et hoc quod sequitur Statutum subrogare.

Sectio VII.—*De Incorporatione et Admissione exterorum.*

§ 1.—*De Incorporatione.*

1. Si quis eorum qui in matriculam Universitatis Cantabrigiensis aut Dubliniensis relati fuerint, in aliquod Collegium vel Aulam Universitatis Oxoniensis admissus sit, ei liceat huic Universitati incorporari.

2. Proviso ut, Si Graduatus fuerit, per novem terminos, et uniuscujusque termini per partem saltem majorem, ante primum gradum susceptum intra suam Academiam bona fide commoratus sit.

Si nondum Graduatus sit, eos tantummodo terminos, in quibus per dies quadraginta duo intra suam Academiam bona fide commoratus sit, sibi reputatos habeat.

3. Quarum rerum testimonio, sub sigillo Collegii aut Universitatis suæ, publice in domo Congregationis recitato, Gratia pro Graduato Incorporando sub hac forma proponatur;—"Supplicat A. N. Baccalaureus (*vel* Magister) facultatis Artium, "(*vel* Baccalaureus, *vel* Doctor facultatis S. Theologiæ, *vel* Juris Civilis, *vel* Medi-"cinæ) in Academia Cantabrigiensi (*vel* Dubliniensi), ut bona vestra cum venia "admittatur ad eundem gradum, statum et dignitatem apud Oxonienses, quibus "ornatus est apud suos Cantabrigienses (*vel* Dublinienses)."

4. Incorporandus si sit Magister in Artibus, aut in S. Theologia Baccalaureus, aut in aliqua facultate Doctor, Articulis Fidei et Religionis, necnon tribus Articulis in Canone XXXVI° comprehensis, juxta Statutum *de Subscriptione exigenda* (Tit. VI (IX). Sect. IV. § 1), subscribat.

5. Quibus sic peractis, et gratia eodem modo quo alias fieri consuevit pronunciata, præsentatio incorporandi ad hunc modum sequitur:

6. "Insignissime &c., præsento vobis hunc Baccalaureum (*vel* Magistrum) "facultatis Artium (*vel* Baccalaureum, *vel* Doctorem facultatis S. Theologiæ, *vel* "Juris Civilis, *vel* Medicinæ) in Academia Cantabrigiensi (*vel* Dubliniensi), ut "sit eodem gradu, statu et dignitate apud nos Oxonienses, quibus ornatus est apud "suos Cantabrigienses (*vel* Dublinienses)." Et post præsentationem (si incorpo-"randus Magister sit in Artibus, vel Baccalaureus in S. Theologia, vel in aliqua "facultate Doctor) juramentum istiusmodi ab altero Procuratorum ei deferetur: "Magister (*vel* Domine Doctor, *vel* Domine), tu dabis fidem ad observandum sta-"tuta, privilegia, consuetudines et libertates istius Universitatis."

7. Denique a Vice-Cancellario sic admittetur: "Magister (*vel* Domine Doctor, "*vel* Domine), ego admitto te ad eundem statum, gradum et dignitatem hic apud "nos Oxonienses, quibus ornatus es apud tuos Cantabrigienses (*vel* Dublinienses)."

8. Eadem quoque gratiæ, præsentationis, et admissionis formula, mutatis mutandis, adhibenda est, cum aliquis nondum graduatus terminorum apud Academiam Cantabrigiensem vel Dubliniensem rationem sibi apud nos Oxonienses imputandam velit.

9. Cautum tamen est quod nullus in S. Theologia, Medicina vel Jure Civili Doctor incorporetur, nisi de expresso consensu Vice-Cancellarii, Professoris et trium insuper Doctorum in eadem facultate, et Procuratorum, vel majoris partis eorundem.

§. 2. *Quo loco et statu incorporati esse debent.*

Statutum est ut quilibet, incorporationis beneficium nactus, eodem habeatur loco et statu, quibus in sua Universitate gaudebat: ita tamen quod (utcunque prius ad gradum aliquem in ea sit admissus) nihilominus junior habeatur iis omnibus qui ad eundem gradum Oxoniæ sunt admissi eodem anno; id est, intra idem temporis spatium inter primum diem termini Michaelis et ultimum diem termini S. Trinitatis interjectum.

§ 3. *De admissione ad privilegia Graduatorum, comitatis causa.*

1. Doctores et Baccalaurei in facultatibus S. Theologiæ, Juris Civilis, aut Medicinæ, et Magistri in facultate Artium, ab Academiis Cantabrigiensi vel Dubliniensi huc adventantes, si ad eadem privilegia velint admitti quibus nostrates, eosdem gradus adepti, apud nos fruuntur, hoc iis per comitatem Academiæ conceditur;—jure tamen suffragii, titulisque ad gradus Academiæ Oxoniensis pertinentibus omnino exceptis.

2. Admittendorum sub hac forma Gratia proponatur:—"Supplicat A. B. Ma-"gister facultatis Artium (*vel* Baccalaureus, *vel* Doctor facultatis S. Theologiæ, *vel* "Juris Civilis, *vel* Medicinæ), ut bona vestra cum venia ad privilegia quibus nostra-"tes hunc gradum adepti fruuntur, admittatur."

3. Horum præsentatio fiat sub hac forma:—

"Insignissime &c., præsento vobis hunc Magistrum facultatis Artium (*vel* Bac-"calaureum *vel* Doctorem facultatis S. Theologiæ, *vel* Juris Civilis, *vel* Medicinæ) "in Academia Cantabrigiensi (*vel* Dubliniensi), ut ad privilegia quibus nostrates "hunc gradum adepti fruuntur, admittatur."

4. Denique a Vice-Cancellario sic admittantur, "Magister (*vel* Domine Doctor, "*vel* Domine) ego admitto te ad privilegia quibus nostrates, eundem gradum "adepti, fruuntur."

Item, Stat. Tit. VII (X). Sect. I. § 1. 9, verba "ad eundem gradum, statum et "dignitatem" abrogare, et substituere verba "ad eadem privilegia."

Item, Stat. Tit. XV (XIX). 3. et 14, (pp. 189 et 194, ed. 1858,) pro verbis

"Ad eundem gradum statum atque dignitatem, etc."

substituere verba

"Ad eadem privilegia quibus nostrates fruuntur."

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die duodevicesimo mensis Martii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die duodevicesimo mensis Aprilis, et in eadem Domo die secundo mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo sexto ejusdem mensis Maii anno Domini MDCCCLXI.

Placuit Universitati

Stat. Tit. XVI. (XX) Sect. I. p. 197, edit. 1858, "*De Communi ærario*"—— "rationem reddet." abrogare.

Item Tit. XIII. (XVII.) §. 2. par. II. p. 164. hæc verba, "modo post præsentes"——"esse ac nullam." abrogare.

Item Tit. IV. Sect. III. §. I. p. 36. hæc verba, "Cum universitati"——"teneatur; et" abrogare.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo nono mensis Aprilis. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die secundo mensis Maii, et in eadem Domo die decimo sexto ejusdem mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die tricesimo ejusdem mensis Maii anno Domini MDCCCLXI.

Placuit Universitati

Tit. V. (VI.) Sect. V. (p. 57 sqq. ed. 1858) paragraphos 1, 2, 3, 4, 6; scilicet, "§. 1. *Quot anni*——computandos. §. 2. *De Examinatione*——Resp. *Juro*. §. 3. *De tempore*——compleverit. §. 4. *Quot anni*——admittatur. §. 6. *De incorporandis* ——requiruntur." abrogare.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo nono mensis Aprilis. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die septimo mensis Maii, et in eadem Domo die decimo sexto ejusdem mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die tricesimo ejusdem mensis Maii anno Domini MDCCCLXI.

Placuit Universitati in Stat. Tit. XV. (XIX.) (p. 213, edit. 1861), post verba

" Bibliothecæ Bodleianæ . . . . 2800 0 0"

hæc verba inserere:

Item pro sumptibus Cameræ Bodleianæ 200 0 0

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo octavo mensis Octobris. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die septimo mensis Novembris, et in eadem Domo die vicesimo ejusdem mensis Novembris probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo octavo ejusdem mensis Novembris anno Domini MDCCCLXI.

Placuit Universitati

Stat. Tit. XVI. (XX.) Sect. III. §. 11. (p. 224, edit. 1861), has clausulas subjungere:

7. Et quoniam viri honoratissimi, Joannis Radcliffe, D. M. Fiduciarii magnam Cameram Radclivianam Academiæ in usum Bibliothecæ Bodleianæ commodare dignati sint, liceat Curatoribus libros sive manu scriptos sive typis impressos, imagines ære vel ligno impressas, alia denique si quæ visum fuerit de Bibliothecæ supellectile eo translata reponere.

Porro, libros de scientiis in Museo Academico tractatis Curatoribus liceat in Musei Academici Bibliotheca asservandos collocare.

8. Quoties libri alicujus impressi exemplaria duo vel plura, sive ex eadem editione, sive denuo absque ulla immutatione excusi, in Bibliotheca exstare constiterit, liceat Curatoribus, rem proponente Bibliothecario, si novem saltem e suo ipsorum numero consenserint, exemplari ex iis optimo asservato, cætera divendere vel libris aliis permutare. Proviso tamen, ne quis omnino liber alienetur, qui sive legato seu dono Bibliothecæ accesserit.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo octavo mensis Octobris. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die septimo mensis Novembris, et in eadem Domo die vicesimo ejusdem mensis Novembris probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo octavo ejusdem mensis Novembris anno Domini MDCCCLXI.

Placuit Universitati in Stat. Tit. XV. (XIX.) 1. (p. 206, ed. 1861), post verba

"Baronis filius natu maximus"

hæc verba inserere,

"qui privilegio suo non renunciaverit"

Item, in eodem Statuto verba

"Baronibus vel Baronum filiis natu maximis exceptis,"

abrogare.

Item, Stat. Tit. X. (XIV.) § 3. 3. (p. 158.) paragraphum,

"Baronum filii——incedant." abrogare;

et in ejus locum subrogare:

"Barones vel Baronum filii natu maximi, iis exceptis qui privilegio suo renunciaverint, toga deaurata, sive toga nigra laxe manicata serica, et pileo quadrato holoserico cum apice deaurato vel serico, induti incedant. Liceat tamen iisdem, donec gradum primum susceperint, eodem vestitu quo commensales utriusvis ordinis uti, modo eo vestitu induti coram Vice-Cancellario matriculandi comparuerint."

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die decimo tertio mensis Novembris. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo ejusdem mensis Novembris, et in eadem Domo die vicesimo octavo ejusdem mensis Novembris probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo mensis Decembris anno Domini MDCCCLXI.

Placuit Universitati Stat. Tit. XVI. (XX.) Sect. III. § 5. 11. (p. 219–220, ed. 1861), hæc verba abrogare:

"Bibliothecario et Hypobibliothecariis in posterum eligendis interdicatur, ne curæ animarum in ulla parœcia inserviant, nisi cum consensu majoris partis omnium Curatorum, approbante Convocatione."

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo primo mensis Novembris. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo octavo ejusdem mensis Novembris, et in eadem Domo die decimo mensis Decembris MDCCCLXI *probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die sexto mensis Februarii anno Domini* MDCCCLXII.

Placuit Universitati Stat. Tit. XV. (XIX.) 14. (p. 211, ed. 1861), abrogare verba

"Professori Logicæ .... 300 0 0;"

atque Stat. Tit. IV. Sect. I. § 1. (p. 12.) post 10. hæc verba subjungere:

"11. Professori pendat quotannis Vice-Cancellarius libras quadringentas, donec ei aliunde ea summa, præter feoda legitima, annuatim accreverit."

Item, Stat. Tit. IV. Sect. I. § 2. B. 3. (p. 14.) hæc verba abrogare:

"ea vero——e cista Academica;"

et in eorum locum subrogare:

"ea vero ad summam quadringentarum librarum e cista Academica augeantur, donec Professori aliunde ea summa, præter feoda legitima, annuatim accreverit."

Item, Stat. Tit. IV. Sect. I. § 3. B. (p. 17.) hæc verba subjungere:

"Professoris Saviliani Geometriæ emolumenta ad summam quadringentarum librarum augeantur e cista Academica donec ei aliunde ea summa, præter feoda legitima, annuatim accreverit."

Item, Stat. Tit. IV. Sect. I. § 21. (p. 37.) hæc verba abrogare:

"ad incrementum——pendat Vice-Cancellarius,"

et in eorum locum hæc quæ sequuntur subrogare:

"Emolumenta Professoris Chemiæ ad summam quadringentarum librarum augeantur e cista Academica donec ei aliunde ea summa, præter feoda legitima, annuatim accreverit."

Item, Stat. Tit. IV. Sect. I. § 22. (p. 38.) hæc verba abrogare:

"ad incrementum——librarum,"

et in eorum locum hæc quæ sequuntur subrogare:

"Emolumenta Professoris Philosophiæ Experimentalis qui nunc est ad summam quadringentarum librarum augeantur e cista Academica, donec ei aliunde ea summa, præter feoda legitima, annuatim accreverit."

Item, Stat. Tit. IV. Sect. I. § 24. (p. 41.) hæc verba abrogare:

"ad incrementum——ducentarum librarum"

et in eorum locum hæc quæ sequuntur subrogare:

"Emolumenta Professoris Geologiæ qui nunc est ad summam quadringentarum librarum augeantur e cista Academica, donec ei aliunde ea summa, præter feoda legitima, annuatim accreverit."

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo primo mensis Novembris. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo octavo ejusdem mensis Novembris MDCCCLXI, *et in eadem Domo die sexto mensis Februarii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo quarto ejusdem mensis Februarii anno Domini* MDCCCLXII.

§. 34. *De Professore Historiæ Modernæ Chicheleiano.*

Quoniam e proventibus Collegii Omnium Animarum in Universitate Oxoniensi Professio Historiæ Modernæ fundata sit, aliis auctoritate Regia legibus sancitis, aliis ab Universitate postea ferendis;—

Placuit Academiæ hæc sancire—

1. Professor Chicheleianus duas lectionum series in duobus discretis terminis legat, scilicet per sex septimanas in utroque termino, et bis ad minimum in unaquaque septimana: atque insuper per octo septimanas unius alicujus termini, bis ad minimum in unaquaque septimana, per unius horæ spatium vacet instruendis auditoribus in iis quæ melius sine ulla solennitate tradi possunt: discipulorum profectum quæstionibus statim enucleandis ad examen revocet; et iis exercitationes, si ipsi ita libuerit, domi in scriptis tractandas proponat.

Ex auditoribus ne plus exigat mercedis quam ab Universitate permissum est.

Unam porro ad minimum lectionem quotannis publice habeat, ab Academicis quibuscunque sine mercede audiendam.

2. Si evenerit ut Professor ad tempus valetudine impediatur, quominus officio suo fungatur, aut si ei necesse fuerit præscripto legendi tempore propter causas urgentes et Vice-Cancellario probatas extra Universitatem morari, ei Deputatum idoneum et Vice-Cancellario probatum, qui Professoris muneribus durante infirmitate aut absentia fungatur, nominare liceat; id quod exigere poterit Vice-Cancellarius, si sponte Professor in hac parte Statuto non satisfecerit.

3. Si Professor senio, morbo diuturno, incurabili impotentia, aut debilitate vel animi vel corporis fractus, suæ Professioni perficiendæ non suffecerit, virum secundum ea quæ in hoc Statuto decernuntur idoneum, qui Professoris muneribus fungatur, iis quibus Professorem ipsum eligendi cura delegata est, rem proponente Vice-Cancellario, nominare liceat.

4. Si quando Deputatus nominatus sit, determinet Vice-Cancellarius quantum ex Professoris emolumentis Deputato persolvendum sit.

5. Si quid statuerit Academia de materie, numero aut tempore lectionum, de rationibus docendi, et de Auditoribus examinandis, id observet quicumque tum erit Professor.

6. Ne alia quapiam Professione eodem tempore fungatur Professor, nec officium Prælectoris alicujus in quovis Collegio publice legentis cum munere suo conjungat.

7. Quod ad hoc statutum pertinet, terminus Paschatis et terminus S. Trinitatis pro uno termino reputentur.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die decimo septimo mensis Martii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo quinto ejusdem mensis Martii, et in eadem Domo die primo mensis Aprilis probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die duodecimo ejusdem mensis Aprilis anno Domini MDCCCLXII.

Placuit Universitati,

Stat. Tit. XV. (XIX.) *De Feodis*, edit. 1861, p. 211, post verba

"Oratori Publico . . . . £76 13 4"

hæc verba inserere,

Cancellarii qui nunc est Secretario £100 0 0

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die quinto mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die decimo quinto ejusdem mensis Maii, et in eadem Domo die vicesimo septimo ejusdem mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo tertio mensis Junii anno Domini MDCCCLXII.

Placuit Universitati in Stat. Tit. XII. (XVI.) §. 10, p. 177, post verba "*Henrici Mason* S. Theologiæ Doctoris," verbum "et" abrogare, et post verba "*Francisci Douce* Armigeri," hæc verba inserere—

et *Frederici Gulielmi Hope* Artium Magistri, Juris Civilis Doctoris:

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die undevicesimo mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo septimo ejusdem mensis Maii, et in eadem Domo die decimo tertio mensis Junii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo quarto ejusdem mensis Junii anno Domini MDCCCLXII.

Placuit Universitati

in Stat. Tit. I, Sect. I, paragraphum quartum abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare,

"Tertius autem die Mercurii post festum Paschatis initium sumat; et in die "Veneris proxime ante Pentecosten exeat."

Item ibid. § 5, verba "die Mercurii post festum Pentecostes" abrogare, et verba "die Saturni ante festum Pentecostes" subrogare.

Item, Stat. Tit. V. (VI.) Sect. VII. § 5, (p. 79. ed. 1861), post verba "terminis "Paschatis et Trinitatis per tres septimanas" verba "vel saltem in duobus hisce "terminis conjunctim computatis per dies octo et quadraginta" inserere.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die undevicesimo mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo septimo ejusdem mensis Maii, et in eadem Domo die decimo tertio mensis Junii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo quarto ejusdem mensis Junii anno Domini MDCCCLXII.

Placuit Universitati hæc quæ sequuntur sancire;—

De Præceptore in iis Juris-prudentiæ partibus, quæ ad Rerum Indicarum administrationem pertinent.

1. Præceptor a Vice-Cancellario et Procuratoribus in annum nominetur; finito anno ab iisdem vel idem denuo eligatur, vel alius in illius locum subrogetur.

2. Præceptor singulis terminis (terminis Paschatis et S. Trinitatis pro uno reputatis) per horas tres in unaquaque sex hebdomadum, vel duas in unaquaque octo hebdomadum lectiones habeat; quæstiones in materie lectionnm in scriptis domi tractandas auditoribus proponat, tractatas ipse recenseat.

3. Præceptor ducentas libras percipiat; quarum tertiam partem singulis terminis e cista Academica pendat Vice-Cancellarius.

4. Præceptori liceat quinque libras a singulis auditoribus in primo, totidem quoque in secundo termino exigere. Post duas pensiones lectionibus gratis intersint.

5. Hoc Statutum in triennium valeat a Termino S. Trinitatis A.D. 1862 exeunte.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die secundo mensis Junii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die decimo tertio ejusdem mensis Junii, et in eadem Domo die vicesimo quarto ejusdem mensis Junii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die tertio mensis Julii anno Domini MDCCCLXII.

Placuit Universitati:

Tit. XVI. (XX.) Sect. VI. § 3. (edit. 1861. p. 230.) Verba "Præceptores sint" . . . . "statuerit Academia" abrogare; et in eorum locum hæc quæ sequuntur subrogare.

"Præceptores sint quatuor, quorum unus Linguam Italicam, alter Teutonicam, tertius Gallicam, quartus denique Hispanicam doceat, in quinquennium eligendi; quos tamen denuo, quoties expedire videbitur, eligere liceat Curatoribus. Amoveantur, si opus fuerit, a munere suo, quinque Curatoribus consentientibus."

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die tertio mensis Novembris. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die sexto ejusdem mensis Novembris, et in eadem Domo die vicesimo septimo ejusdem mensis Novembris probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die nono mensis Decembris anno Domini MDCCCLXII.

Cum Anna Kennicott vidua in testamento supremo diserte significaverit, se id in votis imprimis habere, ut linguæ Hebraicæ studium donatione sua promoveret, jam vero per longam annorum seriem satis compertum sit, conditiones quas ex alieno consilio sancivit, suæ propriæ voluntati adversari, placuit Universitati, virtute statuti 25 et 26 Vict. c. XXVI. decretum Convocationis A. D. 1831, de hac re abrogare, et hæc quæ sequuntur statuere;

I. The Proceeds annually arising from Mrs. KENNICOTT's Bequest shall, in and after Act Term 1864, be given to *One* Scholar, to be called "The KENNICOTT Scholar," who shall be elected in the manner hereinafter mentioned.

II. The Scholarship shall be open to *all* Bachelors of Arts of any College or Hall in the University of Oxford, and to all who shall have passed the Examinations for that Degree, and shall not, on the day of Election, have exceeded twenty-eight Terms from their Matriculation.

Cæteras vero constitutiones, quas ipsa addidit Academia, placuit in hunc modum refingere;

III. No Scholar to be elected hereafter shall retain his Scholarship beyond the term of *One* Calendar Year, to be computed from the day of his election.

IV. No person shall be received as a Candidate without the consent of the Head of his College or Hall, or the consent of the Vicegerent in the absence of the said Head; which consent, together with the time when the Candidate matriculated and took his Degree, shall be certified to the Regius Professor of Hebrew, under the signature of the said Head or Vicegerent, three days at least before the commencement of the Examination.

V. The Scholars shall be elected from time to time, after a Public Examination, by the Regius Professor of Hebrew, and any other *two* Members of the University not under the Degree of Master of Arts, to be nominated by the Vice-Chancellor and approved by Convocation. In case however of the vacancy

of the Hebrew Professorship, or the unavoidahle absence of the Professor, a *third* person, not under the Degree of Master of Arts, may act in his stead: such Examiner to be nominated and approved in like manner as the other *two.*

VI. Vacant Scholarships shall always be filled up in the Act Term. The day and place of Examination shall be fixed by the Vice-Chancellor, who shall give puhlic notice of not less than ten days for the holding of such Examination. This Examination shall always be holden in Full Term, and in some room within the precincts of the Schools. When the Examiners have elected a Scholar, the election shall be notified to the Vice-Chancellor, who shall forthwith cause it to be announced to the University by a Paper affixed to the door of the Convocation House.

VII. The Electors shall not be bound to elect to the Scholarship in any Year, if no Candidate shall offer himself whom they shall judge to be of sufficient merit.

VIII. Every Scholar shall reside for seven entire weeks during the Michaelmas and Lent Terms severally of the Year of his Scholarship, and seven weeks in the interval between the commencement of Easter Term and the twenty-first day of Act Term.

IX. If any Scholar shall not reside in any Term, (unless on the ground of serious illness, attested by a Medical Certificate to be approved by the Vice-Chancellor,) his Scholarship shall be void.

X. The Stipend shall be paid to the Scholar hy the Vice-Chancellor at the end of each Term, on his producing a Certificate, signed by the Head or Vicegerent of his College or Hall, that he has completed the residence required.

XI. Any sums of money arising from forfeitures, or from occasional vacancies in the Scholarships, shall be added to the original fund vested in the Government Securities, for the benefit of the Scholars.

XII. An account of receipts and dishursements belonging to this Benefaction shall be kept by the Vice-Chancellor, and shall be suhmitted by him annually to be audited hy the Delegates of the University Accounts.

XIII. The present Scholars shall perform the Exercises required by the Regulations under which they were elected; and the Scholar to be elected in 1863, as he will only have the present Stipend, shall be required only to keep the residence of Twelve Weeks required by the Regulations of 1831. But if he shall fail to keep the whole residence, he shall only receive a portion of his stipend proportioned to the time in which he shall have resided.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die decimo septimo mensis Novembris. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo septimo ejusdem mensis Novembris, et in eadem Domo die nono mensis Decembris MDCCCLXII *probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo nono mensis Januarii anno Domini* MDCCCLXIII.

Placuit Universitati:

Stat. Tit. IV. Sect. I. § 2. A. 1. (p. 13. ed. 1861.) hæc verba abrogare:

" Idem ab omni alibi cura animarum vacet."

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die decimo septimo mensis Novembris. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo septimo ejusdem mensis Novembris, et in eadem Domo die nono mensis Decembris MDCCCLXII *probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo nono mensis Januarii anno Domini* MDCCCLXIII.

Placuit Universitati:

Stat. Tit. XIII. (XVII.) Sect. III. § 3. verbum "mensem" abrogare; et in ejus locum verba "duos menses" subrogare.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die undevicesimo mensis Januarii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimo nono ejusdem mensis Januarii, et in eadem Domo die duodecimo mensis Februarii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die undevicesimo ejusdem mensis Februarii MDCCCLXIII.

Placuit Universitati,

Stat. Tit. VI. (IX.) ii. § 8. 26, 27 (p. 105. ed. 1861) abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare.

26. Nemini in hac schola concedatur testimonium, nisi qui rerum in Anglia ab anno salutis millesimo sexagesimo sexto usque ad annum millesimum quingentesimum nonum gestarum, et portionis illius Legum Angliæ, quæ res immobiles spectat; vel rerum in Anglia ab anno salutis millesimo quingentesimo nono usque ad annum millesimum septingentesimum secundum, et portionis illius Legum Angliæ quæ res mobiles spectat et personas, se peritum præbuerit. Candidatis tamen liceat in locum hujus vel illius Juris Anglici partis Jus Romanum substituere. Porro concedatur ut quivis examinandus in locum hujus vel illius partis Historiæ Anglicæ celeberrimum opus Adami Smith "De Gentium Opibus," vel alium quendam probatum librum in eadem materie, una cum Historia Indiæ Britannicæ, substituat.

27. Quod ad illos attinet qui honorem aliquem in hac Schola petunt, materies examinationis esto Historia recentiorum temporum usque ad annum a Christo nato millesimum septingentesimum octogesimum nonum, et Jurisprudentia. Juris Anglici hanc saltem vel illam partem adhibeat quisque, vel Jus Romanum, aut, si malit, utrumque. Cæterum nisi jus et Anglicum adhibeatur et Romanum, adjungatur semper vel Jus (quod vocant) Belli et Pacis, vel liber aliquis probatus de Gentium Opibus.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die undevicesimo mensis Januarii. Promulgatum est idem Statutum die vicesimo nono ejusdem mensis Januarii, et in eadem Domo die duodecimo mensis Februarii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo sexto ejusdem mensis Februarii anno Domini MDCCCLXIII.

Placuit Universitati,

Stat. Tit. IV. Sect. III. § 1, (nov. edit. p. 54), abrogare Cl. 9.

Placuit item Universitati in Stat. Tit. IV. Sect. I. § 6. Cl. 11, (nov. edit. p. 23), verbum "centum" abrogare,

et in ejus locum verbum "ducentarum" subrogare.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die secundo mensis Februarii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die duodecimo ejusdem mensis Februarii, et in eadem Domo die undevicesimo ejusdem mensis Februarii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die quinto mensis Martii anno Domini MDCCCLXIII.

Placuit Universitati,

In Stat. Tit. VI. (IX.) ii. § 4. (p. 87.) hæc quæ sequuntur inserere.

Vice-Cancellarius, Procuratores, et Moderatores in Schola Literarum Græcarum et Latinarum schednlam promulgent, tres ad minimum libros Græcos totidemque Latinos complectentem; quorum duo, alterum Græcum alterum Latinum, pro arbitrio profiteantur ii qui nullum ambiunt honorem. Et singulis posthac annis Termino Paschatis bini alii libri per eosdem officiarios ei pari librorum quod primum in schedula locum obtinet sufficiantur, et extremum locum occupent.

Proviso tamen ut eosdem libros, vel ex iisdem unum, si visum fuerit, denuo liceat nominare.

Proviso etiam ut nemo eorum qui ante Terminum S. Michaelis, A. D. 1864, se examinandos stiterint, prædictam schedulam observare teneatur.

Item in Stat. VI. (IX.) ii. § 8, (p. 102.) hæc quæ sequuntur inserere.

Vice-Cancellarius, Procuratores, et Examinatores in Schola Literarum Humaniorum schedulam promulgent, tres ad minimum libros Græcos totidemque Latinos complectentem; quorum duo, alterum Græcum alterum Latinum, pro arbitrio profiteantur ii qui nullum ambiunt honorem. Et singulis posthac annis Termino Paschatis bini alii libri per eosdem officiarios ei pari librorum qnod primum in schedula locum obtinet sufficiantur, et extremum locum occupent.

Proviso tamen ut eosdem libros, vel ex iisdem unum, si visum fuerit, denuo liceat nominare.

Proviso etiam ut nemo eorum qui ante Terminum S. Michaelis, A. D. 1864, se examinandos stiterint, prædictam schedulam observare teneatur.

Item in Tit. VI. Sect. II. § 4. Cl. 9. (p. 89.) hæc verba abrogare

"Nec tantum viva voce candidatos, aut singillatim, examinare liceat, sed eo et ordine et numero et modo, quo se melius, et cum majore operæ compendio, officio suo satisfacturos fore Moderatores arbitrentur;"

et in eorum locum subrogare

Citatos autem examinare liceat eo et ordine et numero et modo quo se melius officio suo satisfacturos fore Moderatores arbitrentur, ita tamen ut Candidatus unusquisque in uno saltem libro viva voce semper examinetur;

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die decimo sexto mensis Februarii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die undevicesimo ejusdem mensis Februarii, et in eadem Domo die quinto mensis Martii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die duodecimo ejusdem mensis Martii anno Domini MDCCCLXIII.

Quum vir admodum reverendus Joannes Johnson S.T.P. Collegii B. Mariæ Magdalenæ nuper Socius in testamento supremo diserte significaverit se in votis habere ut Scientiarum Mathematicarum studium donatione sua promoveret, jam vero per annorum seriem satis compertum sit, conditiones suæ propriæ voluntati vix respondere; placuit Universitati, virtute Statuti 25 et 26 Vict. c. XXVI, hæc quæ sequuntur statuere:

I. That moiety of the proceeds arising from Dr. Johnson's bequest which is appropriated to the promotion of Mathematical studies shall henceforth be given annually in money to the Senior University Mathematical Scholar, who shall be called the "Johnson University Scholar."

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo tertio mensis Februarii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die quinto mensis Martii, et in eadem Domo die duodecimo ejusdem mensis Martii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die undevicesimo ejusdem mensis Martii anno Domini MDCCCLXIII.

Placuit Universitati, Stat. Tit. IV. Sect. I. § 14. (edit. 1861, p. 26), quæ sequuntur, subrogare:

Eligatur Professor ex iis omnibus qui ad incipiendum in Artibus admissi fuerint.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die secundo mensis Martii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die duodecimo ejusdem mensis Martii, et in eadem Domo die undevicesimo ejusdem mensis Martii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die tricesimo mensis Aprilis anno Domini MDCCCLXIII.

Placuit Universitati, Tit. IV. Sect. I. § 17. Cl. 10. (edit. 1861, p. 30), hæc quæ sequuntur verba subjicere:

At si Professori libras trecentas pendendo non sufficiant prædiorum proventus, ei quicquid defecerit donec aliunde ea summa annuatim accreverit, e cista Academica suppeditetur.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die secundo mensis Martii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die duodecimo ejusdem mensis Martii, et in eadem Domo die undevicesimo ejusdem mensis Martii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die tricesimo mensis Aprilis anno Domini MDCCCLXIII.

Placuit Universitati Tit. IV. Sect. IV. § 3. (p. 56.) abrogare, et in ejus locum hæc quæ sequuntur subrogare:

§ 3.

De Examinationibus.

1. Semel in quolibet anno, Termino scilicet Hilarii, habeatur in S. Theologia Examinatio, loco a Vice-Cancellario designando.

2. Eligantur tres Examinatores ex iis qui in Sacris Ordinibus constituti aliquando rexerint, unus a Vice-Cancellario et Procuratoribus; alter a S. Theologiæ Professore Regio, D. Margaretæ Professore, Linguæ Hebraicæ, Theologiæ Pastoralis, et Historiæ Ecclesiasticæ Professoribus Regiis, et Exegeseos S. Scripturæ Professore; tertius a Præside Collegii D. Magdalenæ, Ædis Christi Decano, Præside Collegii S. Trinitatis, Custode Collegii Novi, et Præposito Collegii Reginensis; qui Examinatores officio suo per triennium fungantur, ita tamen ut Examinator unus officio suo quotannis cedat. Donec res eo processerit ut suo quisque ordine vicissim cedant, junioris erit suo loco cedere, nisi aliter Examinatores inter se statuant.

3. Duabus ad minimum ante habendam Examinationem septimanis Universitatem de ea re certiorem faciant Examinatores, schedula his verbis concipienda, et usitatis modis pervulganda:

Die —— mensis —— hora —— in schola —— habenda est Examinatio in Sacra Theologia.

A. B., *C. D.*, *E. F.* } *Examinatores in Sacra Theologia.*

4. Quinto ad minimum die ante inchoandam Examinationem ad Seniorem Examinatorem nomina deferri curent, una cum testimonio Matriculationis suæ, quicunque se examinandos sistere velint.

5. Nemo se examinandum sistat, nisi qui gradum Baccalaurei in Artibus susceperit, quique terminum a matriculatione sua undevicesimum compleverit, nec terminum vicesimum septimum excesserit.

6. Materies Examinationis hæc esto; Biblia Sacra; Theologia Dogmatica atque Symbolica; Historia Ecclesiastica; Apologetica, sive Evidentiarum quas vocant, scientia; Theologia Pastoralis, in qua Liturgiarum cum Rubricis his-

toriam, vel saltem Libri Precum publicarum secundum ritum Anglicanum historiam comprehendimus.

7. Libri Novi Testamenti ex ipsis fontibus exponantur. In historia etiam tum Ecclesiæ, tum Liturgiarum tractanda, fontium utriusque ratio habeatur. Patris etiam alicujus, sive Patrum veterum, tractatus unus aut plures e fontibus exponendi adhibeantur.

8. Si quis Vetus Testamentum, vel librum ejus aliquem ex Hebræo fonte interpretari valuerit, vel etiam Versionem LXXviralem probe sciverit, vel quosdam Patrum Tractatus, vel quasdam Historiæ Ecclesiasticæ portiones, diligenter se perlegisse demonstraverit, id ei reputetur.

9. Uniuscujusque examini operam impendant tres illi Examinatores, nisi cui ob urgentem aliquam causam absentiæ veniam concesserit Vice-Cancellarius; quo in casu alium, ex iis qui in Sacris Ordinibus constituti aliquando rexerint, in absentis locum Vice-Cancellarius substituat.

10. Post finitam Examinationem, de examinatis judicium ferant inter se Examinatores, et nomina eorum quos laudabiliter profecisse in S. Theologia crediderint in Schedulam publici juris faciendam referant, sub hac forma:

Nomina eorum qui in S. Theologia Examinati Termino Hilarii A. D. —— laudabiliter profecisse visi sunt, secundum ordinem alphabeticum disposita.

A.B. e Coll. D.
C.D. ex Aul. F.
E.F. ex Æde Xti.

11. Eorum nomina qui in hac Schedula relata fuerint in Registro peculiari penes Professorem S. Theologiæ Regium adservando inserantur.

12. Examinatio prima Termino Hilarii A. D. 1865 habeatur.

De Scholaribus in S. Theologia Dominæ Denyer et Doctoris Johnson.

Quoniam per hodiernam dispositionem legatorum Elizabethæ Denyer, Viduæ, necnon Joannis Johnson S. T. P., incremento S. Theologiæ studii, ipsique adeo Fundatorum voluntati minus plene satisfactum sit,

Placuit Academiæ, virtute legis a Parliamento, 25 et 26 Vict. c. 126 latæ, ea quæ in hac materie jussa sunt abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare:

1. Quidquid ex pecuniis Dominæ Denyer necnon ex dimidia parte pecunia-

rum Doctoris Johnson, nunc apud ærarium publicum perpetuo fœnore collocatis, vel collocandis, provenerit, in unum conferatur, et tribus Scholaribus in S. Theologia, utriusque Fundatorum nomine insigniendis, portionibus æqualibus pendatur.

2. Scholares Dominæ Denyer et Doctoris Johnson nominentur ii qui, Examinatione in S. Theologia peracta, in Schedulam ab Examinatoribus auctoritate Statuti Tit. IV. Sect. IV. § 3, conficiendam relati, cæteris præstare visi fuerint. Senioritatem secundum merita obtineant Scholares.

3. In unum annum Scholares eligantur, nec iterum se candidatos præstent.

4. Vim et vigorem suum obtineat hoc Statutum Termino Paschatis A. D. 1864.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo tertio mensis Februarii. Promulgatum est idem Statutum die duodecimo mensis Martii, et in eadem Domo die tricesimo mensis Aprilis probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die duodecimo mensis Maii anno Domini MDCCCLXIII.

Placuit Universitati, Stat. Tit. IV. Sect. I. § 22. 1. (edit. 1861, p. 39), post verba "officio suo desit," hæc quæ sequuntur, inserere:

Eligatur Professor a Vice-Cancellario, Collegii Wadhami Gardiano, Professore Sedleiano, Prælectore Chemiæ Aldrichiano, et Professore Astronomiæ Saviliano, et, si forte contigerit ut Gardianus Collegii Wadhami sit Vice-Cancellarius, jus suffragii in electione habeat Vice-Cancellarii Deputatus Senior.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die quarto mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum die decimo tertio ejusdem mensis Maii, et in eadem Domo die vicesimo octavo ejusdem mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die undecimo mensis Junii anno Domini MDCCCLXIII.

Placuit Academiæ Stat. Tit. IV. Sect. 1. § 12. Cl. 3. (edit. 1861, p. 25), hæc quæ sequuntur addere:

Interim Demonstratori libras centum et quadraginta a die XXV mensis Martii computandas quotannis pendat Vice-Cancellarius.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die octavo mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum die decimo tertio ejusdem mensis Maii, et in eadem Domo die vicesimo octavo ejusdem mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die undecimo mensis Junii anno Domini MDCCCLXIII.

Statuit Academia hæc quæ sequuntur sancire:

Pendat quotannis Vice-Cancellarius Bibliothecæ Radclivianæ Hypobibliothecario qui nunc est libras quinquaginta a sexto die Sextilis A. D. 1861 computandas.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die octavo mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum die decimo tertio ejusdem mensis Maii, et in eadem Domo die vicesimo octavo ejusdem mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die undecimo mensis Junii anno Domini MDCCCLXIII.

Placuit Universitati, Tit. XVI. (XX.) Sect. III. § 11. (edit. 1861. p. 225.) hanc clausulam adjungere:

9. Liceat Curatoribus tabulas quasdam tum ære aut ligno incisas, tum etiam manu delineatas, vel in Camera Radcliviana, vel in Ædibus Randolphianis, eo modo quo usui publico optime inservituræ videantur, collocare,—sigillo Bibliothecæ Bodleianæ et Donatorum nominibus munitas.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die undecimo mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum die vicesimo primo ejusdem mensis Maii, et in eadem Domo die vicesimo octavo ejusdem mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die undecimo mensis Junii anno Domini MDCCCLXIII.

Placuit Universitati, Stat. Tit. XV. (XIX.) De Feodis, § 9. p. 209. (edit. 1861,) post verba 'ministerio colligantur;' hæc verba addere:

Cum autem apud agrorum possessores moris sit pecunias ad parvulos informandos, vel ut aliis pauperum necessitatibus subveniatur quotannis conferre, Vice-Cancellario liceat Pastoribus Parochiarum, ubi exstent prædia sive Universitatis sive Universitatis fidei commissa, quicquid statis Delegatis pro curatione et elocatione terrarum ad Universitatem spectantium æquum visum fuerit ad tales usus, e cista Academica quotannis pendere.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo tertio mensis Novembris. Promulgatum est idem Statutum die primo mensis Decembris MDCCCLXIII, *et in eadem Domo die secundo mensis Februarii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo octavo ejusdem mensis Februarii anno Domini* MDCCCLXIV.

Placuit Universitati,

In Tit. VI. (IX.) II. § 5. edit. 1861. p. 96, clausulam secundam abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare:

2. Statuimus ut nemo pro primo gradu supplicet, nisi in schola literarum humaniorum, et deinde in una qualibet ex cæteris scholis, in eodem vel in sequenti aliquo termino, examen subierit, et in utraque schola Examinatoribus publicis satisfecerit.

Liceat tamen cuiquam pro primo gradu supplicare si modo in una aliqua ex Scholis prius memoratis in Classem primam vel secundam vel saltem tertiam relatus fuerit. Proviso semper ut nulli Candidato hoc privilegium concedatur, nisi Moderatoribus in literis Græcis et Latinis se commendaverit vel Moderatoribus in tribus saltem libris satisfecerit, et insuper Examinatoribus in Literis Humanioribus quoad rudimenta religionis et fidei, aut, si sit extra Ecclesiam Anglicanam et in rudimentis religionis examinari nolit, quoad libros hac in parte Examinationis substituendos satisfecerit.

Quam in rem, finita Examinatione in Schola Literarum Humaniorum, eorum nomina qui in iis tantum quæ ad rudimenta religionis et fidei spectant Examinatoribus satisfecerint in novam schedulam referantur. Quam quidem schedulam Examinator in Literis Humanioribus senior manu sua signatam ad Examinatores in cæteris Scholis deferri curet. Nec liceat Examinatoribus in Scientiis Mathematicis et Physicis sive in Scientia Naturali sive in Jurisprudentia et Historia Moderna alicui testimonium relationis in classem primam vel secundam vel tertiam perhibere, nisi qui hac in Schedula inclusus fuerit.

Si quis autem quoad rudimenta religionis et fidei aut, si sit extra Ecclesiam Anglicanam et in rudimentis religionis examinari nolit, quoad libros hac in parte Examinationis substituendos jam examinatus se ambire classem primam vel secundam vel tertiam in Schola Mathematica et Physica aut in Schola Scientiæ Naturalis aut in Schola Jurisprudentiæ et Historiæ Modernæ professus fuerit, nec in classem primam vel secundam vel tertiam relatus fuerit, satisfecerit tamen Examinatoribus, liceat ei examen in Schola Literarum Humaniorum postea subire, et, si in ea Schola Examinatoribus satisfecerit, pro gradu primo supplicare.

3. Statuimus etiam ut nemo gratiam cujusquam qui examen subire debuerit unquam proponat, nisi prius testimonium Examinatorum publicorum in Literis Humanioribus de candidato suo, et deinde testimonium Examinatorum publicorum in quavis alia schola, palam in domo Congregationis exhibuerit; aut nisi ex schedula Moderatorum penes Registrarium asservata probatum fuerit eum cujus gratia proponatur se Moderatoribus in literis Græcis et Latinis commendavisse, vel nisi per testimonium palam in domo Convocationis exhibita constet eum a

Moderatoribus prout Statuta requirunt examinatum Moderatoribus in tribus saltem libris satisfecisse, et insuper in classem primam vel secundam vel tertiam in aliqua Schola ab Examinatoribus publicis relatum fuisse, quod ex schedula Examinatorum penes Registrarium asservata Vice-Cancellario probetur.

Placuit etiam Universitati,

In Tit. VI. (IX.) III. § 2. (2), p. 115. hæc verba abrogare:

(et, si gradum Baccalaurei in Artibus —— *in duabus scholis satisfecisse*).

Placuit etiam Universitati,

In Tit. VI. (IX.) II. § 4. (4), p. 87. post verba "alter orator" hæc verba inserere:

Si quis autem Moderatoribus in tribus libris satisfecerit, id in testimonium, forma infra præscribenda, a Moderatoribus referatur.

Placuit etiam Universitati,

In Tit. VI. (IX.) II. § 4. (17), p. 91. post verba:
satisfecit nobis Moderatoribus,

hæc verba subrogare:

vel [*A. B.* [die mensis et anni] *examinatus prout statuta requirunt nobis Moderatoribus in tribus libris satisfecit.*

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die septimo mensis Decembris. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die quindecimo ejusdem mensis Decembris MDCCCLXIII, *et in eadem Domo die secundo mensis Februarii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo quinto ejusdem mensis Februarii anno Domini* MDCCCLXIV.

Placuit Universitati Stat. Tit. VI. [IX.] III, IV, V, VI, VII, (Ed. 1861, pp. 114–134), abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare.

Sectio III.—*De admissione ad gradus et status.*

§. 1. *Conditiones præviæ ad petitionem gratiæ ex parte supplicis.*

1. Statutum est primo, ne cujusquam gratia in venerabili domo Congregationis proponatur, nisi qui eo ipso tempore in matricula Universitatis nomen inscriptum habeat; et terminos ad gradum quem ambit requisitos compleverit; quique alicujus collegii vel aulæ alumnus censeatur.

2. Deinde requiritur ut quilibet candidatus, sive pro gradu aliquo supplicans, non solum sit probis moribus, et omnia ad gradum requisita recte compleverit; verum etiam (si gradum Baccalaurei in Artibus, vel in Medicina, vel in Jure Civili, vel statum Studiosi in Medicina, vel in Jure Civili capessat), ut secundum statuta satisfecerit Examinatoribus, de quo testimonium a magistro gratiam ipsius proponente, ante gratiam consequendam, per Registrarium in domo Congregationis exhibeatur.

3. Candidati omnes pridie saltem ejus diei in quo habenda est Congregatio, (nisi aliquem propter justas causas Vice-Cancellarius excuset,) nomina in libro apud Vice-Cancellarium inscribenda curent: et schedulam nomina continentem Bedellus ante Congregationem initam foribus domus Convocationis affigat.

4. Intra horas nonam et decimam ejusdem diei, quilibet præsentandorum ad incipiendum in aliqua facultate (excepta Musica), vel ad Baccalaureatum in S. Theologia, in apodyterio domus Congregationis Articulis fidei et religionis in synodo Londini Anno Dom. 1562. editis et confirmatis, necnon tribus articulis in XXXVI° canone comprehensis, lectis prius vel alio recitante in præsentia præsentatoris sui auditis subscribet; qui quidem tres articuli descripti sunt canone XXXVI° libri constitutionum et canonum ecclesiasticorum in synodo Londini cœpta Anno Dom. 1603.

Quoniam nemo ad certa quædam officia potest admitti, nisi quibusdam declarationibus subscripserit, et juramenta quædam susceperit; si cui eorum qui ad inferiorem gradum præsentandi sint aut admissi fuerint libeat iisdem illis Articulis supra dictis subscribere, aut juramenta primatus regii aut fidelitatis suscipere, hæc omnia vel quodlibet horum facere ei liceat eodem modo quo inceptores; atque illico nomen suum inscribat in registro quodam proprio, quod hunc in finem Registrarius Universitatis curet conservandum, et in domo Congregationis exhibendum quoties agatur de admittendis ad gradum: quarum subscriptionum aut juramentorum testimonium ei, si id requirat, a Registrario perhibeatur.

5. Nemo Magistrorum candidatum aliquem præsentet, nisi fuerit ejusdem collegii vel aulæ cujus is est qui supplicat; nisi cui propter justam causam Vice-Cancellarius licentiam concesserit.

6. Ante gratiæ petitionem, per schedulam chirographo suo munitam et Registrario traditam decanus vel censor testetur unusquisque gratiam a collegio suo vel aula sua candidatis seu præsentandis suis concessam esse; et insuper testimonia examinatorum, ubi requisitum fuerit, Registrario in manus tradat.

7. Quod si sacris ordinibus initiatus non commorans fuerit, qui gradum in S. Theologia ambit, ne gratiam petere præsumat, nisi prius literæ testimoniales ab episcopo diœceseos ubi degit candidatus signatæ, de conformitate ipsius tum quoad doctrinam tum quoad disciplinam in Ecclesia Anglicana receptam, palam in domo Congregationis a præsentatore recitatæ sint.

§. 2. *Ordo Ceremoniarum.*

1. Imprimis, Congregatione ineunte, Registrarius gratias rite concessas, et eorum, qui gradum Baccalaurei in Artibus vel in Medicina vel in Jure Civili, vel statum Studiosi in Medicina vel in Jure Civili ambiant, testimonia exhibita fuisse, palam testetur.

2. Quo facto, Procuratorum alter pro iis qui gradus superiores petant, sub peculiaribus formulis supplicet; et post unamquamque petitionem Procuratores suffragia solito modo exquirant: tum nomina eorum qui gradum A. M. ambiant recitet Procurator Senior, post quam lectionem testentur Procuratores eosdem omnes Articulis fidei et religionis et tribus articulis in canone XXXVI° comprehensis subscripsisse: tum suffragia exquirant. Denique nomina eorum qui gradum A.B. vel statum Studiosi in Jure Civili vel in Medicina ambiant recitet Procurator Junior; et suffragia similiter exquirantur.

3. Post unamquamque suffragationem Procuratorum alter gratias concessas esse sub hac forma pronunciet: *Hæ gratiæ concessæ sunt, et sic pronunciamus concessas.*

4. Tum præsentatores cujusque facultatis (secundum dignitatem facultatis, ubi sit præsentatio ad eundem gradum in diversis facultatibus, si unus e præsentandis fuerit theologus; alioqui, secundum senioritatem præsentatoris; ubi vero præsentatio fit ad diversos gradus, secundum dignitatem gradus; et in eadem facultate et gradu, secundum senioritatem præsentatorum) ad præsentandum procedant. Et quisque (bedello præeunte, et candidatis proxime sequentibus) domum Congregationis conscendat; et ad superiorem partem domus procedens præsentandos a dextro latere sistat; deinde omnes e collegio suo præsentandos coram Vice-Cancellario producat; et cum debita reverentia, sub peculiari formula, Vice-Cancellario et Procuratoribus præsentet. Liceat autem plures qui eundem gradum ambiant, sub eadem formula mutatis mutandis præsentare.

5. Postea, Procurator Junior præsentatis ad incipiendum in aliqua facultate (excepta Musica,) vel ad Baccalaureatum in S. Theologia, dicet: "(*Domini* " *Doctores, Magistri,* vel *Domini,*) *vos dabitis fidem ad observandum statuta,* " *privilegia, consuetudines et libertates istius Universitatis.*"

" *Item quod quum admissi fueritis in domum Congregationis et in domum* " *Convocationis, in iisdem bene et fideliter, ad honorem et profectum Universitatis,*

"*vos geretis. Et specialiter quod in negotiis quæ ad gratias et gradus spectant*
"*non impedietis dignos, nec indignos promovebitis.*"

"*Item quod in electionibus habendis unum tantum semel et non amplius in singulis scrutiniis scribetis et nominabitis; et quod neminem nominabitis nisi quem habilem et idoneum certo sciveritis vel firmiter credideritis.*" Resp. *Do fidem.*

6. Præsentatos autem ad inferiorem gradum aliquem ita admoneat "*Vos tenemini ad observandum omnia statuta, privilegia, consuetudines, et libertates istius Universitatis, quatenus ad vos spectent.*"

7. Tum ad Seniorem Procuratorem se conferant præsentati ad incipiendum in aliqua facultate (excepta Musica), vel ad Baccalaureatum in S. Theologia, quorum senior juramentum primatus regii clara voce (ut ab omnibus aliis audiatur) publice legat; et Evangelium osculetur; et post eum alii quotquot eodem die præsententur: et postremo, eodem juramentum fidelitatis sive allegiantiæ præeunte, alii omnes in confirmationem juramenti ordine librum osculentur.

8. Quibus præstitis juramentis, a Vice-Cancellario sub peculiaribus formulis admittantur omnes candidati. Si ad statum Studiosi vel gradum Baccalaureatus admittantur, stantes Vice-Cancellarii verba accipiant:—Si vero præsententur ad incipiendum in aliqua facultate, genubus ad Vice-Cancellarii pedes flexis, capitibus deinde per Vice-Cancellarium libro tactis, sub sollenni verborum forma admittantur.

9. Quibus sic peractis, domo egrediantur, et extra cancellos habitum competentem gradui ad quem admissi sunt induentes, illico, bedello præeunte, in domum redeant; et præstita Vice-Cancellario reverentia discedant.

Sectio IV.—*Formulæ.*

§. 1. *Formulæ gratiarum a Collegio vel Aula concessarum.*

1. *Pro gradu Baccalaurei in Artibus.*

Ego A. B. decanus vel censor collegii (vel aulæ) C. D. (*vel* decani aut censoris vicem-gerens) testor E. F. (*vel si plures fuerint*, X, Y, &c.) e collegio (vel aula) C.D. in quo, (*vel, si tempus non in uno aliquo collegio vel aula compleverit*, in quo partim, partim in collegio (vel aula) G.) non in domo aliqua privata per integrum tempus ad gradum Baccalaurei in Artibus per statuta requisitum cubile et victum continue sumpsisse scio, quatenus examen publicum subierit (*vel* subierint) et reliqua compleverit (*vel* compleverint) omnia quæ per statuta Universitatis requiruntur, (nisi quatenus cum eo dispensatum fuerit,) gratiam (*vel* gratias) a collegio suo (vel aula sua) pro gradu Baccalaurei in Artibus concessam (*vel* concessas) fuisse; fide mea data huic Universitati. A. B. Decanus Coll. C.

2. *Pro gradu Inceptoris in Artibus.*

Ego A. B. decanus vel censor collegii (vel aulæ) C. D. (*vel* decani aut censoris vicem-gerens) testor E. F. (*vel si plures fuerint*, X, Y, &c.) e collegio vel aula C. D. quatenus terminum vicesimum septimum a matriculatione attigerit (*vel* attigerint), bonarum literarum studio incubuerit (*vel* incubuerint), in præsentia mea legerit (*vel* legerint), vel lectos audierit (*vel* audierint) Articulos fidei et religionis, et speciatim tres articulos in canone XXXVI[o] comprehensos, et reliqua compleverit (*vel* compleverint) omnia quæ per statuta Universitatis requiruntur, gratiam (*vel* gratias) a collegio suo (vel aula sua) pro gradu Inceptoris in Artibus concessam (*vel* concessas) fuisse; fide mea data huic Universitati.

A. B. Dec. Coll. C.

3. *Pro gradu Baccalaurei in Musica.*

Ego A. B. &c. testor E. F. scholari in Musica, e collegio (vel aula) C. D. quatenus septem annos in studio vel praxi Musicæ posuerit, et unum canticum quatuor saltem partium in schola Musicæ ediderit, et reliqua præstiterit quæ per statuta Universitatis requiruntur, gratiam a collegio suo (vel aula sua) pro gradu Baccalaurei in Musica concessam fuisse: fide mea data huic Universitati.

A. B. Dec. Coll. C.

4. *Pro gradu Baccalaurei in Medicina.*

Ego A. B. &c. testor E. F. Magistro (*vel* Baccalaureo facultatis Artium *vel* Baccalaureo in Jure Civili vel *si non graduatus fuerit* Medicinæ Studioso) e collegio (vel aula) C. D. in quo, (*vel, si tempus non in uno aliquo collegio vel aula compleverit,* in quo partim, partim in collegio (vel aula) G.) non in domo aliqua privata, per duodecim terminos ipsum cubile et victum continue sumpsisse scio, quatenus omnia præstiterit quæ ad gradum Baccalaurei in Artibus requiruntur, octo et viginti terminos a die matriculationis suæ compleverit, per triennium Medicinæ operam dederit, examen subierit, et reliqua omnia præstiterit quæ per statuta Universitatis requiruntur, (nisi quatenus, &c.) gratiam a collegio suo (vel aula sua) pro gradu Baccalaurei in Medicina concessam fuisse; fide mea data huic Universitati. A. B. Dec. Coll. C.

5. *Pro gradu Baccalaurei in Jure Civili.*

Ego A. B. &c. testor E. F. Magistro facultatis Artium e collegio (vel aula) C. D. quatenus tres annos, a tempore admissionis suæ ad regendum, in studio Juris Civilis posuerit, examen pro gradu Baccalaurei in Jure Civili subierit, et reliqua præstiterit quæ per statuta Universitatis requiruntur, (nisi quatenus, &c.) gratiam a collegio suo (vel aula sua) pro gradu Baccalaurei in Jure Civili concessam fuisse; fide mea data huic Universitati. A. B. Dec. Coll. C.

Si non inceperit in Artibus, nec per statuta collegii sui Juris studio deputatus fuerit.

Ego A. B. &c. testor E. F. Studioso Juris Civilis e collegio (vel aula) C. D. in quo, non in domo aliqua privata, per integrum tempus ad gradum Baccalaurei in Jure Civili per statuta requisitum, cubile et victum continue sumpsit; (*vel, si tempus non in uno aliquo collegio vel aula compleverit,* in quo partim, partim in collegio (vel aula) G.) quatenus terminum vicesimum septimum a matriculatione attigerit; Examinatoribus publicis satisfecerit; examen pro gradu Baccalaurei in Jure Civili subierit; et reliqua, &c. *ut supra.*

Si non inceperit in Artibus, et per statuta collegii sui statim a primo ad Academiam adventu Juris studio deputatus fuerit.

Ego A. B. &c. testor E. F. Studioso Juris Civilis e collegio (vel aula) C. D. &c.; quatenus Examinatoribus publicis satisfecerit; examen pro gradu Baccalaurei in Jure Civili subierit, &c. *ut supra.*

6. *Pro gradu Baccalaurei in S. Theologia.*

Ego A. B. &c. testor E. F. Magistro facultatis Artium e collegio (vel aula) C. D. quatenus septem annos a tempore admissionis suæ ad regendum in studio S. Theologiæ posuerit, in Schola Theologica pro forma semel responderit et bis opposuerit, et reliqua præstiterit quæ per statuta Universitatis requiruntur (nisi quatenus, &c.), gratiam a collegio suo (vel aula sua) pro gradu Baccalaurei in S. Theologia concessam fuisse; fide mea data huic Universitati.

A. B. Dec. Coll. C.

7. *Pro gradu Inceptoris in Musica.*

Ego A. B. &c. testor E. F. Baccalaureo in Musica e collegio (vel aula) C. D. quatenus a tempore suscepti gradus Baccalaureatus sui quinque annos in studio vel praxi musicæ posuerit, unum canticum octo partium in schola Musicæ ediderit, et reliqua præstiterit omnia quæ per statuta Universitatis requiruntur, gratiam a collegio suo (vel aula sua) pro gradu Inceptoris in Musica concessam fuisse; fide mea data huic Universitati. A. B. Dec. Coll. C.

8. *Pro gradu Inceptoris in Medicina.*

Ego A. B. &c. testor E. F. Medicinæ Baccalaureo e collegio (vel aula) C. D. quatenus post susceptum gradum Baccalaurei in Medicina tres annos in studio medicinæ posuerit, dissertationem scripserit, et coram Professore recitaverit, et reliqua præstiterit quæ per statuta Universitatis requiruntur, gratiam a collegio suo (vel aula sua) pro gradu Inceptoris in Medicina concessam fuisse; fide mea data huic Universitati. A. B. Dec. Coll. C.

9. *Pro gradu Inceptoris in Jure Civili.*

Ego A. B. &c. testor E. F. Juris Civilis Baccalaureo e collegio (vel aula) C. D. quatenus post susceptum Baccalaureatus gradum quatuor annos in studio Juris Civilis posuerit, dissertationem scripserit, et coram Professore recitaverit, et reliqua compleverit quæ per statuta Universitatis requiruntur, (nisi quatenus, &c.) gratiam a collegio suo (vel aula sua) pro gradu Inceptoris in Jure Civili concessam fuisse; fide mea data huic Universitati. A. B. Dec. Coll. C.

10. *Pro gradu Inceptoris in S. Theologia.*

Ego A. B. &c. testor E. F. S. Theologiæ Baccalaureo e collegio (vel aula) C. D. quatenus post susceptum Baccalaureatus gradum quatuor annos in studio S. Theologiæ posuerit, in schola theologica pro forma sex solennes lectiones, vel tres ad minimum cursorias, habuerit, et reliqua compleverit quæ per statuta Universitatis requiruntur (nisi quatenus, &c.), gratiam a collegio suo (vel aula sua) pro gradu Inceptoris in S. Theologia concessam fuisse; fide mea data huic Universitati. A. B. Dec. Coll. C.

11. *Pro statu Studiosi in Jure Civili* (vel *in Medicina*).

Ego A. B. &c. testor E. F. scholari e collegio (vel aula) C. D. in quo (*vel, si tempus non in uno aliquo collegio vel aula compleverit,* in quo partim, partim in

collegio (vel aula) A.) non in domo aliqua privata, per integrum tempus ad gradum Baccalaurei in Artibus per statuta reqnisitum, cubile et victum continue sumpsisse scio, quatenus examen publicum pro gradu subierit, et reliqua compleverit omnia quæ per statuta Universitatis requiruntur, gratiam a collegio suo (vel aula sua) pro statu Studiosi in Jure Civili (*vel* in Medicina) concessam fuisse; fide mea data huic Universitati. A. B. Dec. Coll. C.

§. 2. *Formulæ supplicationum.*

1. *Pro gradu Baccalaurei in Artibus, a Procuratore Juniore in domo Congregationis alta voce recitanda.*

Supplicat (*vel* supplicant) venerabili Congregationi Doctorum et Magistrorum Regentium E. F. scholaris facultatis Artium e collegio C., [*D. E. e coll. F., &c.*] qui complevit (*vel* compleverunt) omnia quæ per statuta requiruntur (nisi quatenus cum eo dispensatum fuerit); ut hæc sufficiant, quo admittatur (*vel* admittantur) ad gradum Baccalaurei in Artibus (*vel* ad statum Studiosi in Jure Civili *vel* in Medicina).

2. *Pro gradu Inceptoris in Artibus, a Procuratore Seniore recitanda.*

Supplicat (*vel* supplicant) &c. A. B. Baccalaureus facultatis Artium e collegio C., [*D. E. e coll. F.* &c.] (*vel* Baccalaureus in Jure Civili, *vel* in Medicina) qui complevit (*vel* compleverunt) omnia quæ per statuta requiruntur (nisi quatenus &c.); ut hæc sufficiant, quo admittatur (*vel* admittantur) ad incipiendum in eadem facultate.

3. *Pro gradu Baccalaurei in Musica, a Procuratorum altero recitanda.*

Supplicat, &c. A. B. scholaris in Musica, e collegio C. qui complevit omnia quæ per statuta requiruntur (nisi quatenus &c.); ut hæc sufficiant, quo admittatur ad gradum Baccalaurei in Musica.

4. *Pro gradu Inceptoris in Musica, a Procuratorum altero recitanda.*

Supplicat, &c. A. B. Baccalaureus Musicæ, e collegio C., qui præstitit omnia quæ per statuta requiruntur (nisi quatenus &c.); ut hæc sufficiant, quo admittatur ad incipiendum in eadem facultate.

5. *Pro gradu Baccalaurei in Medicina, a Procuratorum altero recitanda.*

Supplicat, &c. A. B. Magister (*vel* Baccalaureus) facultatis Artium, (*vel* Baccalaureus in Jure Civili, *vel* Medicinæ Studiosus) e collegio C., qui omnia præstitit quæ per statuta requiruntur (nisi quatenus &c.); ut hæc sufficiant, quo admittatur ad gradum Baccalaurei in Medicina.

6. *Pro gradu Inceptoris in Medicina, a Procuratorum altero recitanda.*

Supplicat, &c. A. B. Medicinæ Baccalaureus, e collegio C., qui omnia præstitit quæ per statuta requiruntur (nisi quatenus &c.); ut hæc sufficiant quo admittatur ad incipiendum in eadem facultate.

7. *Pro gradu Baccalaurei in Jure Civili, a Procuratorum altero recitanda.*

Supplicat, &c. A. B. Magister facultatis Artium (*vel, si non inceperit in Artibus*, Studiosus in facultate Juris) e collegio C., qui præstitit omnia quæ per statuta requiruntur (nisi quatenus &c.); ut hæc sufficiant, quo admittatur ad gradum Baccalaurei in Jure Civili.

8. *Pro gradu Inceptoris in Jure Civili, a Procuratorum altero recitanda.*

Supplicat, &c. A. B. Baccalaureus in Jure Civili e collegio C., qui præstitit omnia quæ per statuta requiruntur (nisi quatenus &c.); ut hæc sufficiant, quo admittatur ad incipiendum in eadem facultate.

9. *Pro gradu Baccalaurei in S. Theologia, a Procuratorum altero recitanda.*

Supplicat, &c. A. B. Magister facultatis Artium e collegio C., qui præstitit omnia quæ per statuta requiruntur (nisi quatenus &c.); ut hæc sufficiant, quo admittatur ad gradum Baccalaurei in S. Theologia.

10. *Pro gradu Inceptoris in S. Theologia, a Procuratorum altero recitanda.*

Supplicat, &c. A. B. S. Theologiæ Baccalaureus e collegio C., qui præstitit omnia quæ per statuta requiruntur (nisi quatenus &c.); ut hæc sufficiant, quo admittatur ad incipiendum in eadem facultate.

11. *Si quis in aliqua facultate gradum Baccalaurei et Doctoris cumulare cupierit.*

Supplicat, &c. A. B., quatenus—annos in studio—posuerit; pro gradibus cumulandis secum per venerabilem domum Convocationis dispensatum fuerit; gratiam ad lectiones pro forma habendas in hac venerabili domo adeptus sit; pro forma in schola—legerit; cæteraque omnia compleverit quæ per statuta requiruntur; ut hæc sufficiant, quo—&c.

§. 3. *Formulæ præsentationis.*

1. *Ad statum Studiosi in Jure Civili,* (vel *in Medicina.*)

Insignissime Vice-Cancellarie, vosque egregii Procuratores, præsento vobis hunc meum scholarem (*vel* hos meos scholares) ut admittatur (*vel* admittantur) ad statum Studiosi in Jure Civili (*vel* in Medicina).

2. *Ad Baccalaureatum in Artibus.*

Insignissime, &c. præsento vobis hunc meum scholarem (*vel* hos meos scholares) in facultate Artium, ut admittatur (*vel* admittantur) ad gradum Baccalaurei in Artibus.

3. *Ad Incipiendum in Artibus.*

Insignissime &c. præsento vobis hunc Baccalaureum (*vel* hos Baccalaureos) in facultate Artium, ut admittatur (*vel* admittantur) ad incipiendum in eadem facultate.

4. *Ad Baccalaureatum in Musica.*

Insignissime &c. præsento vobis hunc scholarem in facultate Musicæ, ut admittatur ad gradum Baccalaurei in eadem facultate; ad quam admissionem

eum aptum, habilem et idoneum esse, sub chirographis hominum in arte musica peritissimorum abunde testatum accepistis.

5. *Ad Incipiendum in Musica.*

Insignissime &c. præsento vobis hunc Baccalaureum in facultate Musicæ, ut admittatur ad incipiendum in eadem facultate: ad quam admissionem, &c. ut supra.

6. *Ad Baccalaureatum in Medicina.*

Insignissime &c. præsento vobis hunc Studiosum in Medicina, ut admittatur ad gradum Baccalaurei in eadem facultate.

7. *Ad Incipiendum in Medicina.*

Insignissime &c. præsento vobis hunc Baccalaureum in Medicina, ut admittatur ad incipiendum in eadem facultate; testorque illum in præsentia mea legisse (*vel* lectos audivisse) Articulos fidei et religionis, quibus modo subscripsit, ac speciatim tres articulos in canone XXXVI° comprehensos: fide mea data huic Universitati.

8. *Ad Baccalaureatum in Jure Civili.*

Insignissime &c. præsento vobis hunc Studiosum in Jure Civili, ut admittatur ad gradum Baccalaurei in eadem facultate.

9. *Ad Incipiendum in Jure Civili.*

Insignissime &c. præsento vobis hunc Baccalaureum in Jure Civili, ut admittatur ad incipiendum in eadem facultate; testorque illum, &c.

10. *Ad Baccalaureatum in S. Theologia.*

Insignissime &c. præsento vobis hunc Studiosum in S. Theologia, ut admittatur ad gradum Baccalaurei in eadem facultate; testorque illum, &c.

11. *Ad Incipiendum in S. Theologia.*

Insignissime &c. præsento vobis hunc Baccalaureum in S. Theologia, ut admittatur ad incipiendum in eadem facultate; testorque illum, &c.

§. 4. *Formulæ admissionis, a Vice-Cancellario recitandæ.*

1. *Ad statum Studiosi in Medicina.*

"Domine (*vel* Domini *si plures fuerint*) ego admitto te (*vel* vos) ad statum "Studiosi in Medicina."

2. *Ad statum Studiosi in Jure Civili.*

"Domine, (*vel* Domini, *si plures fuerint*,) ego admitto te (*vel* vos) ad statum "Studiosi in Jure Civili."

3. *Ad gradum Baccalaurei in Artibus.*

"Domine, (*vel* Domini, *si plures fuerint*,) ego admitto te (*vel* vos) ad gradum "Baccalaurei in Artibus; insuper auctoritate mea et totius Universitatis, do tibi "(*vel* vobis) potestatem legendi, et reliqua omnia faciendi quæ ad eundem gradum spectant."

4. *Ad gradum Baccalaurei in Medicina.*

" Magister (*vel* Magistri, *si plures fuerint*) ego admitto te (*vel* vos) ad gradum Baccalaurei in Medicina."

5. *Ad gradum Baccalaurei in Jure Civili.*

" Domine *vel* Magister (*vel* Domini *aut* Magistri, *si plures fuerint*), ego " admitto te (*vel* vos) ad gradum Baccalaurei in Jure Civili."

6. *Ad gradum Baccalaurei in S. Theologia.*

" Magister (*vel* Magistri, *si plures fuerint*) ego admitto te (*vel* vos) ad " gradum Baccalaurei in S. Theologia."

7. *Ad Incipiendum in aliqua facultate.*

" Ad honorem Domini nostri Jesu Christi, et ad profectum sacro-sanctæ matris " ecclesiæ et studii, ego auctoritate mea et totius Universitatis do tibi (*vel* vobis) " licentiam incipiendi in facultate Artium (*vel* facultate Medicinæ, Juris, " S. Theologiæ) legendi, disputandi, et cætera omnia faciendi quæ ad statum " Doctoris (*vel* Magistri) in eadem facultate pertinent, cum ea completa sint " quæ per statuta requiruntur; in nomine Domini, Patris, Filii, et Spiritus " Sancti:" quæ postrema dum pronunciat debita cum reverentia caput aperiat Vice-Cancellarius.

§. 5. *Formula declarationis ab admittendis ad publicam Bibliothecam subscribendæ.*

" Ego A. B., in Bibliothecam Bodleianam admittendus, ex animo polliceor me " libros cæterumque cultum sic tractaturum ut superesse quam diutissime possint, " et, quantum in me est, curaturum ne quid bibliotheca detrimenti aut incommodi " capiat."

Sectio V.—*De iis quorum gratiæ negantur.*

1. Singulis Magistris Regentibus gratiam alicujus Candidati ter negare permittitur: Procuratores vero eandem gratiam negatam esse silentio tantum indicent, et si plures gratiæ simul proponantur, eas quæ concessæ sunt pronuncient, negatas silentio prætereant.

2. Ter, proximis quibusque Congregationibus, ejusdem Candidati supplicationem liceat continuare: recenseatur item in singulis Congregationibus quota vice, prima, secunda, tertia, quartave supplicetur.

3. Post gratiam tertia vice negatam negationis causa Vice-Cancellario et Procuratoribus eodem die a Magistro denegante ostendatur, et probationes coram eisdem summarie proferantur; quæ causa una cum probatione, celato objicientis nomine, in proxima Congregatione publicetur; in qua, si et Vice-Cancellario, et Procuratoribus, et majori parti Regentium justa videatur, tum gratia denegata censeatur; et supplicatio ejusdem in annum integrum continuetur. Si vero causa minus justa aut probabilis iis videatur, gratia quarto proposita, si majori Congregationis parti ita visum fuerit, pro concessa habeatur.

Sectio VI.—*De gradibus quibusdam in absentes conferendis.*

1. Quandoquidem fines Imperii Britannici Deus Optimus Maximus longe lateque propagavit, eosque adhuc usque propagat, ad publica autem commoda tum Ecclesiæ quum Imperii spectat ut viri optimarum artium studiis in Academiis nostris eruditi utrique in coloniis Britannicis operam præbeant, neque vero fas est ut qui publicis commodis inserviant, ipsi debitis honoribus priventur; Statutum est ut si quis gradum Baccalaurei in Artibus vel in Jure Civili vel in Medicina adeptus fuerit, postea vero in colonia aliqua Britannica munus aliquod sive ecclesiasticum seu civile administret, vel in aliquo laudabili vitæ genere versari probe noscatur, liceat ei gradum Magistri in Artibus, Doctoris in Jure Civili vel in Medicina vel in S. Theologia adipisci, quanquam in domo Congregationis præsens haud adfuerit, modo has quæ sequuntur conditiones impleverit;—

2. Quod tempus per statuta ad gradum quem petit capessendum requisitum compleverit, et in Universitate post gradum Baccalaurei in Artibus susceptum, si id statuta requirant, commoratus fuerit.

3. Quod, si gradum Doctoris in Jure Civili vel in Medicina petat, exercitia ad eundem gradum requisita composuerit, et ad Professorem Regium in sua facultate transmiserit; si vero Doctoris in S. Theologia gradum ambiat, disputationes duas de aliqua materie theologica a S. Theologiæ Professore Regio ei proposita composuerit et ad eundem Professorem transmiserit; quæ tamen exercitia tum demum pro forma cedant, si Professor Regius ea comprobarit.

4. Quod de vitæ morumque integritate literas testimoniales transmiserit ab episcopo vel archidiacono in colonia ubi commoretur constituto ipsi, si ecclesiasticus sit, datas; si laicus sit, ab episcopo vel archidiacono, vel etiam a provinciæ præfecto vel a judice aliquo summæ ibidem curiæ adscripto consignatas.

5. Quod gratiam pro gradu quem ambiat a domo sua adeptus sit; decanus vero domus seu decani vicem gerens pro gratia in venerabili domo Congregationis concedenda supplicaverit.

6. Quod Articulis fidei et religionis in Synodo Londini A.D. 1562 editis et confirmatis, necnon tribus articulis in canone XXXVI° comprehensis subscripserit, juramentum vero de primatu Regiæ Majestatis, et juramentum fidelitatis susceperit; cujus rei testimonium idoneum ad Vice-Cancellarium transmittere tenebitur.

7. His omnibus rite peractis, gradus quem ambit, si ita placuerit venerabili domo Congregationis, ei concedatur; deinde sub hac formula admittatur; "Ego Vice-Cancellarius, auctoritate mea et totius Universitatis, admitto C. D. e collegio E. ad gradum, &c. (*vel* ad incipiendum, &c.)"

Sectio VII.—*De Incorporatione, et Admissione exterorum.*

§. 1.—*De Incorporatione.*

1. Si quis eorum qui in matriculam Universitatis Cantabrigiensis aut Dubliniensis relati fuerint, in aliquod Collegium vel Aulam Universitatis Oxoniensis admissus sit, ei liceat huic Universitati incorporari.

2. Proviso ut, si Graduatus fuerit, per novem terminos, et uniuscujusque termini per partem saltem majorem, ante primum gradum susceptum intra suam Academiam bona fide commoratus sit.

Si nondum Graduatus sit, eos tantummodo terminos, in quibus per dies quadraginta duo intra suam Academiam bona fide commoratus sit, sibi reputatos habeat.

3. Quarum rerum testimonio, sub sigillo Collegii aut Universitatis suæ, publice in domo Congregationis recitato, Gratia pro Graduato incorporando sub hac forma proponatur;—" Supplicat A. N. Baccalaureus (*vel* Magister) " facultatis Artium, (*vel* Baccalaureus, *vel* Doctor facultatis S. Theologiæ, *vel* " Juris Civilis, *vel* Medicinæ) in Academia Cantabrigiensi (*vel* Dubliniensi), ut " bona vestra cum venia admittatur ad eundem gradum statum et dignitatem " apud Oxonienses, quibus ornatus est apud suos Cantabrigienses (*vel* Dub-" linienses)."

4. Incorporandus si sit Magister in Artibus, aut in S. Theologia Baccalaureus, aut in aliqua facultate Doctor, Articulis fidei et religionis, necnon tribus articulis in canone XXXVI° comprehensis, juxta statutum *de subscriptione exigenda* (Tit. VI (IX). Sect. IV. §. 1), subscribat.

5. Quibus sic peractis, et gratia eodem modo quo alias fieri consuevit pronunciata, præsentatio incorporandi ad hunc modum sequitur:

6. " Insignissime &c., præsento vobis hunc Baccalaureum (*vel* Magistrum) " facultatis Artium (*vel* Baccalaureum, *vel* Doctorem facultatis S. Theologiæ, *vel* " Juris Civilis, *vel* Medicinæ) in Academia Cantabrigiensi (*vel* Dubliniensi), ut " sit eodem gradu statu et dignitate apud nos Oxonienses, quibus ornatus est " apud suos Cantabrigienses (*vel* Dublinienses)."

Et post præsentationem (si incorporandus Magister sit in Artibus, vel Baccalaureus in S. Theologia, vel in aliqua facultate Doctor) his verbis ab altero Procuratorum admoneatur:

" *Magister, tu dabis fidem ad observandum statuta, privilegia, consue-" tudines et libertates istius Universitatis.*

7. Denique a Vice-Cancellario sic admittatur: " Magister (*vel* Domine " Doctor, *vel* Domine), ego admitto te ad eundem statum, gradum et dignitatem " hic apud nos Oxonienses, quibus ornatus es apud tuos Cantabrigienses (*vel* " Dublinienses)."

8. Eadem quoque gratiæ, præsentationis, et admissionis formula, mutatis mutandis, adhibenda est, cum aliquis nondum graduatus terminorum apud Academiam Cantabrigiensem vel Dubliniensem rationem sibi apud nos Oxonienses imputandam velit.

9. Cautum tamen est quod nullus in S. Theologia, Medicina vel Jure Civili Doctor incorporetur, nisi de expresso consensu Vice-Cancellarii, Professoris et trium insuper Doctorum in eadem facultate, et Procuratorum, vel majoris partis eorundem.

Quilibet, incorporationis beneficium nactus, eodem habeatur loco et statu, quibus in sua Universitate gaudebat: ita tamen quod (utcunque prius ad gradum aliquem in ea sit admissus) nihilominus junior habeatur iis omnibus qui ad eundem gradum Oxoniæ sunt admissi eodem anno; id est, intra idem temporis spatium inter primum diem termini Michaelis et ultimum diem termini S. Trinitatis interjectum.

§. 2. De admissione ad privilegia Graduatorum, comitatis causa.

1. Doctores et Baccalaurei in facultatibus S. Theologiæ, Juris Civilis, aut Medicinæ, et Magistri in facultate Artium, ab Academiis Cantabrigiensi vel Dubliniensi huc adventantes, si ad eadem privilegia velint admitti quibus nostrates, eosdem gradus adepti, apud nos fruuntur, hoc iis per comitatem Academiæ conceditur;—jure tamen suffragii, titulisque ad gradus Academiæ Oxoniensis pertinentibus omnino exceptis.

2. Admittendorum sub hac forma gratia proponatur:—" Supplicat A. B. Magister facultatis Artium " (*vel* Baccalaureus, *vel* Doctor facultatis S. Theologiæ, " *vel* Juris Civilis, *vel* Medicinæ), ut bona vestra cum venia ad privilegia quibus " nostrates hunc gradum adepti fruuntur, admittatur."

3. Horum præsentatio fiat sub hac forma:—

" Insignissime &c., præsento vobis hunc Magistrum facultatis Artium (*vel* " Baccalaureum *vel* Doctorem in facultate S. Theologiæ, *vel* Juris Civilis, *vel* " Medicinæ) in Academia Cantabrigiensi (*vel* Dubliniensi), ut ad privilegia " quibus nostrates hunc gradum adepti fruuntur, admittatur."

4. Denique a Vice-Cancellario sic admittatur, " Magister (*vel* Domine " Doctor, *vel* Domine) ego admitto te ad privilegia quibus nostrates, eundem " gradum adepti, fruuntur."

Placuit Universitati Stat. Tit. VI. (X.) I. §. 1, 3. (Ed. 1861, p. 141.) post verba "Convocationis admittat" hæc verba inserere:—

sub hac forma, " Domine Doctor (*vel* Magister, *vel* Domini Doctores *vel* Magistri) ego Vice-Cancellarius, &c. admitto te (*vel* vos) ad hanc domum Convocationis (*vel* Congregationis) necnon in alteram domum Congregationis (*vel* Convocationis)."

De Statutis his rogandis, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die quindecimo mensis Februarii. Promulgata sunt eadem Statuta in Domo Congregationis die vicesimoquarto ejusdem mensis Februarii et in eadem domo die tertio mensis Martii probata; tandem in Convocatione publicata et confirmata die undecimo ejusdem mensis Martii anno Domini MDCCCLXIV.

Placuit Universitati,

Stat. Tit. XII. (XVI.) § 4. Cl. 2. (edit. 1861, p. 173).

verba "utroque conventu" abrogare, et in eorum locum verba "singulis conventibus" subrogare.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die quindecimo mensis Februarii. Promulgatum est idem Statutum in Domo Congregationis die vicesimoquarto ejusdem mensis Februarii et in eadem Domo die tertio mensis Martii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die undecimo ejusdem mensis Martii anno Domini MDCCCLXIV.

Placuit Universitati, Stat. Tit. V. (VI.) Sect. I. § 2. Cl. 3, 4. [p. 61. edit. 1861], hæc verba abrogare:

3. Nemini Responsio sua cedat pro forma post finitum terminum a tempore matriculationis suæ quintum.

4. Si quis autem infirma valetudine aut alia gravi causa impeditus intra terminos supra præfinitos non responderit, illi tamen liceat, cum consensu Vice-Cancellarii et Procuratorum, sequente aliquo termino respondere. Sin aliquis Vice-Cancellario et Procuratoribus in hac parte minus satisfecerit, illi tamen aditum ad gradus omnino interdicere nolumus. Suspendatur vero a gradu per unum terminum aut plures, pro numero scilicet terminorum quibus sese post finitum a tempore matriculationis suæ quartum terminum ad respondendum sistere omiserit. Meminerint igitur Decani vel Censores collegii cujuscunque vel aulæ, sibi non licere cujusquam qui in hac parte deliquerit gratiam in venerabili domo Congregationis proponere, nisi lapso termino, vel lapsis terminis, prout supra statutum est, post annos a tempore matriculationis ejusdem ad primum quem ambit gradum, per Statuta usitate requisitos.

Item Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. § 3. Cl. 3, 4. [p. 85. edit. 1861],

Verbum "vel;" itemque verba "vel post finitum decimum," abrogare.

Item hæc verba abrogare:

4. Si quis autem infirma valetudine aut alia gravi causa impeditus, intra terminos supra præfinitos non subierit examen primum, illi tamen liceat cum consensu Vice-Cancellarii et Procuratorum sequente aliquo termino sese examinandum sistere. Sin aliquis Vice-Cancellario et Procuratoribus in hac parte minus satisfecerit, illi tamen aditum ad gradus omnino præcludere nolumus. Suspendatur vero a gradu per unum terminum aut plures, pro numero scilicet terminorum quibus sese, post finitum a tempore matriculationis suæ nonum terminum, ad primum examen subeundum sistere omiserit. Meminerint igitur decani vel censores cujuscunque collegii vel aulæ sibi non licere cujusquam qui in hac parte deliquerit gratiam in venerabili domo Congregationis proponere, nisi lapso termino, vel lapsis terminis, prout supra statutum est, post annos a tempore matriculationis ejusdem ad primum quem ambit gradum per statuta usitate requisitos.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die septimo mensis Martii. Promulgatum est idem Statutum die undecimo ejusdem mensis Martii, et in eadem Domo die vicesimo primo mensis Aprilis probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die sexto mensis Maii anno Domini MDCCCLXIV.

Placuit Universitati

Statutum quod sequitur sancire.

De Praeceptore Linguae Hindustanicae.

1. Praeceptor Linguae Hindustanicae a Venerabili Domo Convocationis in quinquennium a die 30mo mensis Junii A.D. 1864 eligatur: qui per septem hebdomadas in unoquoque termino (terminis Paschatis et S. Trinitatis quoad hoc pro uno reputatis) quotidie per horas tres, si a Vice-Cancellario requisitus fuerit, docendo incumbat.

2. Pendat Praeceptori quotannis e Cista Academica Vice-Cancellarius Libras centum et quinquaginta. Pendant enim auditores in unoquoque termino pro universa serie lectionum quinque libras; tres libras autem qui ter in hebdomade adesse velint.

3. Si officium neglexerit, aut contra bonos mores offenderit Praeceptor, a munere suo per Vice-Cancellarium consentientibus Delegatis Appellationum in Congregatione, aut majore parte eorum amoveatur.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die septimo mensis Martii. Promulgatum est idem Statutum die undecimo ejusdem mensis Martii, et in eadem Domo die vicesimo primo mensis Aprilis probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die sexto mensis Maii anno Domini MDCCCLXIV.

ADDENDA. TIT. VI.

Placuit Universitati, Stat. Tit. VI. (IX.) II. § 4. (Add. p. 670.) post verba "locum occupent" hæc verba inserere:

Vice-Cancellarius, Procuratores, et Moderatores in schola Literarum Græcarum et Latinarum eodem tempore schedulam promulgent exhibentem Auctorum, tum Poetarum, tum Oratorum, tum Philosophorum, tum Historicorum nomina, de quibus unum eligere teneantur ii qui secundum provisa Stat. Tit. VI. (IX.) II. § 5. (Add. p. 679), tertium librum coram Moderatoribus adhibere velint.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die decimo octavo mensis Aprilis. Promulgatum est idem Statutum die vicesimo sexto ejusdem mensis Aprilis, et in eadem Domo die sexto mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo octavo ejusdem mensis Maii anno Domini MDCCCLXIV.

Stat. Tit. XV. (XIX.) 14. (p. 211. ed. 1861), verba "Musei Ashmoleani famulo qui nunc est, loco feodorum £130" abrogare:—

Item, ibid. (p. 212) verba,

"In usum Musei in triennium, nec amplius, summam non excedentem	£ 565
In usum Professoris Chemiæ ad ignes et lumina, item in triennium, summam non excedentem	80"

abrogare, et hæc quæ sequuntur, subrogare;

In usum Musei Academici summam non excedentem ...	645
In usum Musei Ashmoleani	130

Pendat etiam Vice-Cancellarius quotannis in quinquennium—

Professori Chemiæ, pro Apparatu Chemico	150
Eidem Professori pro Demonstratore ad Lectiones adhibendo	100
Eidem Professori pro Demonstratore in Chemia Practica	150
Professori Philosophiæ Experimentalis qui nunc est, pro Demonstratore in Physica Practica	120
Professori Zoologiæ Hopeiano, pro Famulo	15

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die secundo mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum die sexto ejusdem mensis Maii, et in eadem Domo die decimo octavo ejusdem mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die tricesimo primo ejusdem mensis Maii anno Domini MDCCCLXIV.

Placuit Universitati, Stat. Tit. IV. 1. § 26. (p. 44. edit. min. 1861.) hæc verba subjungere—

Prælectoris qui nunc est emolumenta ad summam trecentarum librarum, præter feoda, augeantur ex cista Academica, donec ei aliunde provisum fuerit, sub hisce tamen conditionibus, nempe,

1. Prælector quotannis per sex menses in Universitate incolat et commoretur, inter decimum diem Octobris et primum diem Julii sequentis.

2. Prælector principia Scientiæ œconomicæ tractet, fontes opum publicarum designet, historiam tum antiquam tum hodiernam tractet quatenus res gestæ e causis œconomicis oriri habeantur; nec omittat occasionem demonstrandi quomodo leges instituta et facultates nationales quum hujus tum exterarum gentium subvenire vel nocere opibus reipublicæ cujuscunque videantur.

3. Legat Prælector quotannis duas lectionum series in duobus discretis terminis, scilicet per sex septimanas in utroque termino, et bis ad minimum in unaquaque septimana; atque insuper per octo septimanas unius alicujus termini bis ad minimum in qualibet septimana per unius horæ spatium vacet instruendis auditoribus in iis quæ melius sine ulla solennitate tradi possunt; discipulorum profectum quæstionibus statim enucleandis ad examen revocet, et iis exercitationes, si ipsi ita libuerit, domi in scriptis tractandas proponat.

4. Si evenerit ut Prælector ad tempus valetudine impediatur quominus officio suo fungatur, aut si ei necesse fuerit præscripto legendi tempore propter causas urgentes et Vice-Cancellario approbatas extra Universitatem morari, ei Deputatum idoneum et Vice-Cancellario probatum, qui Prælectoris muneribus durante infirmitate aut absentia fungatur, nominare liceat; id quod exigere poterit Vice-Cancellarius, si sponte Prælector in hac parte Statuto non satisfecerit.

5. Si Prælector morbo diuturno, incurabili impotentia, aut debilitate vel animi vel corporis fractus, muneribus suis perficiendis non suffecerit, virum, secundum ea quæ in hoc Statuto decernuntur idoneum, qui Prælectoris muneribus fungatur, Hebdomadali Concilio, rem proponente Vice-Cancellario, nominare liceat.

6. Si quando Deputatus muneribus Prælectoris fungatur, determinet Concilium Hebdomadale quantum ex Prælectoris emolumentis Deputato persolvendum sit.

7. Si quid statuerit Academia de materie numero aut tempore lectionum, de rationibus docendi, et de Auditoribus examinandis, id observet Prælector.

8. Ex auditoribus ne plus exigat mercedis Prælector quam ab Universitate permissum fuerit.

9. Hoc statutum vim et vigorem suum obtineat a primo die Octobris A. D. 1863.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die decimo sexto mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum die vicesimo quarto ejusdem mensis Maii, et in eadem Domo die tricesimo primo ejusdem mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die septimo mensis Junii anno Domini MDCCCLXIV.

Placuit Universitati, Stat. Tit. IV. Sect. 1. § 3. B. (p. 17, Ed. 1861, Add. p. 655) hæc verba subjungere,

Professoris quoque Saviliani Astronomiæ emolumenta ad summam quadringentarum librarum augeantur e cista Academica donec ei aliunde ea summa, præter feoda legitima, annuatim accreverit. Proviso quod Professor Astronomiæ qui nunc est, vel per se, vel per deputatum a Vice-Cancellario approbandum legat quotannis duas lectionum series in duobus discretis terminis, scilicet per sex septimanas in utroque termino, et bis ad minimum in unaquaque septimana; et quotannis præter publicas lectiones per octo unius alicujus termini septimanas bis ad minimum in qualibet septimana, in Hospitio suo, aut in Observatorio juxta Museum Academicum, aut in alio loco propinquo, vacet per unius horæ spatium, instruendis auditoribus ejus, si qui eorum adire velint, in iis quæ melius sine ulla solennitate tradi possunt.

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die decimo sexto mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum die vicesimo quarto ejusdem mensis Maii, et in eadem Domo die tricesimo primo ejusdem mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die septimo mensis Junii anno Domini MDCCCLXIV.

Placuit Universitati,

Stat. Tit. XVI. (XX.) III. § 8. (edit. 1861, p. 222), hæc verba,

"octo diebus visitationem Bibliothecæ immediate præcedentibus"

abrogare et in eorum locum hæc quæ sequuntur subrogare

"Septem diebus a primo die mensis Octobris numerandis;
"Die visitationem Bibliothecæ immediate præcedente."

Item, ibid., § 12. 6, (p. 226), hæc verba

"die Saturni primo in Termino S. Michaelis,"

abrogare et in eorum locum hæc quæ sequuntur subrogare,

"octavo die Novembris (nisi Dominica fuerit, cujus vices dies Saturni proxime
"antecedens compensabit)"

De Statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit Concilium Hebdomadale die vicesimo tertio mensis Maii. Promulgatum est idem Statutum die vicesimo quarto ejusdem mensis Maii, et in eadem Domo die tricesimo primo ejusdem mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die septimo mensis Junii anno Domini MDCCCLXIV.

Placuit Universitati in Stat. Tit. XVII. (XXI.) § 5, (Edit. 1864. p. 242.) Claus. 1. ("*Ad officium......comprobati*") abrogare, et in ejus locum hæc verba subrogare.

Ad officium procuratorum in curiis Universitatis admittendi sunt in posterum viri tres ad minimum, Artium Magistri aut Juris Civilis Baccalaurei, in praxi juris exercitati et arbitrio Vice-Cancellarii comprobati: vel etiam alii, modo vel advocati sint (quos barristerios appellant), vel ex eorum numero qui, attornatorum nomine, apud curias Angliæ principales procuratorum vice funguntur, iidemque arbitrio ac auctoritate Vice-Cancellarii comprobati.

Item, post jurisjurandi formulam, hæc verba adjicere :—

2. Procuratorum si quis in officio suo minus rectè se gesserit, pravis moribus academiam dedecoraverit, vel statutis ad procuratores spectantibus obtemperare recusaverit, Vice-Cancellario liceat ei qui ita deliquerit procuratoris officio interdicere.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die sexto mensis Februarii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die nono ejusdem mensis Februarii, et in eadem domo die decimo septimo ejusdem mensis Februarii probatum ; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo quarto ejusdem mensis Februarii anno Domini MDCCCLXV.

Placuit Universitati,

Stat. Tit. XIII. (XVII.) §. 4. (edit. 1864. p. 194.)

Post verba "Die Mercurii hebdomadem Paschatis proxime sequente" hæc verba inserere :—

. . . vel etiam die Mercurii in ipsa hebdomade Paschali, si a concilio hebdomadali ante finem termini S. Trinitatis proxime antecedentis ita constitutum fuerit, ...

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die vicesimo mensis Februarii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die vicesimo quarto ejusdem mensis Februarii, et in eadem domo die septimo mensis Martii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo sexto ejusdem mensis Martii anno Domini MDCCCLXV.

Statutum de examinatione candidatorum qui non sunt de corpore Universitatis.

Quum sit multifariam petitum ut bonæ spei adolescentes extra academiam literis artibusque humanioribus studentes, examinatione habita, in clientelam Universitatis recipiantur,—

Placuit Universitati hæc quæ sequuntur sancire.

Candidatorum qui non sunt de corpore Universitatis examinatio vel intra academiam, vel, si res ita ferat, etiam alibi, quotannis habeatur duplex; videlicet, seniorum, qui ante diem tricesimum mensis Aprilis immediate præcedentis decimum octavum; juniorum, qui ante diem primum mensis Januarii immediate præcedentis decimum quintum ætatis annum non compleverint.

Fiat examinatio tum in rudimentis fidei et religionis (nisi alicujus parentes vel qui in loco parentis sint conscientiæ causa hanc renuerint); tum in literis Anglicis, in historia, in linguis, in mathematica, in scientiis physicis, et in cæteris artibus quæ ad juventutem liberaliter educandam pertinent. Testimonium accipiat quicunque tum seniorum tum juniorum examinatoribus satisfecerit; titulo etiam Associati in Artibus ex academiæ auctoritate senioribus collato.

Eorum vero, quorum parentes vel qui in loco parentis sint examinationem in rudimentis fidei et religionis renuerint, si quis in Scripturis Sacris solis examen subire voluerit, id ei reputetur: proviso ne quis in rudimentis fidei et religionis examinatoribus satisfecisse habeatur, nisi qui tum in Scripturis Sacris, tum in doctrina et ritibus ecclesiæ Anglicanæ, quæstionibus satis responderit.

Delegati sint præter Vice-Cancellarium et Procuratores duodeviginti, ex iis qui jus intrandi domum Convocationis habent in sexennium ad hoc nominandi, sex a concilio hebdomadali e suo ipsius corpore, sex a Congregatione Universitatis Oxoniensis, sex denique a Vice-Cancellario et Procuratoribus. Terni in singulis trientibus officio suo cedant in termino Michaelis post electionem concilii hebdomadalis triennalem.

Delegatorum sit officium examinatores a domo Convocationis approbandos nominare, necnon tempora, loca, modum examinationum, classium numerum, cæteraque eodem pertinentia speciatim ordinare. Sin examinator aliquis postea munere se abdicaverit, Vice-Cancellarius et Procuratores sua auctoritate alium in ejus locum sufficiant.

Feoda a singulis examinandis exigantur, quanta, e judicio delegatorum, expensis necessariis examinationum sufficiant.

Teneantur delegati ad rationem actorum quotannis Universitati reddendam.

Vim suam obtineat hoc statutum a die primo termini Michaelis A.D. 1865.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die decimo tertio mensis Februarii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die vicesimo tertio ejusdem mensis Februarii, et in eadem domo die septimus mensis Martii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo primo ejusdem mensis Martii anno Domini MDCCCLXV.

Placuit Universitati,

Stat. Tit. V. (VI.) Sect. I. §. 2. 2. [p. 65.]

"Responsionibus autem——Procurator deferri curet."

abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare,

2. Responsionibus autem hisce assignentur terminus Michaelis a die Decembris quinto, terminus Hilarii a die Lunæ quartam Dominicam Quadragesimalem proxime sequente, et terminus Trinitatis a die Lunæ encænia proxime præcedente: dies autem encæniorum sequentis anni ante finem termini Trinitatis a concilio hebdomadali quotannis designetur. Quod si forte initium responsionum in diem festum inciderit, earumdem inchoatio in diem proximum differatur. Et si opus fuerit, liceat magistris scholarum responsiones in unum diem vel etiam in plures differre, assentientibus Vice-Cancellario et Procuratoribus. Qui autem in aliquo horum terminorum responsuri sunt, nomina sua vel per se vel per tutores suos, coram Procuratore juniore profiteantur, in libro penes ipsum asservato et in terminos hosce rite distributo inserenda; hac tamen lege, ne quis serius quam octavo die (ita ut septem dies integri supersint) ante responsiones inchoandas Procuratorem de hac re adeat. Quo etiam tempore teneatur unusquisque candidatus schedulam, nomine suo signatam, rerum et librorum in quibus se responsurum profitetur, Procuratoris in manus tradere. Has vero schedulas ad magistrum scholarum seniorem Procurator deferri curet.

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 2. 1, 2, 3, 4, 5, 6. [pp. 87, 88.]

"Quod ad primam——inter se statuant."

abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare,

1. Quod ad primam examinationem attinet, decem sunto moderatores, qui, ut de uberiore quorundam candidatorum, tum in literis Græcis et Latinis, tum in disciplinis mathematicis, profectu exactior fiat perscrutatio, in duas tandem scholas distribuendi sunt; septem, scilicet, in scholam literarum Græcarum et Latinarum, tres itidem in scholam disciplinarum mathematicarum. Moderatores autem qui in schola literarum Græcarum et Latinarum versentur ex duobus ordinibus constent; ita ut quatuor ad eos qui aliquem honorem, tres ad eos qui nullum honorem ambiant examinandos designentur.

2. Omnes moderatores sint ex eorum numero qui vel aliquando in Artibus inceperint, vel Baccalaureatu saltem in Jure Civili aut in Medicina insigniti fuerint. A Vice-Cancellario et utroque Procuratore, ex ipsorum consensu, nominentur; ita ut prima nominatio sit penes Vice-Cancellarium, secunda penes Procuratorem seniorem, tertia penes Procuratorem juniorem; et hic ordo nominationum in perpetuum servetur.

3. Et ut omnia in hoc negotio cautius fiant et integrius, in Congregatione primum, post justam monitionem, moderatorum nomina singillatim suffragiis regentium permittantur; et inde, post septem dies, in frequenti Convocatione eodem modo a domo approbanda demum, seu improbanda, proponantur. Moderatorum autem ita fiat designatio, ut duo moderatores ex eodem collegio vel aula nunquam in eodem ordine scholæ literarum Græcarum et Latinarum vel in schola disciplinarum mathematicarum simul existant.

4. Ex hisce moderatoribus officio suo cedant quotannis quum in utroque scholæ literarum Græcarum et Latinarum ordine, tum in schola disciplinarum mathematicarum, alternatim vel unus vel duo, prout res exegerit, ii nempe qui priores ad officium suum nominati fuerint; ita ut cuique moderatori post exactum biennium officii sui sit terminus. Subrogentur autem in eorum locum tot alii quot ad justum numerum explendum sufficiant, ab iisdem viris, modo et ordine supra definitis, nominandi, et sub forma etiam supra definita a venerabili domo Convocationis pariter et Congregationis approbandi.

5. Cautum etiam sit ut nemo, qui moderatoris officio per biennium integrum functus fuerit, eodem officio in eodem ordine scholæ literarum Græcarum et Latinarum vel in schola disciplinarum mathematicarum, nisi post annum elapsum, iterum fungatur.

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 3. 1, 2. [pp. 88, 89.]

" Examinationibus coram——de his rebus adeat."

abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare,

1. Examinationibus coram moderatoribus habendis assignentur terminus Michaelis et terminus Paschatis vel S. Trinitatis. Termino autem Michaelis, vicesimo primo die mensis Novembris; et termino Paschatis vel S. Trinitatis, die Veneris in septimana tertia ante encænia, ut supra (Tit. V. (VI.) I. §. 2. 2.) provisum est designanda, inchoentur. Quod si forte initium alicujus examinationis in Dominicam vel in diem alium aliquem festum inciderit, inchoatio ejusdem in diem proximum differatur. Quod ad has examinationes habendas attinet, terminus Paschatis et terminus Trinitatis pro uno termino reputentur.

2. Qui autem examen subituri sunt, nomina sua vel per se vel per tutores suos coram Procuratore juniore profiteantur, in libro penes Procuratorem juniorem asservato, et in terminos hosce rite distributo, inserenda: quo etiam tempore teneatur candidatus unusquisque schedulam, nomine suo signatam, rerum et librorum in quibus sese examinandum profitetur, in Procuratoris manus tradere. Hoc fiat, termino Paschatis vel S. Trinitatis diebus Jovis et Veneris in septimana quarta ante encænia; termino autem Michaelis, diebus Novembris decimo tertio et decimo quarto, ita tamen ut, si alteruter horum dierum in diem Dominicam inciderit, professio nominum in diem proximum differatur.

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 4. 4. [p. 92.]

" Proviso etiam——observare teneatur."

abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare,

Proviso etiam ut si quis candidatus moderatoribus non satisfecerit, ei liceat eosdem libros denuo adhibere, etiamsi in schedula librorum isto anno promulgata non inclusi fuerint.

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 4. 7. [p. 92.]
" Examinationibus habendis——certiorem fecerint."
abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare,

7. Examinationibus habendis Vice-Cancellarius et Procuratores duas e scholis publicis vel alia et plura loca, si opus fuerit, assignent. De qua re academiam triduo ante certiorem faciant moderatores.

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 4. 9. [p. 93.]
" Terminis autem Michaelis——continuam operam impendant."
abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare,

9. Terminis autem Michaelis et Paschatis, diebus supra præscriptis, in scholas publicas se conferant moderatores, ut ordinem examinationis inter se constituant. Ex his ii quorum sit candidatos in schola literarum Græcarum et Latinarum examinare, quatuor in una schola, tres in altera de die in diem examinationi continuam operam impendant.

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 4. 10, 11. [p. 93.]
" Inter examinandum——veniam sibi impetraverit."
abrogare.

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 4. 12. [p. 93.]
" Ad examen subeundum ordine priores citentur ii, qui sese in schola mathematicæ examinandos sistere velint;"
abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare,

12. Ad examen subeundum in utroque ordine priores citentur ii, qui sese in disciplinis mathematicis examinandos sistere velint;

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 4. 15. [p. 94.]
" Et ut hæc examinationis pars——intersit et invigilet."
abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare,

15. Et ut hæc examinationis pars cautius et integrius peragatur, quæstiones istæ et res, quæcunque in scriptis tractandæ candidatis proponantur, omnium et singulorum moderatorum qui huic examinationis parti præsint, si commode fieri poterit, judicio subjiciantur et approbentur. Quinetiam si propter loci angustias vel quamcunque ob causam expedire videatur, candidati ad scribendum in aliam scholam seorsim transferantur, vel, si res aliter effici nequeat, in cæteris examinatio aliquantum intermittatur. Candidatis vero inter scribendum unus saltem e quatuor moderatoribus semper intersit et invigilet.

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 4. 17. [p. 95.]
hæc verba abrogare, "*Ita testamur——Latinarum schola.*"
et hæc verba subrogare,

Ita testamur { *I. K.* / *C. D.* / *L. M.* } *Moderatores in literarum Græcarum et Latinarum schola.*

Eorum autem testimonio qui sese in algebraica examinandos stiterint nomina etiam apponant duo illi moderatores mathematici qui examinationi eorum interfuerint.

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 4. 18. [p. 95.]
"liceat tamen illi in proxima examinatione candidatum se iterum profiteri."
abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare,
liceat tamen illi in examinatione aliqua sequente candidatum se iterum profiteri.

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 4. 19. [p. 96.]
hæc verba abrogare,
"in literis Græcis et Latinis senior"
et in eorum loco subrogare,
utriusque ordinis senior in schola literarum Græcarum et Latinarum

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 4. 20. [p. 96.]
"Moderatores in schola mathematicæ——habendæ constituant."
abrogare, et in eorum loco subrogare,

20. Examinatio eorum qui in disciplinis mathematicis honores ambiant inchoetur in termino S. Trinitatis postridie encæniorum, in termino Michaelis die Decembris decimo sexto; at si forte initium examinationis in Dominicam vel in alium aliquem diem festum inciderit, inchoatio ejusdem in diem proximum differatur.

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 4. 21. [p. 96.]
hæc verba abrogare,
"et post finitam uniuscujusque diei examinationem de illorum meritis privatim inter se judicium ferant."

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 4. 26. [p. 97.]
"Peracta demum——præscribenda, redigant."
abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare,

26. Peracta demum in quaque schola examinatione, moderatores in ista schola eo ipso die, si fieri poterit, sin minus, postridie, candidatorum nomina in schedulam quandam, forma infra præscribenda, redigant.

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 4. 28. [p. 98.]

Post nomina eorum qui "Moderatoribus se commendaverunt" nomina Moderatorum abrogare, et ad calcem totius schedulæ hanc formulam subjicere:

A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O.	Moderatores in literarum Græcarum et Latinarum schola.	A. B. C. D. E. F.	Moderatores in disciplinarum mathematicarum schola.

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 5. 2. [p. 101.]

post verba

"in cæteris scholis deferri curet,"

inserere verba

registro in scholis asservandam.

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 5. 3. [p. 101.]

"Statuimus etiam——Vice-Cancellario probetur."

abrogare, et in eorum loco subrogare,

3. Si quis in rudimentis fidei et religionis examinatoribus satisfecerit et omnia quæ ad gradum B. A. pertinent compleverit, nec tamen in literis humanioribus se examinandum stiterit, ei liceat in hac schola honores postea ambire, ita ut in rudimentis fidei et religionis non denuo examinetur.

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 6. 1, 2, 3, 4. [pp. 102, 103.]

"Examinatores publici sunto——examinatores inter se statuant."

abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare,

1. Examinatores publici sunto sedecim; quorum septem in schola literarum humaniorum, tres in schola scientiarum mathematicarum et physicarum, tres itidem in schola scientiæ naturalis, tres denique in schola jurisprudentiæ et historiæ modernæ examinationibus impendant operam. Examinatores autem qui in schola literarum humaniorum versentur ex duobus constent ordinibus, ita ut quatuor ad eos qui aliquem honorem, tres ad eos qui nullum honorem ambiant, examinandos designentur.

2. Examinatores omnes a Vice-Cancellario et utroque Procuratore nominentur; ita ut prima nominatio in unaquaque schola sit penes Vice-Cancellarium, secunda penes Procuratorem seniorem, tertia penes Procuratorem juniorem; et hic ordo nominationum in perpetuum servetur. Examinatorum autem designatio ita fiat, ut duo examinatores ex eodem collegio vel aula in eadem schola vel in eodem scholæ literarum humaniorum ordine nunquam simul existant. Omnes vero ex ipsorum consensu nominentur, et sint ex illorum numero qui vel aliquando inceperint in Artibus, vel Baccalaureatu saltem in Jure Civili aut in

Medicina insigniti fuerint. Omnium nomina venerabili domui Convocationis, pariter ac Congregationis, modo et forma in ea parte hujusce statuti quæ ad moderatorum designationem pertinet præscriptis, significentur, et approbanda seu improbanda proponantur.

3. Ex hisce examinatoribus officio suo cedant quotannis quum in utroque scholæ literarum humaniorum ordine, tum in ceteris scholis alternatim vel unus vel duo, prout res exegerit, ii nempe qui primi ad officium suum nominati fuerint; ita ut examinatori cuique post exactum biennium officii sui sit terminus. Subrogentur autem, in eorum locum tot alii quot ad justum numerum explendum sufficiant, ab iisdem viris modo et ordine supra definitis nominandi, et sub forma etiam supra definita a venerabili domo Convocationis pariter ac Congregationis approbandi. Nemo autem qui examinatoris officio per biennium functus fuerit in scholis scientiarum mathematicarum et physicarum, et scientiæ naturalis, et jurisprudentiæ et historiæ modernæ, nisi post unam examinationem peractam; et in eodem ordine scholæ literarum humaniorum nisi post unum annum elapsum, eodem officio in eadem schola iterum fungatur.

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 7. 1, 2. [pp. 103, 104.]
"Examinationibus habendis assignentur——scientiæ naturalis habendam interjiciantur."

abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare,

1. Examinationibus habendis assignentur terminus Michaelis et terminus Paschatis vel S. Trinitatis. In termino Michaelis examinationes in literis humanioribus die vicesima primo mensis Novembris; et in termino Paschatis vel S. Trinitatis die Veneris in septimana tertia ante encænia, ut supra provisum est (Tit. V. (VI.) I. §. 2. 2.) designanda, incipiant; at si forte initium alicujus examinationis in Dominicam vel in alium aliquem diem festum inciderit, inchoatio ejusdem in diem proximum differatur. Quod ad has examinationes habendas attinet, terminus Paschatis et terminus Trinitatis pro uno termino reputentur.

2. Qui autem in alterutro horum terminorum in quacunque schola examen subituri sunt, nomina sua vel per se vel per tutores suos coram Procuratore seniore profiteantur, in libro penes Procuratorem seniorem asservato et in terminos hosce rite distributo inserenda. Hoc fiat, in termino Paschatis vel S. Trinitatis diebus Jovis et Veneris in septimana quarta ante encænia habenda; in termino autem Michaelis diebus decimo tertio et decimo quarto Novembris, ita tamen ut, si alteruter horum dierum in Dominicam inciderit, professio nominum in diem proximum differatur.

Ibidem in clausula 3 [p. 104.] post verba
"examen subire"

hæc verba inserere,

Quod si cuivis in duas scholas descendere opus sit, ei liceat in scholis scientiæ naturalis vel scientiarum mathematicarum et physicarum vel jurisprudentiæ et historiæ modernæ examen subire in quovis termino postquam moderatoribus satisfecerit.

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 8. 6. [p. 106.]

post verba

" semper examinetur."

hæc verba inserere,

Hac autem in materie primum examinentur ii qui non nisi in rudimentis fidei et religionis sese examinandos stiterint. Examen fiat per septem examinatores scholis literarum humaniorum præfectos, qui in hunc finem se, prout inter ipsos convenerit, in duas scholas distribuant.

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 8. 8. [p. 107.]

" Proviso etiam ut nemo eorum qui ante terminum S. Michaelis, A. D. 1864, se examinandos stiterint, prædictam schedulam observare teneatur."

abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare,

Proviso etiam ut si quis candidatus examinatoribus non satisfecerit, ei liceat eosdem libros denuo adhibere, etiamsi schedula librorum isto in anno promulgata non inclusi fuerint.

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 8. 11. [p. 108.]

" Examinationibus habendis ——ante certiorem fecerint."

abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare,

11. Examinationibus habendis Vice-Cancellarius et Procuratores loca vel in scholis publicis vel alibi, si opus fuerit, assignent. De qua re academiam triduo ante certiorem faciant examinatores.

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 8. 12. [p. 108.]

post verba

" a Procuratore acceperit, protinus"

abrogare verbum,

" tres"

et in ejus locum subrogare verbum,

sex

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 8. 13. [p. 108.]

" Terminis autem Michaelis——in schola Musicæ,"

abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare,

13. Terminis autem Michaelis et Paschatis vel S. Trinitatis, diebus supra præscriptis, in scholas publicas se conferant septem illi examinatores, atque ibi quatuor in una schola, tres in altera,

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 8. 14. [p. 108.]

" Peracta demum eorum examinatione——veniam sibi impetraverit."

abrogare.

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 8. 16. [p. 109.]
"Statim post confectam——*in scientia naturali.*"

abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare,

16. Statim post confectam in literis humanioribus examinationem eorum qui in scholas vel scientiæ naturalis vel scientiarum mathematicarum et physicarum, vel jurisprudentiæ et historiæ modernæ descendere velint, illorum omnium nomina qui, in istis scholis examinandi, examinatoribus sive in literis humanioribus sive tantummodo in rudimentis fidei et religionis satisfecerint, in tres novas schedulas referantur. Quas quidem schedulas examinator in literis humanioribus senior manu sua signatas ad examinatorem in unaquaque istarum scholarum seniorem deferri curet. Hos autem titulos prae se ferant schedulæ: I. *Nomina examinandorum in scientia naturali.* II. *Nomina examinandorum in scientiis mathematicis et physicis.* III. *Nomina examinandorum in jurisprudentia et historia moderna.*

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 8. 17. [p. 109.]
"Quod autem ad illos——prout rei ratio postulabit."

abrogare.

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 8. 18. [p. 109.]

post verba

"in hac scientia"

abrogare verba,

"intra dies octo habendæ"

et in eorum locum hæc subrogare,

habendæ intra dies quatuordecim ab examinatione in literis humanioribus incepta numerandos

necnon post verba, "*Examinatores in scientia naturali,*" hæc verba addere,

Ii priores ordine citentur qui honores ambiant.

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 8. 22. [p. 110.]

post verba

"mathematicis et physicis"

hæc verba abrogare,

"intra dies quindecim habendæ"

et in eorum locum hæc subrogare,

habendæ intra dies quatuordecim ab examinatione in literis humanioribus incepta numerandos

Item, [p. 110.]

post verba

"opus aggrediantur."

hæc verba addere,

Ii priores ordine citentur qui nullum honorem ambiant.

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 8. 25. [p. 110.]
post verba
"literis habendæ intra dies"
hoc verbum abrogare,
"viginti"
et in ejus locum hæc verba subrogare,
quatuordecim ab examinatione in literis humanioribus incepta numerandos

Item, [p. 110.]
post verba
"examinationum initium faciant."
hæc verba addere,
Ii priores ordine citentur qui honores ambiant.

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 8. 28. [p. 111.]
hæc verba abrogare,
"Inter examinandum vero——omnino sibi vindicet."
et in eorum locum hæc subrogare,
Si quacunque de causa examinationes in literis humanioribus eorum qui in aliam quamvis scholam descensuri sunt dies quatuordecim excesserint, liceat examinatoribus in ceteris scholis examinationes in unum diem vel etiam in plures differre.

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 8. 29. [p. 111.]
abrogare verba
"In unaquaque harum trium scholarum,"
et in eorum locum hæc subrogare,
In his scholis,

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 8. 31. [p. 112.]
hæc verba abrogare,
[A. B. [*die mensis et anni*]——historia moderna.]
et verba sequentia subrogare,
A.B. [die mensis et anni] *prout statuta requirunt examinatus satisfecit nobis examinatoribus.*

Ita testamur

C. D.
E. F.
I. K.

{ *Examinatores in literis humanioribus.*
vel
———— *in scientiis mathematicis et physicis.*
vel
———— *in scientia naturali.*
vel
———— *in jurisprudentia et historia moderna.*

c

Nemo eorum qui examinatoribus in literis humanioribus non satisfecerint, si in alia aliqua schola honores ambiat, in ea schola testimonium accipiat, nisi cujus nomen in schedulas eorum qui examinatoribus in rudimentis fidei et religionis in eodem termino vel saltem intra quatuor terminos proxime antecedentes satisfecerint relatum fuerit.

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 8. 40. [p. 114.]

post verba

"infra præscribenda redigant."

hæc verba adjicere,

Sub idem tempus in manus clerici Universitatis testimonia tradant, chirographo suo munita, quibus significetur quem quisque candidatus locum in ordine classium attigerit, modo ne sit infra tertiam classem positus. Clerico autem, quum hoc cuique testimonium dederit, unus solidus ab eo qui id acceperit solvatur.

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 8. 48. [p. 116.]

Nomina examinatorum post quartam classem in singulis scholis abrogare, et ad calcem totius schedulæ hanc formulam subjicere:

A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O.	Examinatores in literis humanioribus.	A. B. C. D. E. F.	Examinatores in scientiis mathematicis et physicis.	A. B. C. D. E. F.	Examinatores in scientia naturali.	A. B. C. D. E. F.	Examinatores in jurisprudentia et historia moderna.

Item, Stat. Tit. XV. (XIX.) 2. (p. 211.)

hæc verba

"Examinandus——Pro quavis alia schola 10*s.* 0*d.*"

abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare,

Examinandus

	£	*s.*	*d.*
In secunda examinatione publica,—			
pro quavis schola, si moderatoribus in tribus libris satisfecerit et in ea schola honores ambiat, (ita ut, si in alia schola honores ambiat, nullum præterea feodum solvere teneatur)	1	11	0
pro schola literarum humaniorum, si honores non ambiat,	1	1	0
pro quavis alia schola	0	10	0

Item, Stat. Tit. XV. (XIX.) 14. [p. 215.]

hæc verba

—moderatori in schola literarum Græcarum et Latinarum——examinatori in quavis alia schola £50 0s. 0d."

abrogare et hæc quæ sequuntur subrogare,

	£	s.	d.
——moderatori in schola literarum Græcarum et Latinarum,—			
si eos qui honorem aliquem ambiant examinaverit, ...	80	0	0
si eos qui nullum, ...	60	0	0
————in schola disciplinarum mathematicarum	50	0	0
——examinatori in schola literarum humaniorum,—			
si eos qui honorem aliquem ambiant examinaverit,......	80	0	0
si eos qui nullum, ...	60	0	0
————in schola scientiarum mathematicarum et in schola jurisprudentiæ etc.	70	0	0
————in schola scientiæ naturalis	50	0	0

Statutum hocce vim et vigorem suum non obtineat ante terminum Michaelis A.D. 1865.

De statutis his rogandis, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die sexto mensis Martii; promulgata sunt eadem statuta in domo Congregationis die nono ejusdem mensis Martii, et in eadem domo die decimo sexto ejusdem mensis Martii probata; tandem in Convocatione publicata et confirmata die vicesimo quarto ejusdem mensis Martii anno Domini MDCCCLXV.

Stat. IV. 1. § 35. *De professore chemiæ Waynfletiano.*

Quoniam e proventibus collegii Magdalenensis in Universitate Oxoniensi professio chemiæ fundata sit, aliis auctoritate regia legibus sancitis, aliis ab Universitate postea ferendis ;—

Placuit academiæ hæc sancire—

1. Professor chemiam tum theoreticam tum practicam tractet.

2. Legat professor quotannis duas lectionum series in duobus discretis terminis, scilicet per sex septimanas in utroque termino, et bis ad minimum in unaquaque septimana: atque insuper per octo septimanas unius alicujus termini bis ad minimum in unaquaque septimana, vel semel ad minimum in unaquaque septimana in duobus discretis terminis, per unius horæ spatium vacet instruendis auditoribus in iis quæ melius sine ulla solennitate tradi possunt: discipulorum profectum quæstionibus statim enucleandis ad examen revocet; et iis exercitationes, si ipsi ita libuerit, domi in scriptis tractandas proponat.

Ex auditoribus ne plus exigat mercedis quam ab Universitate permissum est.

Unam porro ad minimum lectionem quotannis publice habeat, ab academicis quibuscunque sine mercede audiendam.

3. Si evenerit ut professor ad tempus valetudine impediatur, quominus officio suo fungatur, aut si ei necesse fuerit præscripto legendi tempore propter causas urgentes et Vice-Cancellario probatas extra Universitatem morari, ei deputatum idoneum et Vice-Cancellario probatum, qui professoris muneribus durante infirmitate aut absentia fungatur, nominare liceat; id quod exigere poterit Vice-Cancellarius, si sponte professor in hac parte statuto non satisfecerit.

4. Si professor senio, morbo diuturno, incurabili impotentia, aut debilitate vel animi vel corporis fractus, suæ professioni perficiendæ non suffecerit, virum secundum ea quæ in hoc statuto decernuntur idoneum, qui professoris muneribus fungatur, iis quibus professorem ipsum eligendi cura delegata est, rem proponente Vice-Cancellario, nominare liceat.

5. Si quando deputatus nominatus sit, determinent Vice-Cancellarius et Procuratores quantum ex professoris emolumentis deputato persolvendum sit.

6. Si quid statuerit academia de materie, numero aut tempore lectionum, de rationibus docendi, et de auditoribus examinandis, id observet quicumque tum erit professor.

7. Ne alia quapiam professione eodem tempore fungatur professor, nec officium prælectoris alicujus in quovis collegio publice legentis cum munere suo conjungat.

8. Quod ad hoc statutum pertinet, terminus Paschatis et terminus S. Trinitatis pro uno termino reputentur.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die decimo quinto mensis Maii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die vicesimo sexto ejusdem mensis Maii, et in eadem domo die septimo mensis Junii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo secundo ejusdem mensis Junii anno Domini MDCCCLXV.

Placuit Universitati:—

Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 2. (Add. p. 704.) post verba "iterum fungatur" hæc verba adjicere:

Attamen donec eo res processerit ut moderatores suo quisque ordine vicissim cedant, juniorum erit loco cedere, nisi aliter moderatores inter se statuant.

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 4. 9. (Add. p. 705.) verba "Qui superest moderator............ad examen subeundum citent" abrogare.

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. II. §. 6. (Add. p. 708.) post verba "iterum fungatur" hæc verba adjicere:

Attamen donec eo res processerit ut examinatores suo quisque ordine vicissim cedant, juniorum erit loco cedere, nisi aliter examinatores inter se statuant.

Item, Stat. Tit. XV. (XIX.) I. Add. p. 517. (p. 210. ed. 1864.) "£2 8*s.* 0*d.*" abrogare et "£2 10*s.* 0*d.*" subrogare.

De statutis his rogandis, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die vicesimo nono mensis Maii. Promulgata sunt eadem statuta in domo Congregationis die septimo mensis Junii, et in eadem domo die duodecimo ejusdem mensis Junii probata; tandem in Convocatione publicata et confirmata die vicesimo secundo ejusdem mensis Junii anno Domini MDCCCLXV.

Placuit Universitati:

Stat. Tit. XVI. (XX.) VI. §. 7. (edit. 1864. p. 238.) post verba "centum et quinquaginta," hæc verba inserere:—

Examinatori unicuique, examinatione habita, decem libræ.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die decimo quinto mensis Maii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die vicesimo secundo ejusdem mensis Maii, et in eadem domo die septimo mensis Junii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo secundo ejusdem mensis Junii anno Domini MDCCCLXV.

Placuit Universitati, Stat. Tit. XV. (XIX.) 2. p. 211.

Hæc verba "In secunda examinatione................................ ....pro quavis alia schola 10*s.* 0*d.*" abrogare; et quæ sequuntur subrogare:—

	£	s.	d.
In prima examinatione publica	1	1	0
In secunda examinatione publica pro schola literarum humaniorum	1	1	0
Item, pro quavis alia schola, vel si honores in literis humanioribus ambiat	0	10	0

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die vicesimo tertio mensis Octobris. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die vicesimo septimo ejusdem mensis Octobris, et in eadem domo die tertio mensis Novembris probatum; tandem in Convocatione die decimo ejusdem mensis Novembris publicatum et confirmatum anno Domini MDCCCLXV.

Placuit Universitati, Stat. Tit. IV. iv. § 3, 5. p. 60.

Verba 'quique terminum a matriculatione sua undevicesimum compleverit, nec terminum vicesimum septimum excesserit'—

abrogare, et verba quæ sequuntur subrogare,

'Nec terminum a matriculatione sua vicesimum septimum excesserit.'

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die vicesimo tertio mensis Octobris. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die decimo quarto mensis Novembris, et in eadem domo die vicesimo quarto ejusdem mensis Novembris probatum; tandem in Convocatione die primo mensis Decembris publicatum et confirmatum anno Domini MDCCCLXV.

Placuit Universitati: Stat. Tit. V. (VI.) IV. § 1. 1, 2. p. 72.

hæc verba abrogare,
"Statutum est ut qui ad Baccalaureatum . . . . Baccalaureatus ambire,"
et subrogare,
Unicuique liceat gradum Baccalaureatus in Jure Civili ambire termino a matriculatione vicesimo septimo,
et post verba ad finem,
"gradum ambire."
hæc verba inserere,
Qui gradum Magistri in Artibus consecutus fuerit non alio, quam quo cæteri, in hac re, jure utatur.

Item, Stat. Tit. V. (VI.) IV. § 4. 1. p. 75.

hæc verba abrogare,
"si postquam . . . . susceperit,"
et subrogare
quinque pro "quatuor."
et subrogare
Baccalaurei in Jure Civili pro "prædictum,"
hæc verba abrogare,
"2. Alioqui si Baccalaureus . . . . incipere ei permittatur."

Item, Stat. Tit. VI. (IX.) IV. § 1. 5. p. 126.

Pro Gradu Baccalaurei in Jure Civili.

hæc verba abrogare,
"Artium e Collegio . . . . posuerit."
et subrogare
Artium (*vel* Baccalaureo in Artibus, *vel* Studioso in facultate Juris) e collegio (*vel* aula) C. D. quatenus
post verbum
"præstiterit"
hoc verbum addere
omnia
hæc verba abrogare,
"*Si non inceperit* . . . . . . data huic Universitati."
post verbum
"*Si*"
abrogare verba
"*non inceperit in Artibus, et*"

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die vicesimo septimo mensis Novembris. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die primo mensis Decembris, et in eadem domo die septimo ejusdem mensis Decembris probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo quinto ejusdem mensis Decembris anno Domini MDCCCLXV.

Placuit Universitati:

Stat. Tit. IV. Sect. I. § 22. abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare.

§ 22. *De professore philosophiæ experimentalis.*

1. Professor philosophiæ experimentalis eligatur a Vice-Cancellario, collegii Wadhami gardiano, professore Sedleiano, professore chemiæ Waynfletiano, et professore astronomiæ Saviliano; et, si forte contigerit ut gardianus collegii Wadhami sit Vice-Cancellarius, jus suffragii in electione habeat Vice-Cancellarii deputatus senior.

2. Professor, præter summam triginta librarum in ejus usum a Nathaniele barone Crewe episcopo Dunelmensi legatam, et summam centum librarum, secundum stat. tit. IV. sect. III. pendendam, libras etiam centum et septuaginta e cista academica quotannis percipiat.

3. Professor quotannis per sex menses in Universitate incolat et commoretur, inter decimum diem Octobris et primum diem Julii sequentis.

4. Physicæ experimentalis quasque partes tractet professor: nempe mechanicam, pneumaticam, opticam, thermoticam, electricam et magneticam; et quasvis alias partes physicæ quæ per experimenta commode illustrentur.

5. Legat professor quotannis duas lectionum series in duobus discretis terminis, scilicet per sex septimanas in utroque termino, et bis ad minimum in unaquaque septimana; atque insuper per octo septimanas unius alicujus termini bis ad minimum in qualibet septimana per unius horæ spatium vacet instruendis auditoribus in iis quæ melius sine ulla solennitate tradi possunt; discipulorum profectum quæstionibus statim enucleandis ad examen revocet, et iis exercitationes, si ipsi ita libuerit, domi in scriptis tractandas proponat.

6. Quod si professor insigniter negligens in officio suo, vel notabiliter insufficiens fuerit, vel si pravis moribus academiam dedecoraverit, vel si statutis ad ipsum spectantibus morem gerere recusaverit, Vice-Cancellario rem proponente, prius conventus, auditus (si ipsi libuerit), et convictus, admoneatur, vel etiam, si aliter malo occurri non possit, a munere suo moveatur per Vice-Cancellarium et delegatos appellationum in Congregatione, aut majorem partem eorum.

7. Si evenerit ut professor ad tempus valetudine impediatur quominus officio suo fungatur, aut si ei necesse fuerit præscripto legendi tempore propter causas urgentes et Vice-Cancellario approbatas extra Universitatem morari, ei deputatum idoneum et Vice-Cancellario probatum, qui professoris muneribus durante infirmitate aut absentia fungatur, nominare liceat; id quod exigere poterit Vice-Cancellarius, si sponte professor in hac parte statuto non satisfecerit.

8. Si professor senio, morbo diuturno, incurabili impotentia, aut debilitate vel animi vel corporis fractus, suæ professioni perficiendæ non suffecerit, virum, secundum ea quæ in hoc statuto decernuntur idoneum, qui professoris muneribus fungatur, hebdomadali concilio, rem proponente Vice-Cancellario, nominare liceat.

9. Si quando deputatus muneribus professoris fungatur determinet concilium hebdomadale quantum ex professoris emolumentis deputato persolvendum sit.

10. Ne alia quapiam professione eodem tempore fungatur professor, nec munus observatoris Radcliffiani, nec officium prælectoris alicujus in quovis collegio publice legentis cum munere suo conjungat.

11. Si quid statuerit academia de materie, numero aut tempore lectionum, de rationibus docendi, et de auditoribus examinandis, id observet quicunque tum erit professor.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die undevicesimo mensis Februarii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die vicesimo septimo ejusdem mensis Februarii, et in eadem domo die octavo mensis Martii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo sexto ejus mensis Martii anno Domini MDCCCLXVI.

Placuit Universitati professionem Chemiæ a Georgio Aldrich M. D. institutam supprimere et abolere; emolumenta autem quibus hodie dotatur, nempe summam centum viginti novem librarum et decem solidorum e pecuniis a fundatore ipso legatis provenientem, et summam centum librarum e cista Universitatis secundum stat. tit. IV. sect. III. pendendam, in apparatum chemicum, vel in demonstratoris vel demonstratorum stipendium, prout delegatis musei academici visum fuerit, nomine Doctoris Aldrich semper conservato, erogare.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die quinto mensis Martii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die octavo ejusdem mensis Martii, et in eadem domo die decimo sexto ejusdem mensis Martii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo tertio ejusdem mensis Martii anno Domini MDCCCLXVI.

Placuit Universitati hæc sancire:

Quoniam per cap. 26, par. 3 et 4, legis A.D. 1862, Victoriæ Reginæ 25° et 26°, latæ, licuerit Universitati post professionem chemiæ e proventibus collegii Magdalenensis constitutam professionem chemiæ Aldrichianam supprimere et abolere;—ea tamen lege ut professionis Aldrichianæ tali modo supprimendæ emolumenta in studium chemiæ in Universitate Oxoniensi promovendum, sive apparatu chemico coëmendo, sive demonstratoribus remunerandis, sive alio modo aliquo ab Universitate decernendo, erogentur,—

Placuit Universitati stat. tit. IV. sect. I. § 21, "*De prælectore chemiæ*" etc., abrogare.

Item, stat. tit. IV. sect. III. § 1. par. 2. verba "prælectori chemiæ per Georgium Aldrich M.D. instituto summa unius et septuaginta librarum, decem solidorum; unicuique" abrogare, et verbum "utrique" subrogare.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die quinto mensis Martii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die octavo ejusdem mensis Martii, et in eadem domo die decimo sexto ejusdem mensis Martii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo tertio ejusdem mensis Martii anno Domini MDCCCLXVI.

Placuit Universitati. Stat. Tit. XV. (XIX.) par. 14. [p. 216. ed. 1864.]

	£	s.	d.
"Æditui, seu clerico Universitatis	120	0	0"
abrogare, et			
Æditui, seu clerico Universitatis	150	0	0
subrogare.			

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die quinto mensis Martii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die decimo tertio ejusdem mensis Martii, et in eadem domo die decimo sexto ejusdem mensis Martii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo tertio ejusdem mensis Martii anno Domini MDCCCLXVI.

Placuit Universitati:

Stat. Tit. XIII. (XVII.) Sect. VII. *De publico Universitatis oratore*, par. 1. [p. 199, ed. 1864] "Quotiescunque——procedat" abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare.

Orator publicus a venerabili domo Convocationis eligatur ex eorum numero qui jus intrandi eandem domum habent.

Item, ibid. par. 3. post verba "accommodatas habere" hæc quæ sequuntur addere.

Admittendos sive per decretum sive honoris causa ad gradum Magistri in Artibus in domo Convocationis justa cum laudatione præsentare. Præmia a benefactoribus nonnullis proposita, scilicet, juventuti academicæ quotannis tria ab honoratissimo domino Cancellario, atque unum ex legato viri spectatissimi Rogeri Newdigate baronetti, senioribus autem unum tertio quoque anno e pecuniis A. D. 1848 celato nomine munificentissime collatis, et si quæ alia similia his adjicere Universitati posthac placuerit, una cum collegis adjudicare.

Item, ibid. par. 4. "Orator——substituendus" abrogare.

Item, Stat. Tit. XV. (XIX.) par. 14. [p. 215] post verba "Oratori publico" abrogare "76*l.* 13*s.* 4*d.*" et subrogare "130*l.* 0*s.* 0*d.*"

Item, ibid. [p. 217] post verba "præsentatori pro unaquaque præsentatione" verba "Ad gradum honoris causa" abrogare, et verba "Ad gradum Doctoris in qualibet facultate honoris causa" subrogare.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die quinto mensis Martii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die decimo tertio ejusdem mensis Martii, et in eadem domo die decimo sexto ejusdem mensis Martii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo tertio ejusdem mensis Martii anno Domini MDCCCLXVI.

Placuit Universitati: Stat. Tit. XIX. Sect. XI. [p. 279. ed. 1864.] subjicere—

Quamdiu ex munificentia Cancellarii præmia orationibus carminibusque Latine scriptis orationibusque Anglice scriptis proposita fuerint, placuit Universitati hosce qui sequuntur examinatores deputare, qui de his orationibus carminibusque, necnon de carminibus Anglice scriptis quibus præmium viri spectatissimi Rogeri Newdigate baronetti propositum est, judicent; scilicet oratorem publicum, et tres alios, ex iis qui jus intrandi in domum Convocationis habent a Vice-Cancellario et utroque Procuratore quotannis designandos; quibus accedat professor linguæ et literarum Latinarum, qui de orationibus carminibusque Latine scriptis judicet, necnon prælector poeticæ qui de orationibus carminibusque Anglice scriptis judicet. Nolumus examinatorem de candidati cujusvis scriptis suffragium vel judicium suum ferre, nisi examinationi operam impigram impenderit, et deliberationibus examinatorum inter se affuerit.

	£	s.	d.
Item, Stat. Tit. XV. (XIX.) par. 14. post verba, "mathematicas promovendas	10	10	0"
inserere,			
—— a Vice-Cancellario et utroque Procuratore examinandis orationibus carminibusque eorum qui præmia Cancellarii sive viri spectatissimi Rogeri Newdigate baronetti ambiant quotannis designando	10	10	0
Examinatori a Vice-Cancellario examinandis orationibus carminibusque eorum qui præmia Gaisfordiana ambiant quotannis desiguando ...	10	10	0

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die quinto mensis Martii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die decimo tertio ejusdem mensis Martii, et in eadem domo die decimo sexto ejusdem mensis Martii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo tertio ejusdem mensis Martii anno Domini MDCCCLXVI.

Placuit Universitati :

Stat. Tit. VI. (IX.) 11. § 3. par. 3. (p. 89. ed. 1864.) verba, "se examinandum stiterit" abrogare,

et in eorum locum verba,

"nomen suum coram Procuratore professus fuerit," subrogare.

Item, ibid. § 5. 2. (p. 100.) verbum, "Deinde" et verba, "in eodem vel in sequenti aliquo termino examen subierit et in utraque schola" abrogare.

Item, ibid. § 2. 4. (p. 88.)

abrogare,

"quum in——mathematicarum"

et post verba,

"sit terminus."

hæc verba inserere,

Ex iis vero qui in schola literarum Græcarum et Latinarum ad eos qui nullum honorem ambiant examinandos designati fuerint, officio suo cedant quotannis duo ita ut moderatori cuique post tres examinationes habitas officii sui sit terminus.

Item, ibid. § 6. 3. (p. 102.)

abrogare,

"quum——scholis"

et post verba,

"sit terminus."

hæc verba inserere,

Ex iis vero qui in schola literarum humaniorum ad eos qui nullum honorem ambiant examinandos designati fuerint, officio suo cedant quotannis duo, ita ut examinatori cuique post tres examinationes habitas officii sui sit terminus.

Item, ibid. § 8. 16. (p. 109.)

verba, "post schedulam istam ad se delatam,"

Item, § 8. 20. (p. 110.) verba, "post schedulas ab examinatoribus in literis humanioribus ad se delatas,"

Item, § 8. 23. (p. 110.) verba, "cum ad illos schedulæ præscriptæ delatæ fuerint."

abrogare.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die octavo mensis Martii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die decimo tertio ejusdem mensis Martii, et in eadem domo die vicesimo septimo mensis Aprilis probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die primo mensis Junii anno Domini MDCCCLXVI.

Placuit Universitati:

Stat. Tit. XV. (XIX.) par. 6. (p. 212. ed. 1864.)

	£	s.	d.		£	s.	d.
abrogare "	1	6	0",	et subrogare	1	0	0.

Item, ibid. par. 7,

hæc verba abrogare,	£	s.	d.
"Vicesimum quintum	22	15	0
Tricesimum	21	15	0
Tricesimum quintum	20	12	6
Quadragesimum	19	8	6
Quadragesimum quintum	18	0	0
Quinquagesimum	16	7	6
Quinquagesimum quintum	14	15	0
Sexagesimum	13	1	6
Septuagesimum	9	6	6"

et in eorum locum subrogare,	£	s.	d.
Vicesimum quintum	15	15	0
Tricesimum	15	1	0
Tricesimum quintum	14	5	6
Quadragesimum	13	9	0
Quadragesimum quintum	12	9	6
Quinquagesimum	11	7	0
Quinquagesimum quintum	10	4	0
Sexagesimum	9	1	0
Sexagesimum quintum	7	15	6
Septuagesimum	6	9	0

Item, ibid. par. 14. (p. 218. ed. 1864.) verba "ad urbem illuminandam et lapidibus sternendam," abrogare.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die tricesimo mensis Aprilis. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die undecimo mensis Maii, et in eadem domo die decimo septimo ejusdem mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die primo mensis Junii anno Domini MDCCCLXVI.

Placuit Universitati:

Stat. Tit. VI. (IX.) II. § 8. par. 15. [p. 109. ed. 1864.]

post verba,

"in rudimentis fidei et religionis"

haec quae sequuntur verba inserere:

vel, si sit extra ecclesiam Anglicanam et in rudimentis religionis examinari nolit, in libris hac in parte examinationis substituendis,

Item, ibid. par. 29. (p. 112.)

post verba,

"in rudimentis fidei et religionis"

haec quae sequuntur verba inserere:

vel, si sit extra ecclesiam Anglicanam et in rudimentis religionis examinari nolit, in libris hac in parte examinationis substituendis,

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die vicesimo primo mensis Maii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die primo mensis Junii, et in eadem domo die octavo ejusdem mensis Junii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo primo ejusdem mensis Junii anno Domini MDCCCLXVI.

Placuit Universitati:

In Stat. Tit. VI. (IX.) II. § 4. 4 (p. 92. ed. 1866), verba "Proviso etiam ut si quis——non inclusi fuerint." abrogare, et in eorum locum subrogare.

"Proviso etiam ut si quis in primo a statutis præscripto termino se examinandum non stiterit, aut moderatoribus non satisfecerit, ei liceat eos libros postea adhibere quos in illo termino adhibere licuerat, etiamsi in schedula librorum recentius promulgata non inclusi fuerint."

Item, in Stat. Tit. VI. (IX.) II. § 8. 8 (p. 107. ed. 1866), verba "Proviso etiam ut si quis——non inclusi fuerint." abrogare, et in eorum locum subrogare.

"Proviso etiam ut si quis in primo a statutis præscripto termino se examinandum non stiterit, aut examinatoribus non satisfecerit, ei liceat eos libros postea adhibere quos in illo termino adhibere licuerat, etiamsi in schedula librorum recentius promulgata non inclusi fuerint."

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die quarto mensis Martii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die decimo tertio ejusdem mensis Martii, et in eadem domo die undevicesimo ejusdem mensis Martii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo septimo ejusdem mensis Martii anno Domini MDCCCLXVII.

Placuit Universitati Stat. Tit. IV. Sect. 1. § 20. abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare.

§ 20. *De professore juris Anglicani per Carolum Viner armigerum instituto, et de scholaribus ejusdem Caroli Viner.*

1. *De professore Vineriano.*

1. Professorem Vinerianum eligant Vice-Cancellarius, principalis collegii Jesu, professor Juris Civilis regius, professor juris belli et pacis Chicheleianus, historiæ modernæ professor regius, professor philosophiæ moralis ex fundatione Thomæ White. Si forte professor alius in facultate Juris, præter eos qui nunc existunt, intra Universitatem constituetur, hic quoque inter electores adsciscatur. Si contigerit ut principalis collegii Jesu sit Vice-Cancellarius, jus suffragii in electione habeat Vice-Cancellarii deputatus senior. Ille in quem major pars suffragantium consenserint electus a Vice-Cancellario pronuntietur. Professor, tempore admissionis, sit ad minimum Magister Artium aut Baccalaureus in Jure Civili in Universitate Oxoniensi constitutus.

2. Professor quotannis per sex menses in universitate commoretur, inter decimum diem Octobris et primum diem Julii sequentis. Duas lectionum series in duobus discretis terminis legat, (terminis Paschatis et SS. Trinitatis, quod ad hoc statutum attinet, pro uno reputatis,) scilicet per sex septimanas in utroque termino, et bis ad minimum in unaquaque septimana: atque insuper per sex septimanas unius alicujus termini bis ad minimum in unaquaque septimana per unius horæ spatium vacet instruendis auditoribus in iis quæ melius sine ulla solennitate tradi possunt, discipulorum profectum quæstionibus statim enucleandis ad examen revocet, et iis exercitationes, si ipsi ita libuerit, domi in scriptis tractandas proponat.

3. Lectionum materies esto jus Anglicanum ejusque fontes et historia, adhibito etiam inter docendum Jure Civili, quatenus ad eam rem tractandam pertinet.

4. Teneatur insuper professor quotannis in uno termino lectionum seriem in Jure Civili legere, nimirum per sex septimanas semel ad minimum in unaquaque septimana, nisi aliter statuerit academia, de qua re statuendi academiæ copia esto.

5. Unam porro ad minimum lectionem quotannis publice habeat, ab academicis quibuscunque sine mercede audiendam.

6. Ex auditoribus ne plus exigat mercedis quam ab Uuiversitate permissum fuerit.

7. Si evenerit ut professor ad tempus valetudine impediatur quominus officio suo fungatur, aut si ei necesse fuerit præscripto legendi tempore propter causas urgentes et Vice-Cancellario probatas extra Universitatem morari, ei deputatum idoneum et Vice-Cancellario probatum, qui professoris muneribus durante infirmitate aut absentia fungatur, nominare liceat; id quod exigere poterit Vice-Cancellarius, si sponte professor in hac parte statuto non satisfecerit.

8. Si professor senio, morbo diuturno, incurabili impotentia, aut debilitate vel animi vel corporis fractus, suæ professioni perficiendæ non suffecerit, virum secundum ea quæ in hoc statuto decernuntur idoneum, qui professoris muneribus fungatur, iis quibus professorem ipsum eligendi cura delegata est, rem proponente Vice-Cancellario, nominare liceat. Si quando deputatus nominatus sit, determinet Vice-Cancellarius quantum ex professoris emolumentis deputato persolvendum sit.

9. Si quid statuerit academia de materie, numero aut tempore lectionum, de rationibus docendi, aut de auditoribus examinandis, id observet quicumque tum erit professor. De his rebus statuendi academiæ copia esto.

10. Ne alia quapiam professione eodem tempore fungatur professor, nisi in id consenserit academia.

11. Professori pendatur quotannis totum quod supererit de proventibus Vinerianis, solutis prius scholarium stipendiis. Pendatur etiam professori quotannis (quoniam principalis et socii collegii Jesu in hoc consenserint) summa CCL librarum, academiæ e proventibus prædicti collegii persolvenda. Augeantur etiam professoris emolumenta ad DC librarum summam e cista academica, nisi ei aliunde ea summa, (præter feoda legitima) annuatim accreverit.

12. Professor si insigniter negligens in officio suo, vel notabiliter insufficiens fuerit, vel si pravis moribus academiam dedecoraverit, vel si statutis ad ipsum spectantibus morem gerere recusaverit, Vice-Cancellario rem proponente, prius conventus, auditus (si ipsi libuerit), et convictus, admoneatur, vel etiam, si aliter malo occurri non possit, a munere suo moveatur per Vice-Cancellarium et delegatos appellationum in Congregatione aut majorem partem eorum.

2. *De scholaribus.*

1. Tres sint scholares Vineriani. Horum unusquisque percipiat quotannis octoginta libras, et post triennium absolutum beneficio suo cedat.

2. Si quis scholaris, quacunque de causa, beneficio suo cesserit ante absolutum triennium, stipendii ejus quod supererit insequenti anno, vel insequentibus

annis, professori pendatur, ad summam annuam DC librarum adimplendam, ne cista academica plus æquo prægravetur.

3. Eligatur quotannis in termino S. Hilarii, die a Vice-Cancellario constituenda, unus scholaris et non plures, post examinationem habitam eo consilio ut qui dignissimus sit cæteris præferatur. Candidatus unusquisque, venia prius a præfecto collegii vel aulæ suæ, vel ab ejus deputato, impetrata, nomen suum apud examinatores profiteatur, triduo ad minimum ante examinationem habendam. Electores sunto Vice-Cancellarius, professores quotquot erunt in facultate Juris, necnon examinatores publici in schola jurisprudentiæ et historiæ modernæ. Hi singulis annis, termino S. Michaelis si commode fieri poterit, tres examinatores, quorum unum saltem e suo ipsorum numero esse volumus, nominent. Materies examinationis sit Jus Civile, jus belli ac pacis, jus naturæ ac gentium, ac speciatim jus Angliæ et publicum et privatum.

4. Scholaris ne eligatur nisi qui duos ad minimum annos a tempore matriculationis suæ compleverit, necdum sex annos ab eodem tempore excesserit. Quilibet præterea scholaris, si nondum advocatus in jure Anglicano renuntiatus fuerit, Vice-Cancellarium quotannis certum faciat se nomen registro hospitii alicujus jurisconsultorum Londinensium inscriptum habere, vel saltem se legum Angliæ studio bona fide incumbere.

5. De forma, tempore, et materie examinationis, de examinatoribus, de conditionibus scholarium, liberum esto academiæ aliter statuere si profuturum esse ei videbitur.

6. Si quis e scholarium numero pravis moribus academiam dedecoraverit, vel statutis ad ipsum spectantibus morem gerere recusaverit, beneficio suo privetur per Vice-Cancellarium et delegatos appellationum in Congregatione, vel majorem partem eorum.

7. Scholaribus qui nunc sunt sua jura prorsus reserventur; commodis quoque hujus statuti gaudere iis liberum esto, exceptis modo commodis quæ ad summam stipendii pertinent. Scholarium trium de quibus supra provisum est eligatur primus in termino S. Hilarii A.D. 1868, secundus vero A.D. 1869, tertius pariter A.D. 1870.

3. *De lectore eligendo si prælector qui nunc est professoris munera non susceperit, et de lectoris muneribus ac emolumentis.*

1. Prælectori qui nunc est copia detur eligendi intra certum tempus—nimirum intra trimestre spatium ex quo hoc statutum regia auctoritate comprobatum fuerit—utrum legibus ac conditionibus hujus statuti sese subjicere velit, necne. Si intra tempus prædictum Vice-Cancellarium scriptis certiorem fecerit

se paratum esse professoris munera prædicta suscipere, subinde ei emolumentis prædictis fruendi jus esto: sin aliter, jura sua ac munera hodierna ei reserventur et immutata maneant; summam CC librarum, et non amplius, iisdem quibus hodie conditionibus, annuatim percipiat. Quam cito commode poterit postquam prælectoris qui nunc est vacaverit locus eligatur professor Vinerianus secundum leges hujus statuti. Interea, donec vacaverit professoris locus, eligatur identidem, ab iisdem quibus professorem eligendi officium hoc statuto delatum est, (adscito quoque prælectore Vineriano) lector Vinerianus, qui locum suum in triennium obtineat. Lector, tempore electionis suæ, sit ad minimum Magister Artium vel Baccalaureus in Jure Civili intra hanc Universitatem constitutus. Auditoribus instruendis det operam per sex septimanas in unoquoque termino (terminis Paschatis et SS. Trinitatis pro uno reputatis), et bis ad minimum in unaquaque septimana discretis diebus. Lectionum octodecim ad minimum materies esto jus Anglicanum, ejusque fontes et historia; octodecim vero ad minimum Jns Civile, nisi aliter statuerit academia. Lectori pendatur qnotannis totum quod supererit proventuum Vinerianorum, soluta prius prælectori qui nunc est summa prædicta CC librarum, solutis etiam scholarium stipendiis. Pendatur quoque ei annuatim summa prædicta CCL librarum ex proventibus collegii Jesu persolvenda.

2. Amoveri (si opus fuerit) lectorem volumus propter casdem causas propter quas professorem amoveri jussimus, et eodem modo.

3. Quicquid e proventibus collegii Jesu Universitati persolutum aut persolvendum fuerit priusquam sive professor qui nunc est munera hujus statuti susceperit seu lector Vinerianus electus fuerit, seponatur, et reditus annui inter emolumenta supradicta professoris Vineriani numerentur; donec erit professor qui virtute hujus statuti emolumeuta supradicta percipiat, reditus annui lectori in incrementum stipendii pendantur.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die quarto mensis Martii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die decimo tertio ejusdem mensis Martii, et in eadem domo die undevicesimo ejusdem mensis Martii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo septimo ejusdem mensis Martii anno Domini MDCCCLXVII.

Placuit Universitati, Stat. Tit. IV, Sect. I, § 6, par. II. (p. 24, edit. 1866) verbum "ducentarum" abrogare, et in locum ejus verbum "trecentarum" subrogare.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die undecimo mensis Martii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die undevicesimo ejusdem mensis Martii, et in eadem domo die vicesimo septimo ejusdem mensis Martii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die septimo mensis Maii anno Domini MDCCCLXVII.

Placuit Universitati,

Stat. Tit. VI. (IX.) II. § 3. par. 2 (p. 89. ed. 1866), hæc verba abrogare "schedulam, suo nomine signatam," et in eorum locum subrogare, "schedulas, nomine suo signatas,"

Item Stat. Tit. VI. (IX.) II. § 3. par. 6 (p. 90. ed. 1866), verba abrogare "in schedulam referre —— A. D. ——]" et in eorum locum subrogare "in duas schedulas referre; hæ autem schedulæ hos titulos præ se ferant, nempe,

Prima, *Nomina examinandorum prima examinatione, termino —— A. D. in schola literarum Græcarum et Latinarum.*

Secunda, *Nomina &c. in schola disciplinarum mathematicarum.*

Deinde schedulas istas singillatim, chirographo suo munitas et typis mandatas,"

Item in eodem paragrapho verba abrogare "schedulam hanc publici juris factam" et subrogare "schedulas has publici juris factas"

Item Stat Tit. VI. (IX.) II. § 3. par. 7 (p. 90. ed. 1866), abrogare, et subrogare "Et hæ schedulæ procuratoriæ modo et forma præscriptis publicatæ pro licentia monitione et notificatione generali tam ab ipsis moderatoribus quam a candidatis habendæ et accipiendæ sunt."

Item Stat. Tit. VI. (IX.) II. § 3. par. 8 (p. 90. ed. 1866), abrogare, et subrogare "Insuper schedulas rerum et librorum in quibus unusquisque candidatus sese examinandum profitetur ad moderatorem in utraque schola seniorem Procurator junior deferri curet.

Item Stat. Tit. VI. (IX.) II. § 4. par. 17 (p. 95. ed. 1866), abrogare.

Item Stat. Tit. VI. (IX.) II. § 7. par. 4 (p. 104. ed. 1866), post verbum "moderatoribus" inserere "in schola literarum Græcarum et Latinarum"

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die undecimo mensis Martii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die undevicesimo ejusdem mensis Martii, et in eadem domo die vicesimo septimo ejusdem mensis Martii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die septimo mensis Maii anno Domini MDCCCLXVII.

Placuit Universitati:

Stat. Tit. IV. Sect. 1. § 19. par. 4. (p. 32, ed. 1866.) verba "proventus"—— "e quibus" abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare.

4. E proventibus prædiorum quæ Henricus Birkhead, fundator, ad firmam tenuit atque Academiæ in supremis tabulis legavit, nuper autem Academia propriis sumtibus coemit, pendantur professori quotannis LXXX libræ; quod superest ad usuras debitas academiæ propter expensam pecuniam solvendas et in reparationes prædiorum erogetur.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die vicesimo primo mensis Martii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die vicesimo septimo ejusdem mensis Martii, et in eadem domo die septimo mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo primo ejusdem mensis Maii anno Domini MDCCCLXVII.

Placuit Universitati:

Stat. Tit. IV. Sect. III. § 1. (p. 57, ed. 1866.) abrogare, et quæ sequuntur subrogare.

Sectio III. § 1.—*De feodis professorum et prælectorum.*

Professori unicuique et prælectori licebit feodi nomine viginti solidos a singulis auditoribus suis exigere, nisi aliter per statutum aliquod vel instrumentum fundationis provisum sit: quo feodo bis soluto liberum auditoribus esto in posterum lectionibus in eadem materie habendis, quotiescunque voluerint, interesse. Proviso ne hoc statutum ad ea quæ in praxi versantur (veluti physiologiæ, chemiæ practicæ, et similium) attinere habeatur.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die undecimo mensis Martii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die undevicesimo mensis Aprilis, et in eadem domo die septimo mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo primo ejusdem mensis Maii anno Domini MDCCCLXVII.

Placuit Universitati:

Statt. Tit. XVI. (XX.) *De bonis et locis publicis*, sectionem novam adjicere.

Sectio VII.—*De parco Academico.*

1. Terrarum cura, quas de collegio Mertonensi emptas parcum fecit Academia, tribus viris committatur: quorum duo in quinquennium eligantur, a Congregatione Universitatis Oxoniensis ex iis qui in aliqua facultate inceperint. Quorum si alteruter locum suum quoquo modo ante quinquennium absolutum vacaverit, alius eadem auctoritate et sub iisdem conditionibus subrogetur. Tertius sit Vice-Cancellarius; cui tamen liceat, si velit, suam ipsius curam alicui ex iis qui in aliqua facultate inceperint delegare.

2. Horum muneris erit parcum cum omnibus ad ipsum pertinentibus, necnon ambulacrum novum quod parco ex australi parte adjacet et viam trans Cherwellum fluvium aperit, curare; reditus ac proventus omnes ex terris praedictis recipiendos colligere, eosdemque una cum pecuniis a venerabili domo Convocationis concessis in usus parci erogare; custodes et operarios prout opus erit constituere.

3. Rationes acceptorum et expensorum delegatis computorum quotannis submittant curatores; atque summarium earundem delegatis praediorum forma ab illis praescribenda reddant.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die vicesimo quinto mensis Martii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die septimo mensis Maii, et in eadem domo die vicesimo primo ejusdem mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die sexto mensis Junii anno Domini MDCCCLXVII.

Ex relatione curatorum bibliothecæ Bodleianæ.

Placuit Universitati Stat. Tit. XVI. (XX.) III. §. 6. par. 2. (p. 225. ed. 1866.) verbum "centum" abrogare, et verba "centum et triginta" subrogare.

Item Stat. Tit. XVI. (XX.) III. §. 8. (p. 227. ed. 1866.) verba "Aperiatur bibliotheca —— ad tertiam postmeridianam." abrogare, et verba "Aperiatur bibliotheca a festo Annunciationis ad festum S. Michaelis ab hora nona matutina ad quartam postmeridianam, a festo vero S. Michaelis ad festum Annunciationis ad tertiam." subrogare.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die tertio mensis Maii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die decimo sexto ejusdem mensis Maii, et in eadem domo die vicesimo septimo ejusdem mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo tertio mensis Junii anno Domini MDCCCLXVII.

Placuit Universitati:

Stat. Tit. XVI. (XX.) IV. (De theatro Sheldoniano) § 1. (p. 233. ed. 1866.) "Ut in theatro——competentibus induantur" abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare.

1. Ut in theatro, ubi res academiæ id postulaverint, Convocationes et Congregationes celebrare et alios conventus academicos habere liceat; encænia præsertim, in quibus solennis fundatorum et benefactorum commemoratio habeatur, poemata et orationes ab academia coronatæ recitentur, gradus academici in viros quoquo nomine illustres honoris causa conferantur, cæteraque id genus prout academiæ visum fuerit peragantur.

Proviso tamen ut intra terminum S. Michaelis cujusvis anni Vice-Cancellario liceat, concilio hebdomadali assentiente, encænia etiam alibi, scilicet in domo Convocationis, celebranda in sequentem annum indicere.

Diem vero encæniorum sequente anno habendorum penes concilium hebdomadale sit in termino Paschatis unoquoque anno constituere.

2. Ut universi ad solennia quæque in theatrum confluentes habitibus gradui et ordini competentibus induantur.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die vicesimo quarto mensis Maii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die vicesimo nono ejusdem mensis Maii, et in eadem domo die sexto mensis Junii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo octavo ejusdem mensis Junii anno Domini MDCCCLXVII.

Placuit Universitati:

Stat. Tit. VI. (IX.) II. § 8. I. (p. 105. ed. 1866.) post verba "et in literis humanioribus" hæc verba addere: "Unicuique candidato liberum esto in rudimentis religionis vel in materia hac in parte examinationis substituenda quandocunque velit examinari, ita ut ne maturius examinetur quam in § 7. Par. 3. hujusce sectionis provisum fuerit.

Ibid: 29. (p. 112.) verba "Nemo eorum qui examinatoribus in literis humanioribus non satisfecerint, si in alia aliqua schola honores ambiat, in ea schola testimonium accipiat, nisi cujus nomen in schedulas eorum qui examinatoribus in rudimentis fidei et religionis vel, si sit extra ecclesiam Anglicanam et in rudimentis religionis examinari nolit, in libris hac in parte examinationis substituendis, in eodem termino vel saltem intra quatuor terminos proxime antecedentes satisfecerint relatum fuerit." abrogare

et hæc verba subrogare: "Nemo tamen ullo honore dignus reputetur, nisi cujus nomen in schedulas eorum qui examinatoribus in rudimentis fidei et religionis vel, si sit extra ecclesiam Anglicanam et in rudimentis religionis examinari nolit, in libris hac in parte examinationis substituendis satisfecerint relatum fuerit."

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die quarto mensis Novembris. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die duodecimo ejusdem mensis Novembris, et in eadem domo die vicesimo septimo ejusdem mensis Novembris probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die septimo mensis Decembris anno Domini MDCCCLXVII.

Placuit Universitati: Stat. Tit. V. (VI.) I. § 2. par. 2. (p. 65. ed. 1866.)

post verba "a die Lunæ quartam"

hæc verba inserere,

"vel, (si dies encæniorum in septimanam secundam post festum S. Trinitatis designatus fuerit,) tertiam"

item verba "a die Lunæ encænia proxime præcedente"

abrogare, et hæc verba subrogare,

"a die Veneris in septimana secunda ante encænia"

item verba

"octavo die (ita ut septem dies integri supersint)"

abrogare, et hæc verba subrogare,

"sexto die (ita ut quinque dies integri supersint)"

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die quarto mensis Novembris. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die duodecimo ejusdem mensis Novembris, et in eadem domo die vicesimo septimo ejusdem mensis Novembris probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die septimo mensis Decembris anno Domini MDCCCLXVII.

Placuit Universitati:

Stat. Tit. VI. (IX.) II. § 5. 2. (p. 101. ed. 1866.) verba "quoad libros hac in parte examinationis substituendos satisfecerit." abrogare, et verba "quoad ea quæ in horum locum substituta fueriut (ita ut ea quæ substituta fuerint speciatim designentur) examinatoribus quibus hæc pertineant satisfecerit." subrogare.

Item ibid: verba "finita examinatione——asservandam." abrogare, et ea quæ sequuntur subrogare, "finita hac parte examinationis, examinator in unaquaque schola senior nomina eorum qui in ea parte examinatoribus satisfecerint in peculiarem schedulam manu sua signatam deferri curet, registro in scholis asservandam."

Item verba "libros hac in parte examinationis substituendos," abrogare, et verba "materiam hac in parte examinationis substituendam," subrogare.

Ibid: 3. post verba "Si quis in rudimentis fidei et religionis" inserere verba "vel in materia substituenda"—item verba "ita ut in——examinetur." abrogare, et verba "ita ut nec in rudimentis fidei et religionis nec in materia substituenda denuo examinetur." subrogare.

Tit. VI. (IX.) II. § 8. 15. (p. 109.) verba "in libris hac in parte examinationis substituendis," abrogare, et verba "in materia hac in parte substituenda," subrogare.

Ibid: 29. (p. 112.) verba "in libris hac in parte substituendis" abrogare, et verba "in materia hac in parte substituenda," subrogare.

Supplement: 2. (p. 119.) verba "in secunda autem —— distribuendis honoribus." abrogare, et verba "in secunda autem, in schola literarum humaniorum libros aliquos Græcos et Latinos, aut saltem unum Græcum et unnm Latinum, quos cognovisse ejusdem fere laboris impendio constet quo materies illa theologica quæ per statuta in utravis examinatione requiritur, in ceteris scholis ista in unaquaque schola additamenta quæ eidem proposito subserviant. Fiat examinatio per examinatores in iis scholis quibus hæc additamenta sigillatim pertineant. Hujus tamen materiæ cognitio nihili pendatur in distribuendis honoribus." subrogare.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die octavo decimo mensis Novembris. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die vicesimo septimo ejusdem mensis Novembris, et in eadem domo die septimo mensis Decembris probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo quarto ejusdem mensis Decembris anno Domini MDCCCLXVII.

Placuit Universitati Stat. Tit. IV. I. § 26. (edit. 1866. p. 45.) verba "Prælector——augeantur" abrogare, et in eorum locum hæc verba subrogare:—

"Prælector œconomiæ politicæ in quinquennium eligatur. Eundem vero denuo eligendi copia esto, quoties id Universitati expedire videbitur. Legat prælector secundum ordinationes a venerabili domo Convocationis hac in parte sancitas. Prælectoris emolumenta ad summam trecentarum librarum, præter feoda, augeantur"

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die octavo decimo mensis Novembris. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die vicesimo septimo ejusdem mensis Novembris, et in eadem domo die septimo mensis Decembris probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo quarto ejusdem mensis Decembris anno Domini MDCCCLXVII.

Placuit Universitati:

Stat. Tit. VI. (IX.) Sect. III. § 1. cl. 4 (p. 121. ed. 1866.) "Intra horas—— perhibeatur" abrogare.

Item, § 2. cl. 2 (p. 122) verba "post quam——exquirant" abrogare, et verba "et suffragia exquirantur." subrogare.

Item, § 2. cl. 7 (p. 123) verba "et postremo" abrogare, et verbum "deinde" subrogare. Necnon post verba "librum osculentur" hæc quæ sequuntur subjicere: "Tunc idem declarationem assensus, excerptam ex canone XXX i' denuo edito et confirmato in synodo Londini habita anno Domini 1865, clara voce pronuntiet, sicut hic sequitur.

Declaratio assensus.

"*I,* A. B., *do solemnly make the following declaration. I assent to the thirty-nine articles of religion and to the book of common prayer and of the ordering of bishops, priests, and deacons; and I believe the doctrine of the United Church of England and Ireland, as therein set forth, to be agreeable to the Word of God.*"

Atque illico tum ipse, tum alii omnes, admoniti prius a Procuratore seniore formula solenni ("*Eandem declarationem quam præstitit* A. B., *in persona sua, vos præstabitis in personis vestris, et quilibet vestrum in persona sua*") in confirmationem declarationis eidem subscribant: quod rite factum esse statim testentur Procuratores."

Item, § 2. cl. 8 (p. 124.) post verbum "juramentis" verba "et declaratione" inserere.

Item, § 2 (p. 124.) clausulam quæ sequitur subjicere.

"10. Quoniam vero nemo ad certa quædam officia potest admitti, nisi qui declarationibus quibusdam subscripserit et juramenta quædam susceperit; si cui eorum qui ad inferiorem gradum præsentandi sint aut admissi fuerint libeat juramentis primatus regii aut fidelitatis suscipere, aut declarationi assensus subscribere, hæc omnia vel quodlibet horum facere ei liceat eodem modo quo inceptores; atque illico nomen suum inscribat in registro quodam proprio, quod hunc in finem registrarius Universitatis curet conservandum, et in domo Congregationis exhibendum quoties agatur de admittendis ad gradum: quorum juramentorum et subscriptionis testimonium ei, si id requirat, a registrario perhibeatur."

Item, Sect. IV. § 1. cl. 2 (p. 125) verba "in præsentia mea legerit——comprehensos" abrogare.

Item, § 3. cl. 7 (pp. 131, 132,) verba "testorque——Universitati." abrogare.

Item, § 3. cl. 9, et cl. 10, et cl. 11, (p. 132,) verba "testorque illum, &c.," abrogare.

Item, Sect. VI. cl. 6 (p. 135) verba "articulis fidei——comprehensis" abrogare, et verba "declarationi assensus" substituere.

Item, Sect. VII. § 1. cl. 4 (p. 136) verba "articulis fidei——subscribat." abrogare, et verba "declarationi assensus, juxta statutum sect. III. § 2. hujusce tituli, subscribat." subrogare.

Item, Sect. VIII. § 3. (p. 140.) verba "subscripsisse——&c. primo;" abrogare, et verba "declarationi assensus subscripsisse;" subrogare.

Item, Tit. XIII. (XVII.) Sect. III. § 2, cl. 4. (p. 189) verba "articulis fidei——1603" abrogare, et verba "declarationi assensus" substituere.

Item, Tit. XIX. Sect. IV. *Suppl. ad Stat. Tit. XIII. (XVII.) Sect.* III. § 2, cl. 4. (p. 271.) loco verborum "articulis fidei——1603" verba "declarationi assensus" substituere.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die vicesimo quinto mensis Novembris. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die quarto mensis Decembris et in eadem domo die decimo quarto ejusdem mensis Decembris MDCCCLXVII *probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die quarto mensis Februarii anno Domini* MDCCCLXVIII.

Placuit Universitati:

Stat. Tit. VI. (IX.) II. § 3. (p. 90. ed. 1866.) hæc verba addere:—

"9. Liceat alicui qui honores ambiat nomen suum coram Procuratore profiteri, etiam post schedulam istam publici juris factam, usque ad diem ante examinationem incipiendam, ita ut mulctam XLII solidorum academiæ pendat. Nomina horum candidatorum referantur in schedulas suppletorias eodem modo quo priores publici juris faciendas."

Item eidem Stat. § 7. (p. 105.) hæc verba addere:—

"9. Liceat alicui nomen coram Procuratore profiteri usque ad diem ante examinationem incipiendam, ita ut mulctam XLII solidorum academiæ pendat. Nomina horum candidatorum referantur in schedulas suppletorias eodem modo quo priores publici juris faciendas."

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die secundo mensis Decembris. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die duodecimo ejusdem mensis Decembris MDCCCLXVII *et in eadem domo die quarto mensis Februarii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo secundo ejusdem mensis Februarii anno Domini* MDCCCLXVIII.

Placuit Universitati:

Stat. Tit. V. (VI.) Sect. VI. § 2. (p. 81. ed. 1866.) verba "Statutum est quod is——exterioris portæ scholarum" abrogare et in eorum locum hæc quæ sequuntur subrogare.

1. Qui ad gradum Baccalaurei in S. Theologia promoveri cupiat, is priusquam gratiam proponat duas dissertationes a se Anglice conscriptas, materiem aliquam Theologiæ sive dogmaticæ sive criticæ a professore regio approbatam tractantes, coram prædicto professore publice in schola Theologica recitet, eique earundem dissertationum exemplaria finita lectione tradat.

2. Ante hujusmodi exercitia habenda, nomen candidati una cum thesibus per septem dies integros significetur, schedula monitoria ad collegiorum et aularum præfectos delata et ad portam insuper refectorii vel promptuarii cujusque collegii et aulæ affixa.

Item, Tit. V. (VI.) Sect. VI. § 4. (p. 82. ed. 1866.) abrogare et in eorum locum hæc quæ sequuntur subrogare.

Antequam Baccalaureus S. Theologiæ ad incipiendum in eadem facultate admittatur, publice in Schola Theologica tres S. Scripturæ partes, sive continuas sive discretas, tribus diversis diebus Anglice legat et explicet. Priusquam vero legere exordiatur, tempus quo lecturus est et subjectum de quo leget ante tres dies significet, schedula monitoria ad collegiorum et aularum præfectos delata et ad portam insuper refectorii vel promptuarii cujusque collegii et aulæ affixa.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die vicesimo quarto mensis Februarii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die quinto mensis Martii, et in eadem domo die decimo septimo ejusdem mensis Martii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo sexto ejusdem mensis Martii anno Domini MDCCCLXVIII.

Placuit academiæ:

Stat. Tit. IV. sect. I. post § 35. (p. 54. ed. 1866.) "*De professore chemiæ Waynfletiano.*" hæc quæ sequuntur subjicere.

§ 36. *De lectura historiæ antiquæ e proventibus collegii Æneï nasi constituenda.*

Quoniam e proventibus collegii Æneï nasi summa ducentarum librarum ad usus academicos annuatim solvenda sit, et quoniam dicto collegio hanc summam ad lecturam historiæ antiquæ in decennium constituendam adhibere visum fuerit;—

Placuit academiæ hæc sancire—

1. Lectura historiæ antiquæ in decennium ab ineunte termino Paschatis A.D. 1868, constituatur.

2. Prælector a Vice-Cancellario, a principali collegii Æneï nasi et aliquo e sociis ejusdem collegii ad hoc munus deputato, a professore juris belli et pacis Chicheleiano, a professore historiarum Camdeniano, a professore philosophiæ moralis ex fundatione Thomæ White, et ab examinatore publico seniore in literis humanioribus, eligatur ex iis qui jus intrandi domum Convocationis adepti sint.

3. Prælector viginti quatuor ad minimum lectiones quotannis habeat, vel in duobus vel in tribus discretis terminis; terminis Paschatis et S. Trinitatis quod ad hoc attinet pro uno termino reputatis. In iis lectionibus, quæ in historia Græca versantur, Aristotelis politicorum rationem semper habeat.

4. Summam supradictam ducentarum librarum annuatim percipiat prælector. Quicquid autem e proventibus collegii Æneï nasi Universitati persolutum aut persolvendum fuerit, priusquam prælector electus fuerit, seponatur, et reditus annui prælectoris emolumentis adjiciantur.

5. Alumni collegii Æneï nasi a prælectore gratis instruantur.

6. Si quid statuerit academia de materie, numero, aut tempore lectionum, vel de rationibus docendi, id observet prælector.

Placuit academiæ:

Stat. Tit. VI. (IX.) sect. VII. § 2. (p. 137, ed. 1866.) "*De admissione ad privilegia graduatorum, comitatis causa.*" abrogare.

Placuit academiæ:

Stat. Tit. VII. (X.) sect. II. § 4. (p. 152, ed. 1866.) "*De delegatis preli.*" hæc verba abrogare,

"inde post unum annum"

De statutis his rogandis, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die vicesimo octavo mensis Februarii. Promulgata sunt eadem statuta in domo Congregationis die decimo mensis Martii, et in eadem domo die undevicesimo ejusdem mensis Martii probata; tandem in Convocatione publicata et confirmata die vicesimo sexto ejusdem mensis Martii anno Domini MDCCCLXVIII.

Placuit Universitati:

Stat. Tit. IV. Sect. I. (edit. 1866, p. 54), hæc verba addere:—

§ 37. *De professore philologiæ comparativæ.*

1. Professor philologiæ comparativæ a Vice-Cancellario, et professoribus linguarum Hebraicæ, Sanskriticæ, Græcæ, Latinæ, et Anglo-Saxonicæ eligatur. In æqualitate suffragantium rem decidat Vice-Cancellarius.

Proviso tamen ut si vir cl. M. Müller, M.A., hodie linguarum modernarum Europæ professor Taylorianus, eam professionem intra mensem post hoc statutum sancitum resignaverit, seque professoris philologiæ comparativæ munus suscipere paratum esse scripto Vice-Cancellarium certiorem fecerit, is primus admittatur professor.

2. Professor quotannis per sex menses in Universitate incolat et commoretur inter decimum diem Octobris et primum diem Julii sequentis.

3. Professor duas lectionum series in duobus discretis terminis legat, terminis Paschatis et S. Trinitatis pro uno reputatis; scilicet per sex septimanas in utroque termino, et bis ad minimum in unaquaque septimana: atque insuper per sex septimanas unius alicujus termini bis ad minimum in unaquaque septimana per unius horæ spatium vacet instruendis auditoribus in iis quæ melius sine solennitate tradi possunt. Ab auditoribus ne plus exigat mercedis quam ab Universitate permissum est. Unam porro ad minimum lectionem quotannis publice habeat ab academicis quibuscunque sine mercede audiendam. De die hora et loco quibus hæc lectio solennis habenda sit academiam modo consueto certiorem faciat.

4. Quod si professor insigniter negligens in officio suo vel notabiliter insufficiens fuerit, vel si pravis moribus academiam dedecoraverit, vel si statutis ad ipsum spectantibus morem gerere recusaverit, Vice-Cancellario rem proponente, prius conventus, auditus (si ipsi libuerit), et convictus admoneatur, vel etiam, si aliter malo occurri non possit, a munere suo amoveatur, per Vice-Cancellarium et delegatos appellationum in Congregatione, aut majorem eorum partem.

5. Si evenerit ut professor ad tempus valetudine impediatur quominus officio suo fungatur, aut si ei necesse fuerit præscripto tempore legendi propter causas urgentes et Vice-Cancellario probatas extra Universitatem morari, ei deputatum idoneum et Vice-Cancellario probatum, qui professoris muneribus durante infirmitate aut absentia fungatur, nominare liceat: id quod exigere poterit Vice-Cancellarius, si sponte professor in hac parte statuto non satisfecerit.

6. Si professor senio, morbo diuturno, incurabili impotentia, aut debilitate vel animi vel corporis fractus, suæ professioni perficiendæ non suffecerit, virum secundum ea quæ in hoc statuto decernuntur idoneum, qui professoris muneribus fungatur, iis quibus ipsum professorem eligendi cura delegata est, rem proponente Vice-Cancellario, nominare liceat.

7. Si quando deputatus nominatus sit, determinet Vice-Cancellarius quantum ex professoris emolumentis deputato persolvendum sit.

8. Si quid statuerit academia de materie numero aut tempore lectionum, de rationibus docendi, et de auditoribus examinandis, id observet quicunque tum erit professor.

9. Ne alia quapiam professione eodem tempore fungatur professor, nec officium prælectoris alicujus in quovis collegio publice legentis cum munere suo conjungat.

10. Professori, donec ei aliunde provisum fuerit, summa sexcentarum librarum e cista academica quotannis pendatur.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die vicesimo mensis Aprilis. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die vicesimo octavo ejusdem mensis Aprilis, et in eadem domo die decimo quarto mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo tertio ejusdem mensis Maii anno Domini MDCCCLXVIII.

Placuit Universitati:

Stat. Tit. XIII. (XVII.) Sect. v. cl. 1, *De nominatione et officio magistrorum scholarum* (p. 197, ed. 1866), verba "unus a domino Vice-Cancellario," abrogare; item verbum "quartus" abrogare, et in ejus locum verbum "duo" subrogare; item verbum "nominetur" abrogare, et in ejus locum verbum "nominentur" subrogare.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die vicesimo mensis Aprilis. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die vicesimo octavo ejusdem mensis Aprilis, et in eadem domo die decimo quarto mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo tertio ejusdem mensis Maii anno Domini MDCCCLXVIII.

Placuit academiæ:

Stat. Tit. XV (XIX), *De feodis et debitis etc.*, ad finem (p. 218 ed. 1866) hæc quæ seqnuntur subjicere.

§ 2. *De curatoribus cistæ academicæ.*

1. Curatores suuto cistæ academicæ novem, nempe, Vice-Cancellarius, uterque Procurator, et sex alii in sexennium ex iis qui jus intrandi domum Convocationis habeant eligendi, duo a Congregatione Universitatis Oxoniensis, duo a concilio hebdomadali, reliqui autem duo a Vice-Cancellario et Procuratoribus approbante venerabili domo Convocationis. Primæ electiones ea lege fiant, ut is qui in quoque curatorum pari sit junior officio suo cedat in termino Michaelis A.D. 1869, alter vero in termino Michaelis A.D. 1872: postea electionem concilii hebdomadalis triennalem sequantur. In locum cujusvis quoquo modo vacantem vel idem vel alius eadem auctoritate et sub iisdem conditionibus subrogetur.

2. Ab ineunte termino Michaelis A.D. 1868 pecunias omnes Universitati seu proprio nomine seu in fidem debitas, iis solummodo exceptis quæ delegatorum preli vel aliorum curæ specialiter commissæ sunt, aut ipsi colligant curatores, aut per officiarios vel ministros Universitatis collectas recipiant, atque in cistam academicam reponant, inde in varios usus per ipsos erogandas prout vel statuta vel decreta Convocationis vel benefactorum jussa requirant. Codices accepti et expensi conscribant: rationes quotannis conficiant: computum coram auditoribus ad computandas rationes delegatis plenum et fidelem ante finem termini Michaelis reddant. Satis semper proviso necessitatibus Universitatis, quicquid supersit quolibet anni tempore vel apud ærarium publicum perpetuo fœnore, vel in scaccarii syngraphis, prout magis expedire videbitur, collocent curatores: proventus inde oriundos in annuas rationes referant.

3. Iidem insuper de omnigenis ad Universitatem quocunque nomine spectantibus terris, tenementis, aliisque hujusmodi possessionibus metiendis, in tabulis geodæticis describendis, in libris terrariis inserendis, æstimandis, et quocunque possint modo meliorandis, necnon, quotiescunque opus fuerit, elocandis, cum relatione ad venerabilem domum Convocationis et approbatione ejusdem, statuant et deliberent.

4. Quæ omnia officia quo facilius et melius exsequantur, adsciscant sibi secretarium a domo Convocationis approbandum et stipendio ad summam trecentarum librarum annuatim remunerandum. Scribas etiam sub secretario quot opus erunt adsciscant; quibus stipendia pro ratione laboris atque operæ pendantur. Quod si ad prædia Universitatis visenda, ad ædificia et tenementa per-

lustranda, ad reparationes instituendas, ad reditus colligendos, ad alia quælibet hujusmodi negotia extra Universitatis præcinctum prosequenda, vel secretarium vel scribam aliquem vel quemvis e curatoribus contingat jussu curatorum proficisci, hæc omnia impensis Universitatis semper fiant.

5. Quicquid dicant statuta de stipendiis officiariorum aliisve pecuniæ summis a Vice-Cancellario pendendis, quicquid mandent statis delegatis pro curatione et elocatione terrarum ad universitatem spectantium, ea omnia curatoribus cistæ academicæ mandata esse censeantur.

Placuit etiam academiæ:

Stat. Tit. VII (X), Sect. II, § 4, (p. 152) *De delegatis ad computandas rationes*, verba "Delegati——delegatorum" abrogare, et in eorum locum hæc quæ sequuntur subrogare:

1. Tres sunto delegati ad computandas rationes sive per cistæ academicæ curatores sive per alios confectas, a domo Convocationis ex iis qui jus suffragii ibidem habeant in triennium eligendi: proviso ne quis cistæ curator sit idem computorum delegatus. In termino Michaelis quotannis ante finem mensis Octobris fiat electio. Junior eorum qui primi sint electi post unum annum, alter post biennium, officio suo cedat. In locum cujusvis quoquo modo vacantem vel idem vel alius sub iisdem conditionibus subrogetur.

2. Liceat delegatis, si ipsis ita videbitur expedire, in muneribus suis obeundis opera rationarii uti; qui mercedem pro ratione laboris arbitrio curatorum cistae academicae æstimatam percipiat.

Item, ibid. (p. 154), cl. *De statis delegatis pro curatione et elocatione terrarum ad Universitatem spectantium*, nempe, verba "Cum varia negotia——sub iisdem conditionibus, subrogentur" (ubi hæc *secunda* vice leguntur) abrogare.

Item, Tit. XIII (XVII), Sect. III, § 3, *De computo Vice-Cancellarii*, (p. 191), abrogare.

Item, Sect. IV, § 6, (p. 197), verba "*De Procuratorum computo.* Procuratores——satisfaciant" abrogare, et in eorum locum hæc quæ sequuntur subrogare:

"*De mulctis et feodis in cistam academicam reponendis.*

1. "Mulctas a delinquentibus exactas Procuratores intra quindecim dies ex quo officiis suis cesserint cistæ academicæ curatoribus reddant: quo etiam tempore, si quas in usum Universitatis expenderint pecunias, hæ iis e cista academica restituantur. Feoda autem a scholaribus responsuris vel examinandis accepta

Procuratorum utervis, schedula sua nominum unaquaque completa, cistæ academicæ curatoribus statim tradat."

Item, Tit. XV (XIX), p. 210, lemma "DE FEODIS —— DISTRIBUTIONE" abrogare, et verba "DE FISCO UNIVERSITATIS" subrogare. Deinde hæc quæ sequuutur immediate subjicere:

§ 1. *De feodis et debitis ad Universitatem pertinentibus, et de eorundem distributione.*

Item, ibid. cl. 3 (p. 211 linea ultima), verba "Ad eadem privilegia quibus nostrates fruuntur......£1. 0. 0" abrogare.

Item, ibid. cl. 9 (p. 213) "Feoda et debita——quotannis pendere." abrogare.

Item, ibid. cl. 10 (p. 214), verba "Item Vice-Cancellario——referat." abrogare.

Item, ibid. cl. 14 (p. 215 lineis 1ma, 3tia, et 4ta), verba "professor logicæ," et verba "bedellus superior artium, divinitatis quem vocant clericus," necnon (p. 217) verba "Ad eadem privilegia quibus nostrates fruuntur......£0. 6. 0," atque verba "bedello superiori artium——honoris causa......£1. 1. 0" abrogare.

Item, ibid. (p. 218) verba ultima "pendat Vice-Cancellarius" abrogare, et in eorum locum verba "e cista academica pendatur" subrogare.

Deinde hæc quæ sequuntur verba immediate subjicere: "Cum etiam apud agrorum dominos moris sit pecunias ad parvulos informandos vel ut aliis pauperum necessitatibus subveniatur quotannis conferre, cistæ academicæ curatoribus liceat parochis locorum, ubi exstent prædia ad Universitatem spectantia, in tales usus quantum ipsis visum fuerit e pecuniis academicis quotannis pendere."

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die octavo mensis Maii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die decimo sexto ejusdem mensis Maii, et in eadem domo die vicesimo sexto ejusdem mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die quarto mensis Junii anno Domini MDCCCLXVIII.

Placuit Universitati:

Stat. Tit. Suppl. XIX. vi. (p. 275. ed. 1866.) tit. post verbum "*jurisprudentiæ*" verba "*et historiæ*" inserere.

1. verbum "annum" abrogare, et verbum "triennium" subrogare, necnon verba "finito——subrogetur" abrogare.

2. post verbum "recenseat." quæ sequuntur subjungere, "Indorum historiam et jurisprudentiam tractet prælector, necnon, si ei expedire videbitur, alias quoque jurisprudentiæ partes, quæ rerum Indicarum administrationem suscepturis sunt excolendæ."

3. verba "ducentas libras" abrogare, "libras ducentas et quinquaginta" subrogare.

5. "1862" abrogare, "1868" subrogare.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die decimo octavo mensis Maii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die vicesimo tertio ejusdem mensis Maii, et in eadem domo die vicesimo octavo ejusdem mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die quarto mensis Junii anno Domini MDCCCLXVIII.

Placuit Universitati:

Stat. Tit. II. Sect. II. cl. I (p. 4. ed. 1866), post verba "nisi qui in aliquod collegium vel aulam admissus fuerit" hæc quæ sequuntur inserere:

, vel a delegatis ad ædes licentiandas licentiam in ædibus privatis residendi impetraverit,

necnon post verbum "admissionem" verba "vel licentiationem" inserere.

Item, ibid. Sect. III. cl. I (p. 5), post verba "in suum collegium sive aulam fuerit admissus" hæc inserere:

, necnon delegati ad ædes licentiandas infra quindenam a tempore quo alicui licentia in ædibus privatis sine collegii nexu residendi concessa sit,

Item, ibid. (p. 9) has quæ sequuntur clausulas subjicere:

4. In schedulis nominum sive ab utrovis Procuratorum sive a moderatoribus sive ab examinatoribus publicis conficiendis, in formulis gratiarum sive concessarum sive proponendarum, et si quæ alia sint hujusmodi, ii qui nulli collegio vel aulæ censeantur *scholares non ascripti* vocentur.

5. Testimonia sive de bonis moribus sive de justa residentia, literas commendatorias in certamina academica, licentiam sumptus quosvis insolitos faciendi, gratias pro gradibus capessendis, atque alia hujusmodi, quæ aut a præfecto domus suæ aut ab ipsa domo petere scholares tenentur qui alicui collegio vel aulæ ascribantur, hæc ii qui nulli ascribantur petant a delegatis ad ædes licentiandas.

Item, ibid. Sect. II. (p. 9) hanc quæ sequitur clausulam subjicere:

6. Scholares itidem non ascripti a primo eorum ad academiam adventu per omnes quos ad gradum primum capessendum tenentur complere terminos singuli suos tutores habeant. Tutor scholaribus tutelæ suæ commissis invigilet, et eosdem probis moribus imbuat, necnon in studiis academicis et maxime (nisi forte extra ecclesiam Anglicanam sint) in rudimentis fidei et religionis instituendos curet. Nullus pro tutore se gerat nisi in aliqua facultate sit graduatus, et judicio delegatorum ad ædes licentiandas comprobatus, tribus saltem eorundem consentientibus. Nomina omnium sic comprobatorum in registro penes delegatos asservando inscribantur. Penes

unumquemque scholarem arbitrium sit tutorem quem velit eligendi e registro supradicto. His tutoribus in unumquemque scholarem eorum tutelæ commissum summa unius libræ singulis terminis e cista academica pendatur, terminis Paschatis et Trinitatis pro uno reputatis.

Item, ibid. Sect. III. (p. 9) *titulum* hunc ad modum refingere:
De non migrando sine venia.

Item, ibid. (p. 10) hanc quæ sequitur clausulam subjicere:

3. Ne quis scholaris e collegio quopiam vel aula in numerum scholarium non ascriptorum a delegatis ad ædes licentiandas transferatur, nisi qui testimonium a præfecto collegii sui vel aulæ, sive, eo absente, a deputato ejus, hanc ad formam conceptum exhibuerit:

Ego testor A. B. e collegio (vel *aula*) *C., qui prout per statuta requiritur per——terminos inibi resedit, per hoc tempus omni ex parte bene se gessisse, et me consentiente in numerum scholarium non ascriptorum transferri quærere.*
D. F., coll. C. præfectus.

Item, Tit. V. (VI.) Sect. I. § 1 (p. 64), verba "(hoc est——degentes)" abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare:

(hoc est, sive in collegio aliquo vel aula, sive in ædibus licentiatis ipsi licentiati hospitantes)

Item, ibid. § 2. cl. 3 (p. 65), post verba "ad Procuratorem seniorem," verba "ad singulos delegatos ad ædes licentiandas," inserere.

Item, ibid. Sect. II. § 1. cl. I (p. 70), verba "modo per omne id tempus ——fuerit ascriptus." abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare:

, modo per omne id tempus collegio vel aulæ cuipiam ascripti, vel in registro penes delegatos ad ædes licentiandas asservato inscripti fuerint. Quod si alicujus nomen per aliquod tempus a regestis sive collegii vel aulæ sive delegatorum ad ædes licentiandas abfuerit, id tempus pro nihilo habebitur.

Item, ibid. Sect. IV. § 1. cl. I (p. 72), post verba "in collegio vel aula quapiam" hæc inserere:

, vel in ædibus licentiatis ipse licentiatus,

Item, ibid. Sect. VII. cl. 5 (p. 83), verba "sive collegii alicujus sive aulæ fuerit scholaris" abrogare.

Item, Tit. VI. (IX.) Sect. I. § 4 (p. 85), post verba "vel aulæ alicujus" verba "vel in registro delegatorum ad ædes licentiandas" inserere; necnon post verba "vel aularum præfectis" verba "vel ex dictis delegatis" inserere.

Item, ibid. § 5 (p. 86), post verba "iisque absentibus eorum deputati;" hæc verba inserere:

item delegati ad ædes licentiandas stipendiarii, iisque absentibus aliquis qui in aliqua facultate rexit ab iis deputatus;

Item, ibid. Sect. II. § 3. cl. 6 (p. 90), post verba "ad Procuratorem seniorem," verba "ad singulos delegatos ad ædes licentiandas," inserere.

Item, ibid. § 4. cl. 29 (p. 99), post verba "ad utrumque Procuratorem," verba "ad singulos delegatos ad ædes licentiandas," inserere.

Item, ibid. § 7. cl. 6 (p. 105), post verba "ad Procuratorem juniorem," verba "ad singulos delegatos ad ædes licentiandas," inserere.

Item, ibid. § 8. cl. 47 (p. 117), post verba "ad utrumque Procuratorem," verba "ad singulos delegatos ad ædes licentiandas," inserere.

Item, ibid. Sect. III. § 1. cl. 1 (p. 120), post verba "in matricula Universitatis" verba "necnon in libro promptuarii collegii vel aulæ alicujus sive in registro delegatorum ad ædes licentiandas" inserere; necnon verba "quique—— censeatur" abrogare.

Item, ibid. cl. 4 (p. 121) hæc verba subjicere:

Scholares vero non ascriptos præsentet unus ex delegatis ad ædes licentiandas stipendiariis, vel aliquis ab iis in hanc rem consentiente Vice-Cancellario deputatus.

Item, ibid. cl. 5 (p. 122), post verba "vel censor" verba "sive præsentator" inserere; necnon post verba "vel aula sua" verba "vel a delegatis ad ædes licentiandas" inserere.

Item, ibid. § 2. cl. 4 (p. 123), verba "omnes e collegio suo præsentandos" abrogare, et verba "præsentandos quisque suos" subrogare.

Item, ibid. Sect. IV. § 1 (p. 124), in *titulo* post verba "*a collegio vel aula*" verba "*vel a delegatis ad ædes licentiandas*" inserere; necnon formulam gratiarum pro gradu Baccalaurei in Artibus hunc ad modum refingere:

Ego A.B. decanus *vel* censor collegii (*vel* aulæ) C.D. (*vel* decani *aut* censoris vicem-gerens), *vel* delegatus ad ædes licentiandas (*vel* a delegatis ad ædes licentiandas deputatus), testor E.F. (*vel si plures fuerint*, X, Y, &c.), e collegio (*vel* aula) C.D. (*vel* scholarem non ascriptum), quem (*vel* quos) per integrum tempus ad gradum Baccalaurei in Artibus per statuta requisitum intra academiam, prout statuta requirunt, cubile et victum continue sumpsisse scio, quatenus examen publicum subierit (*vel* subierint) et reliqua compleverit (*vel* compleverint) omnia quæ per statuta Universitatis requiruntur, (nisi quatenus cum eo dispensatum fuerit,) gratiam (*vel* gratias) a collegio suo (*vel* aula sua *vel* a delegatis ad ædes licentiandas) pro gradu Baccalaurei in Artibus concessam (*vel* concessas) fuisse; fide mea data huic Universitati. A.B. Decanus coll. C. *vel* delegatus &c.

Item, ibid. cl. 4 (p. 125), verba "in quo, (*vel*,——sumpsisse scio," abrogare, et hæc quæ sequuntur verba subrogare:

quem per integrum tempus ad gradum Baccalaurei in Medicina per statuta requisitum intra academiam, prout statuta requirunt, cubile et victum continue sumpsisse scio,

Item, ibid. cl. 11 (p. 128), verba "in quo, (*vel*,——aliqua privata," abrogare, et verbum "quem" subrogare; necnon post verba "per statuta requisitum" verba "intra academiam, prout statuta requirunt," inserere.

Item, ibid. Sect. VI. cl. 5 (p. 135), post verba "a domo sua" verba "vel, si non ascriptus fuerit, a delegatis ad ædes licentiandas" inserere; necnon post verba "decani vicem gerens" verba "vel unus e delegatis ad ædes licentiandas seu aliquis ab iis consentiente Vice-Cancellario deputatus" inserere.

Item, Tit. VII. (X.) Sect. I. § 1. cl. I (p. 144), itemque ibid. cl. 4 (p. 145), post verba "sive collegii sive aulæ" verba

", vel in registro delegatorum ad ædes licentiandas," inserere.

Item, ibid. cl. 10 (p. 146), post verba "conditiones prædictas vendicantium" hæc quæ sequuntur verba inserere:

, necnon a delegatis ad ædes licentiandas stipendiariis schedulam continentem nomina omnium Doctorum et Magistrorum non ascriptorum qui idem jus sibi vindicent.

Item, Tit. XI. (XV.) § 6 (p. 167), hanc quæ sequitur clausulam subjicere:

2. Omnes quorum ædes in usum scholarium licentiatæ sint fores domus quisque suæ hora nona post meridiem obserandas curent, nec ante horam sextam ante meridiem reserandas; quas inter horas ne quis scholaris non ascriptus qui ibi hospitetur exeat nisi ex causa rationabili a delegatis ad ædes licentiandas approbanda. Has inter horas quota quisque hora intraverit per dominum ædium in libro annotetur, qui liber delegatis semel saltem in quaque septimana deferatur. Si quando scholaris ab ædibus licentiatis per noctem abfuerit, rem delegatis dominus ædium statim renunciet.

Item, Tit. XII. (XVI.) § 7. cl. I (p. 178), post verba "qui pro tempore fuerit," verba "vel penes delegatos ad ædes licentiandas," inserere; necnon post verba "vel aulæ" verba "aut in registro delegatorum ad ædes licentiandas" inserere.

Item, Tit. XV. (XIX.) cl. I (p. 210), verba "Quivis alius.........2 10 0" abrogare, et hæc quæ sequuntur verba subrogare:

	£	s.	d.
Quivis alius, si collegio vel aulæ fuerit ascriptus	2	10	0
si non fuerit ascriptus	5	0	0

Item, ibid. cl. 6 (p. 212), post verba "Quotannis.........1 0 0" hæc quæ sequuntur verba subjicere:

	£	s.	d.
Præterea, si collegio vel aulæ non fuerit ascriptus, usque ad primum gradum susceptum, quotannis	3	10	0

Item, eidem clausulæ hæc verba subjicere:

Debita vero scholarium non ascriptorum terminis singulis ineuntibus colligant et transmittant delegati ad ædes licentiandas stipendiarii. Qui vero hæc debita intra quindenam a termino inito non persolverit, ei iste terminus pro nihilo habebitur.

Item, ibid. cl. 7, post verba "Liceat collegio vel aulæ" verba "sive delegatis ad ædes licentiandas" inserere; et (*paulo infra*) verba "a collegio vel aula" abrogare: necnon post verba "domus alicujus" (p. 213) verba "vel, si non ascriptus fuerit, in registro delegatorum ad ædes licentiandas" inserere.

De statutis his rogandis, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die octavo mensis Maii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die vicesimo ejusdem mensis Maii, et in eadem domo die tertio mensis Junii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die undecimo ejusdem mensis Junii anno Domini MDCCCLXVIII.

Placuit Universitati:

Stat. Tit. VII. (X.) sect. II. § 4. (p. 155. ed. 1866.) post statutum de delegatis musei academici, hæc quæ sequuntur inserere.

De delegatis ad ædes licentiandas.

Delegati sint quinque, ad ædes privatas licentiandas in quibus hospitentur scholares quibus licentia residendi concessa fuerit juxta conditiones in Stat. Tit. III. sect. I. 4. enumeratas, necnon ad ædes licentiandas in quibus hospitentur scholares qui justum terminorum numerum intra collegia sua vel aulas compleverint: scilicet Vice-Cancellarius et Procuratores una cum duobus stipendiariis a Vice-Cancellario et Procuratoribus ex iis qui in aliqua facultate rexerint in quadriennium nominandis et a domo Convocationis approbandis. Stipendiariorum utrique pendatur e cista academica summa librarum centum annuatim. Eorum qui primo loco nominati fuerint junior post biennium loco cedat.

Horum munus esto conditiones sub quibus ædes privatæ in hunc usum licentiandæ sint a venerabili domo Convocationis approbandas constituere; ædes in hunc usum destinatas inspicere; inspectas et approbatas in unum annum licentiare; licentiatis invigilare, et easdem singulis terminis ad minimum vel prout occasio requirat visitare; licentias si visum fuerit revocare.

Registrum ædium privatarum quibus licentiæ concessæ fuerint singulis terminis publici juris faciant delegati.

Ratio actorum a delegatis quotannis in domo Convocationis proponatur, et typis mandetur.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die vicesimo octavo mensis Februarii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die duodecimo mensis Martii, et in eadem domo die vicesimo primo ejusdem mensis Martii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die undecimo mensis Junii anno Domini MDCCCLXVIII.

Placuit Universitati:

Stat. Tit. III. sect. I. *Ne quis scholaris in domibus privatis victitet aut hospitetur* (p. 9, ed. 1866.) hæc quæ sequuntur subjicere.

6. Proviso etiam ut, sub conditionibus posthac enumerandis, scholaribus liceat in ædibus privatis victum sumendo et pernoctando terminos suos complere, sive collegio vel aulæ ascribantur sive non, modo per legitimum tempus resideant; de qua re in unoquoque termino delegatis ad ædes licentiandas satisfiat.

Ne quis tamen hoc privilegio fruatur, nisi delegatis satisfactum fuerit de his rebus:

(1) de parentum eorumve qui in loco parentum sint consensu;

(2) de bonis moribus;

(3) de idoneo profectu in literis humanioribus et in disciplinis mathematicis et physicis;

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die nono mensis Martii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die duodecimo ejusdem mensis Martii, et in eadem domo die vicesimo primo ejusdem mensis Martii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die undecimo mensis Junii anno Domini MDCCCLXVIII.

Placuit Universitati:

Stat. Tit. VI. (IX.) sect. II. §. 3. cl. 3 (p. 89. ed. 1866) hæc verba inserere:

Nemini autem eorum qui nullum honorem ambiunt examen suum cedat pro forma, qui ante inchoatum a tempore matriculationis suæ terminum quintum nomen suum coram Procuratore professus fuerit.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die vicesimo quinto mensis Maii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die vicesimo octavo ejusdem mensis Maii, et in eadem domo die quarto mensis Junii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die duodecimo ejusdem mensis Junii anno Domini MDCCCLXVIII.

Placuit Universitati:

Stat. Tit. III. (p. 7), verba "DE SCHOLARIBUS——COMPELLENDIS" abrogare, et verba "DE SCHOLARIUM RESIDENTIA" subrogare; necnon verba "*Ne quis——hospitetur*" abrogare, et verba "*De scholarium intra academiam commoratione*" subrogare.

Item, Tit. III. Sect. I. cl. 1 (p. 7) abrogare, et hanc quæ sequitur clausulam subrogare:

1. Scholares qui collegio alicui vel aulæ ascripti fuerint in collegio quisque suo vel aula victum sumere et pernoctare tenentur; nec quisquam horum in ædibus privatis hospitetur, nisi cum consensu domus suæ per præfectum domus (vel, eo absente, deputatum ejus) Vice-Cancellario significando, necnon delegatorum ad ædes licentiandas. Quod si quis secus fecerit, id tempus quo sic deliquerit ne ad complendum terminum ullo modo reputetur. Ædes autem in quibus quisquam sit hospitaturus ab iisdem delegatis licentientur.

Item, ibid. cl. 2 (p. 8) "Quicunque——interdicatur." abrogare.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die quinto mensis Junii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die nono ejusdem mensis Junii, et in eadem domo die decimo tertio ejusdem mensis Junii probatum; tandem in domo Convocationis publicatum et confirmatum die vicesimo ejusdem mensis Junii anno Domini MDCCCLXVIII.

Placuit Academiæ:

Statt. Tit. XII. (XVI.) § 8, cl. 1 (p. 179, ed. 1866), post verba "designatio fiat" hæc quæ sequuntur inserere:

in termino Michaelis, mense scilicet Novembri, quolibet anno,

Item, ibid. cl. 3, verba "prima vice——deinde;" abrogare, et verba "ii scilicet," subrogare.

Item, ibid. § 12 (p. 182) cl. 1 post verbum "accedant," hæc quæ sequuntur inserere, "nisi causa rationabilis eos poterit inde probabiliter excusare." necnon verba "et eisdem——mulctetur" abrogare.

Item, ibid. (p. 183) cl. 3 "At si quis——amoveatur" abrogare.

Item, ibid. cl. 4 et cl. 5 "Denique——teneantur" abrogare.

Item, Tit. XIX. Sect. IV. *Supplementum ad Statt. Tit. XII. (XVI.)* § 12 (p. 271) cl. 1 "et eisdem——mulctetur" abrogare, et post verbum "accedant" verba "nisi causa rationabilis eos poterit inde probabiliter excusare." inserere.

Item, ibid. cl. 3 "At si quis——amoveatur" abrogare.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die decimo octavo mensis Maii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die vicesimo sexto ejusdem mensis Maii, et in eadem domo die decimo mensis Junii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die tricesimo mensis Octobris anno Domini MDCCCLXVIII.

Placuit Universitati:

Statt. Tit. VII (X), Sect. I, § 1, cl. 3 (p. 148, ed. 1868) verba

ego Vice-Cancellarius &c. admitto te" (*vel* "vos) ad hanc domum Convocationis" (*vel* "Congregationis) necnon in alteram domum Congregationis" (*vel* "Convocationis)."

abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare;

licebit tibi" (*vel* "vobis) post centum et octoginta dies ex hoc die numerandos jus suffragandi in domo Convocationis exercere."

Item, ibid. cl. 9 (p. 149) verba "aut ad eadem privilegia sine incorporatione," abrogare.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die vicesimo sexto mensis Octobris. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die quarto mensis Novembris, et in eadem domo die decimo quarto ejusdem mensis Novembris probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo quarto ejusdem mensis Novembris anno Domini MDCCCLXVIII.

Placuit Universitati:

Statt. Tit. XV (XIX), § 1, cl. 6 (p. 215, ed. 1868) verba "Ut autem constet ——transmittat" abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare:

videlicet, intra quindenam a festo Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, ab ultimo die termini S. Trinitatis, a festo S. Michaelis et omnium Angelorum, a festo S. Thomæ Apostoli.

Item, ibid. ad finem, post § 2. *De Cistæ Academicæ Curatoribus*, (p. 222), hæc quæ sequuntur addere:

§ 3. *De annuis debitis colligendis.*

Quo facilius et certius annua debita colligantur, quater quotannis, videlicet, intra quindenam a festo Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, ab ultimo die termini S. Trinitatis, a festo S. Michaelis et omnium Angelorum, a festo S. Thomæ Apostoli, ex unoquoque collegio et aula ad cistæ academicæ curatores transmittatur, præfecti domus vel bursarii chirographo munitus, omnium academicorum catalogus qui singulis diebus supra dictis nomina sua in promptuarii libro istius domus habuerint inscripta. Pari ratione academicorum nulli collegio vel aulæ ascriptorum catalogus per delegatos ad ædes licentiandas transmittatur. Quibus in catalogis seorsim ponantur nomina, primo, eorum qui suffragii jure in domo Convocationis fruantur, secundo, eorum qui, licet gradu A.M. aut superiore aliquo insigniti sint, tamen isto jure quacunque de causa non fruantur. Siglis insuper propriis notentur nomina eorum qui una pensione debita omnia academica dissolverint, eorum qui feoda Universitati debita in alio quopiam collegio vel aula persolvere soleant, necnon eorum (si qui sint) qui monitioni de feodis non persolutis per præfectum domus suæ vel bursarium aut per dictos delegatos transmissæ nondum paruerint: quibus solum exceptis feoda a cæteris omnibus debita una cum singulis catalogis transmissis persolvantur. Monitio autem unicuique transmittatur qui intra quindenam a singulis diebus præscriptis feoda Universitati debita non persolverit.

Item, Tit. VI (IX), Sect. 1, § 4, *De Magistris necessario regentibus* (p. 87), verba "Quolibet anno —— per biennium habeantur" abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare:

Ter in anno, non ut antehac semel modo, academici ad incipiendum in aliqua facultate admissi jus regentiæ consequantur; scilicet, post terminos Michaelis, Hilarii, et S. Trinitatis singulos finitos. Primo igitur cujuslibet vacationis die quicumque in termino proxime præterito (terminis Paschatis et S. Trinitatis pro uno habitis) ad incipiendum in aliqua facultate admissi fuerint non solum solenniter incepisse reputentur, sed etiam ad suam in singulis facultatibus regentiam (id est, ad omnes actus necessariæ suæ regentiæ exercendos) admissi esse; si modo eo die nomina sua in promptuarii libro collegii alicujus vel aulæ aut in registro delegatorum ad ædes licentiandas inscripta habeant. Qui Magistri et Doctores necessario regentes per biennium a singulis diebus præscriptis habeantur. Quo autem ordine ad incipiendum admissi fuerint, eodem senioritatem sortiantur.

Item, Tit. VII (X), Sect. I, § 1, cl. 10 "Ut melius vero——teneri noverint" (p. 149) abrogare, et has quæ sequuntur clausulas subrogare :

10. Nemini autem de feodis Universitati non persolutis monito suffragii jus liceat in domo Convocationis exercere, donec omnia persolverit. Qui vero intra sex menses a data monitione non persolverit, is ab Universitate discessisse et jus suffragii resignasse reputetur.

11. Ut melius vero innotescat quibus jus suffragandi competat, catalogum nominum omnium Doctorum et Magistrorum jus istud secundum conditiones prædictas vendicantium, e catalogis ad cistæ academicæ curatores per singulos collegiorum et aularum præfectos et delegatos ad ædes licentiandas transmissis confectum, Vice-Cancellarius semel quotannis post festum S. Michaelis et omnium Angelorum, et si quando alias ipsi expedire videbitur, typis mandandum et publici juris faciendum curet. Omnes autem quorum nomina in illum referuntur catalogum ad omnia onera subeunda gradui suo competentia se firmiter teneri noverint.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die vicesimo sexto mensis Octobris. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die quarto mensis Novembris, et in eadem domo die decimo quarto ejusdem mensis Novembris probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo quarto ejusdem mensis Novembris anno Domini MDCCCLXVIII.

Placuit Universitati:

Statt. Tit. III. Sect. I. 1 (p. 7. ed. 1868), verba "id tempus quo sic deliquerit ne ad complendum terminum ullo modo reputetur" abrogare, et hæc verba subrogare: "pro eo tempore quo sic deliquerit Universitatis privilegiis non fruatur et crescente contumacia a Vice-Cancellario per spatium unius vel plurium terminorum ad arbitrium Vice-Cancellarii ab Universitate banniatur."

Ibid. Sect. I. 5 (p. 8), post verba "de qua re" hæc verba inserere: "(quoad scholares non ascriptos attinet)."

Ibid. Sect. I (p. 9. ed. 1868), post verba "mathematicis et physicis." hæc verba inserere:—"6. Proviso etiam ut Scholari alicui liceat in ædibus privatis non licentiatis commorari, si ipse a Delegatis ad ædes licentiandas veniam impetraverit, dummodo maturiore sit ætate, vel apud parentes suos commorari velit, vel ob specialem aliquam causam venia dignus videatur."

Ibid. Sect. III. 3 (p. 11), hæc verba subjicere:

"Quo testimonio non obtento, post integrum annum extra Universitatem exactum liceat delegatis eum in numerum scholarium non ascriptorum admittere data simpliciter venia a præfecto domus e qua recesserit."

Tit. VII. (X.) Sect. II. § 4 (p. 158): pro verbo "terminis" verbum "annis" substituere.

Ibid., post verba "licentias si visum fuerit revocare." hæc verba addere: "Leges conscribant et publici juris faciant Delegati, quibus Scholares non ascripti disciplina contineantur; et in hos scholares eandem fere auctoritatem exerceant Delegati qua utuntur in Scholares suos præfecti collegiorum et aularum;" et post verba "publici juris faciant delegati." hæc verba addere: "Registrum itidem scholarium omnium non ascriptorum, necnon eorum qui ad gradum aliquem superiorem promoti fuerint, eodem fere modo quo a promis collegiorum id fit, penes Delegatos asservetur. Quod quidem registrum de scholaribus non ascriptis idem pro testimonio valeat ac liber promptuarii cujusvis collegii vel aulæ de scholaribus ejusdem domus valet."

Tit. XI. (XV.) Sect. VI. 2 (p. 170), pro verbo "nona" verbum "decima" substituere.

Tit. XV. (XIX.) Sect. I. 1 (p. 213), post verba "vel biblioclericus" hæc verba inserere: "sive scholaris in collegium aliquod vel aulam ita admissus ut cibum et tutelam gratis accipiat."

Ibid. (p. 214), post verba "notet Vice-Cancellarius" hæc verba addere, "Si scholaris aliquis e collegio aliquo vel aula in numerum scholarium non ascriptorum referatur, solvat summam quinque librarum, summa deducta quam inter matriculandum jam persolverit."

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die secundo mensis Novembris. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die decimo ejusdem mensis Novembris, et in eadem domo die vicesimo ejusdem mensis Novembris probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die tertio mensis Decembris anno Domini MDCCCLXVIII.

Placuit Universitati:

Statt. Tit. II, Sect. IV *De laicis ad privilegia Universitatis admittendis* (p. 5, ed. 1868), verba "juramentum præstet" abrogare, et in eorum locum verbum "admoneatur" subrogare; necnon verba "et insuper juret——obsequio permanserit" abrogare.

Item, Tit. V (VI), Sect. IV, § 2 in lemmate (p. 75) verba "*et juramento onerandis*" abrogare: necnon cl. 3 verba 'coram Vice-Cancellario——*vel denegando.*" Resp. "*Juro*"' abrogare, et in eorum locum hæc quæ sequuntur subrogare;

spondeant coram Vice-Cancellario, verba præeunte Procuratore seniore, sub hac forma: "*Tu dabis fidem te munus et officium examinatoris publici in facultate Juris Civilis sedulo et fideliter, omni odio et amicitia, spe et timore sepositis, pro virili exsecuturum, forma et modo per statuta requisitis.*" Resp. "*Do fidem.*"

Item, ibid. Sect. V, § 2 in lemmate (p. 79) verba '*et juramento onerandis* abrogare: necnon cl. 4 (p. 80) verba 'coram Vice-Cancellario——*vel denegando.*" Resp. "*Juro*"' abrogare, et in eorum locum hæc quæ sequuntur subrogare;

spondeant coram Vice-Cancellario, verba præeunte Procuratore seniore, sub hac forma: "*Tu dabis fidem te munus et officium examinatoris publici in facultate Medicinæ sedulo et fideliter, omni odio et amicitia, spe et timore sepositis, pro virili exsecuturum, forma et modo per statuta requisitis.*" Resp. "*Do fidem.*"

Item, Tit. VI (IX), Sect. II, § 2 in lemmate (p. 89) verba "*et juramento onerandis*" abrogare: necnon cl. 7 (p. 90) verba "coram Vice-Cancellario——in hæc verba" abrogare, et in eorum locum hæc quæ sequuntur subrogare; ", antequam munus suum ineant, spondeant coram Vice-Cancellario, verba præeunte Procuratore seniore, sub hac forma:" necnon (p. 91) verbum "*jurabis*" abrogare, et in ejus locum verba "*dabis fidem*" subrogare: necnon verbum "*Juro*" abrogare, et verba "*Do fidem*" subrogare.

Item, ibid. § 6 in lemmate (p. 105) verba "*et juramento onerandis*" abrogare: necnon cl. 5 (p. 106) verba "coram Vice-Cancellario——in hæc verba" abrogare, et in eorum locum hæc quæ sequuntur subrogare; ", antequam munus suum ineant, spondeant coram Vice-Cancellario, verba præeunte Procuratore seniore, sub hac forma:" necnon verbum "*jurabis*" abrogare, et in ejus locum verba "*dabis fidem*" subrogare: necnon verbum "*Juro*" abrogare, et verba "*Do fidem*" subrogare.

Item, ibid. § 8, cl. 2 (p. 109) verba "et hanc sibi sanctam habeant juramenti sui interpretationem" abrogare.

Item, ibid. Sect. III, § 2, cl. 7 (p. 127) verba "juramentum primatus regii ——osculentur. Tunc idem" abrogare: necnon cl. 8 (p. 128) verba "Quibus præstitis juramentis et" abrogare, et verba "Qua sic facta" subrogare.

Item, ibid. cl. 10 "Quoniam vero——perhibeatur" abrogare.

Item, ibid. Sect. VI, cl. 6 (p. 139) verba "juramentum vero de primatu regiæ majestatis et juramentum fidelitatis susceperit" abrogare.

Item, ibid. Sect. VIII, § 3 verba "juramentum de primatu regiæ majestatis suscepisse, et" (p. 143) abrogare.

Item, Tit. VII (X), Sect. II, § 3 (p. 153) verba '*Juramentum Procuratorum——consenserit*"' abrogare.

Item, Tit. XII (XVI), § 11, cl. 1 (p. 185) verba "virtute juramenti" *bis* abrogare.

Item, Tit. XIII (XVII), Sect. I, § 1, cl. 2 (p. 187) verba "A quo quidem ——exiget" abrogare, et in eorum locum hæc quæ sequuntur subrogare; "Qui quidem Cancellarius in sua ad officium admissione spondeat, verba præeunte Vice-Cancellario, sub hac forma:" necnon cl. 3 verba '*Sicut Deus te adjuvet, &c.*"' (p. 188) abrogare, et verba 'Resp. "*Do fidem.*"' subrogare.

Item, ibid. § 2, cl. 12 (p. 189) verba "Juramentum annuum" abrogare, et verba "Sponsionem annuam in loco juramenti hactenus exacti" subrogare.

Item, ibid. Sect. II, cl. 7 (p. 190) verba "corporale juramentum præstabit" abrogare, et verbum "spondebit" subrogare.

Item, ibid. Sect. III, § 1, cl. 1 (p. 191) verba "virtute juramenti" abrogare.

Item, ibid. cl. 3 "Tum vero——præstat" abrogare, et hanc quæ sequitur clausulam subrogare;

3. Tum vero novus Vice-Cancellarius spondeat, verba præeunte Procuratore seniore, sub hac forma:

necnon cl. 4 verba '*Sicut Deus te adjuvet," &c.*' abrogare, et verba 'Resp. "*Do fidem.*"' subrogare.

Item, ibid. cl. 5 verba "Qui si——noverint" abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare;

Qui si præsentes fuerint, exigente Procuratore seniore, eandem sponsionem quam ipse Vice-Cancellarius illico facient; sin minus, in proxima Congregatione: ad quam utique faciendam et deputati munus in se recipiendum tenere se noverint.

Item, ibid. § 2, cl. 7 (p. 193) verba "Ut annua —— exigantur" abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare; "Ut sponsiones annuæ in loco juramentorum hactenus exactorum a vice-comite et sub-vice-comite comitatus Oxoniensis exigantur."

Item, ibid. Sect. IV, § 4, cl. 5 (p. 198) "Tunc vero —— oneret" abrogare, et hanc quæ sequitur clausulam subrogare;

5. Tunc vero uterque eorum spondeat, verba præeunte Vice-Cancellario, sub hac forma:

necnon cl. 6 verbum "*jurabis*" abrogare, et in ejus locum verba "*dabis fidem*" subrogare: atque post verbum '*procurabis.*"' hæc quæ sequuntur subjicere; 'Resp. "*Do fidem.*"'

Item, ibid. cl. 8 verba "eodem quo ipsi Procuratores juramento" abrogare, et verba "eadem qua ipsi Procuratores sponsione mutatis mutandis" subrogare.

Item, *ibid.* § 5 (p. 199) verba "inceptores quoscunque —— exigere" abrogare.

Item, ibid. Sect. V, cl. 2 (p. 201) verba "coram Vice-Cancellario —— onerentur" abrogare, et verba "spondeant coram Vice-Cancellario, verba præeunte Procuratore seniore," subrogare; verbum "*jurabis*" abrogare, et verba "*dabis fidem*" subrogare; atque post verbum '*exequeris.*"' hæc quæ sequuntur subjicere; 'Resp. "*Do fidem.*"'

Item, ibid. Sect. VII, cl. 2 (p. 202) verba 'jurabit, "*Quod omnia —— observabit: et*' abrogare, et verbum "spondebit," subrogare.

Item, ibid. Sect. VIII, cl. 4 (p. 204) verba "(præter consuetum —— præstabunt;" abrogare, et verba "sponsionem, exigente Procuratore seniore, facient;" subrogare: necnon cl. 5 verbum "aliud" abrogare, et verbum "aliam" subrogare; verba "*jurabitis quod —— patiemini; sed*" abrogare, et verba "*dabitis fidem quod*" subrogare; atque verba '*Sicut Deus —— Evangelia.*"' abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare; 'Resp. "*Do fidem.*"'

Item, ibid. Sect. IX, cl. 3 (p. 205) verba "juramentum præstet" abrogare, et verbum "spondeat" subrogare.

Item, Tit. XIV (XVIII), Sect. I, cl. 1 (p. 206) verba "juramentum corporale præstabit" abrogare, et verba "sponsionem faciet" subrogare.

Item, ibid. Sect. II, § 1, cl. 3 et cl. 4 (p. 207) 'Electum —— Resp. "*Do.*"' abrogare: necnon cl. 5 verba "Tum vero Vice-Cancellarius eundem" abrogare, et verba "Electum unumquemque Vice-Cancellarius" subrogare.

Item, Tit. XVI (XX), Sect. III, § 2, cl. 3 (p. 225) verba "juramentum —— simulque" abrogare.

Item, ibid. § 5, cl. 1 (p. 227) verba "juramentum —— simulque" abrogare.

Item, Tit. XVII (XXI) DE JUDICIIS, § 1 (p. 244) ad finem verba "virtute juramenti Universitati præstiti" abrogare, et verba "fide sua Universitati data" subrogare.

Item, ibid. § 3, cl. 2 (p. 246) verba 'corporale juramentum——*terminabit*'' abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare;

spondeat, *quod ea quæ ad officium Assessoris in curia Cancellarii spectant fideliter exsequetur; et quod sine acceptione personarum, secundum jura regni et statuta ac consuetudines ipsius Universitatis, causas sine mora aut dilatione audiet et terminabit.*

Item, ibid. § 4, cl. 1 verba "juramentum præstet" abrogare, et verbum "spondeat" subrogare.

Item, ibid. § 5, cl. 1 (p. 247) verba 'Qui etiam —— *detrimenti capiat.*'' abrogare.

Item, ibid. § 15, cl. 6 (p. 253) verba "virtute juramenti" abrogare.

Item, ibid. § 19, cl. 4 (p. 256) verba "juramentum præstet" abrogare, et verba "sponsionem faciat" subrogare.

Item, ibid. § 20, cl. 4 (p. 257) verba "virtute juramenti Universitati præstiti" abrogare.

Item, Tit. XVIII, Sect. I, § 4, cl. 2 (p. 263) verba "juramenta——præstent: insuper" abrogare, et verba "coram Vice-Cancellario spondeant," subrogare.

Item, ad calcem (p. 285), τὴν Ἐπινομίδα *seu Explanationem Juramenti &c.* abrogare.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die vicesimo tertio mensis Novembris. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die tertio mensis Decembris, et in eadem domo die decimo ejus mensis Decembris probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo septimo ejusdem mensis Decembris anno Domini MDCCCLXVIII.

Placuit Universitati:

Statt. Tit. XV. (XIX.) § 1. cl. 2. (p. 214, ed. 1868) abrogare verba

"In secunda examinatione publica			
pro schola literarum humaniorum	1	1	0
Item pro quavis alia schola, vel si honores in literis humanioribus ambiat	0	10	0"

et quæ sequuntur verba subrogare

In secunda examinatione publica			
pro examinatione in rudimentis fidei et religionis, vel in materie substituenda	1	0	0
Item pro schola quavis	0	10	0

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die primo mensis Februarii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die nono ejusdem mensis Februarii, et in eadem domo die vicesimo tertio ejusdem mensis Februarii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die nono mensis Martii anno Domini MDCCCLXIX.

Placuit Universitati:

Stat. Tit. XVI. (XX.) Sect. vi. *De Institutione Tayloriana*, §§ 1–7. (pp. 239–242. ed. 1868.) abrogare, et hæc quæ sequuntur statuere;

Regulations of the Taylor Institution.

1. There shall be nine Curators of the Taylor Institution, namely:—
   The Vice-Chancellor;
   The Regius Professor of Modern History;
   The Professor of Comparative Philology;
   Four Members of Convocation, nominated by the Vice-Chancellor and Proctors, subject to the approval of Convocation, holding office for five years, and re-eligible.
   Two Members of Convocation elected for ten years by the Curators from among the non-official Members of their own body. Any such Curator, however, whose term of ten years shall have expired, shall be capable of being re-elected to the place which he has so vacated.
   If any non-official Curator shall cease to reside within the University, his Curatorship shall be declared vacant by the Vice-Chancellor.

2. The Curators shall hold three Stated Meetings in every year, and shall meet at other times when summoned by the Vice-Chancellor. The stated meetings shall be held in the second week of February, the second week of May, and the second week of November, on such days as the Vice-Chancellor shall appoint. Four Curators shall be a Quorum. When the votes are equal, the Vice-Chancellor shall have a casting vote.

3. The Teachers, the Librarian, and every officer and servant of the Institution shall be appointed, and removable, by the Curators. Every appointment of a Teacher shall be subject to the approval of Convocation.

4. For the teaching of Modern Languages within the Institution there shall be so many Teachers, and of such languages, as the Curators shall from time to time determine. Each Teacher shall be appointed for not more than five years, but shall be re-eligible. Every Teacher shall reside within the University during every Academical Term unless he shall have obtained from the Curators leave of absence for a specified period. It shall be the duty of every Teacher to give instruction within the Institution to Members of the University during seven weeks at least in every Term (Easter and Act Terms being counted as one), and six hours at least in each week; to conform to such regulations as the Curators may make respecting the hours and mode of teaching, the arrangement of classes, the books to be used, and other matters of a like nature; to make a terminal Report to the Curators in such form as they may direct, and to furnish them from time to time with such information respecting his work within the Institution as they may require; and to assist in Examinations for Scholarships, if and in such manner as he may be required so to do by the Curators.

5. No Teacher may receive Members of the University as private pupils without having previously obtained permission to do so from the Curators, and no Teacher shall receive any private pupils within the Institution.

6. The stipend of each Teacher shall be at the rate of £150 *per annum*. The Curators may, if they shall think fit, require from all persons attending the Teachers' Lectures payment of fees, not to exceed £1 for each Term. All fees so received shall be paid over to the Teachers in respect of whose Lectures they are received. The Curators may also in their discretion make additional payments to Teachers in augmentation of their stipends, if and on such a scale as the Curators may think just and reasonable, having regard to the number of Lectures delivered and the state of the funds of the Institution.

7. The Curators may make arrangements for the delivery from time to time within the Institution of Lectures on the literature or language of any of the Nations of Modern Europe, and may pay, out of the annual income of the Institution, to each person who shall deliver such Lectures, such a sum of money by way of honorarium as they shall think fit.

8. There shall be awarded annually, provided there be two Candidates of sufficient merit, a Scholarship and an Exhibition of the values of £50 and £25 respectively, tenable for one year, and open to all Members of the University who shall not have exceeded the Twenty-third Term from their Matriculation.

9. The general subject-matter of the Examination for the Scholarship and Exhibition shall be one or more of the languages taught within the Institution, Comparative Philology as applied to the same, and the literature of such selected language or languages. The Curators shall fix from time to time the particular subjects of each Examination, of which they shall issue notice one year at least previous to such Examination.

10. The Professor of Comparative Philology shall be an Examiner *ex officio*, and the Curators may appoint one or more additional Examiner or Examiners, to each of whom they may pay a sum not exceeding £10.

11. Every Candidate for a Scholarship shall send to the Curators his name, a certificate of his academical standing, and the consent in writing of the Head or Vicegerent of his College or Hall, three clear days at least before the day appointed by the Curators for the commencement of the Examination.

12. A Candidate who has obtained an Exhibition may in a subsequent year be elected to the Scholarship; but no Candidate who has been elected to a Scholarship shall be afterwards admitted to competition.

13. The Curators may, if they shall deem it expedient and the funds at their disposal shall in their judgment be sufficient, establish, or offer for competition from time to time, an additional Scholarship or Exhibition, of such value, and to be awarded on an Examination in such subjects connected with Modern Languages and Literature, as they may determine.

14. The Librarian shall reside within the University during the whole of every year, except when the Library is closed; but the Curators may grant to

him leave of absence for a specified time. He shall discharge such duties in respect of the Library, and generally in reference to the Institution, as may be assigned to him by the Curators.

15. The Curators may fix from time to time the stipend of the Librarian, provided it do not exceed £150 *per annum*. They may, if they shall think fit, appoint an Assistant in the Library at a reasonable stipend, either in addition to or in lieu of the Librarian, and may in the latter case provide for the performance of the Librarian's duties in such manner as they may deem expedient.

16. The Library shall be open, on such days and at such hours as the Curators shall appoint, to Members of the University, to the Teachers, and to such other persons as shall have obtained from the Curators permission in writing to read therein; such permission to be granted only on a Recommendation in writing signed by two Members of Congregation, not being Curators, personally acquainted with the applicant. Members of the University and Teachers may, if the Curators shall think fit, be allowed to borrow books from the Library; and the Curators may in their discretion extend this privilege, by permission in writing (to be granted only on a like Recommendation), to persons who, though not belonging to either of the above classes, shall be residing in the University for the purpose of study or the prosecution of any work or employment connected with literature or science. The Curators may make and enforce such regulations as they may deem expedient to secure the proper use of the Library by persons admitted thereto, and to prevent abuse of the privilege of borrowing books by persons enjoying the same.

17. The Curators may keep, for the service of the Institution, a Porter or any other servant or servants who may be required, at reasonable wages; and may at their discretion permit, or require, such Porter or servant, or the Librarian or Assistant in the Library, to occupy rooms and reside within the walls of the Institution.

18. The Curators shall in every year set apart, out of the income of the Institution, such a sum at least as added to the annual premium paid for Insurance against Fire would amount to £100. The sums so set apart shall form a separate fund and the income shall be accumulated, and the fund and its accumulations shall be at the disposal of the Curators for extraordinary repairs and unforeseen expenses. The residue of the income, after payment of stipends, Scholarships and Exhibitions, ordinary repairs, and all other necessary expenses and outgoings, shall be expended in maintaining and extending the Library by the purchase of books and periodicals.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die octavo mensis Februarii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die decimo octavo ejusdem mensis Februarii, et in eadem domo die secundo mensis Martii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die duodecimo ejusdem mensis Martii anno Domini MDCCCLXIX.

Placuit Universitati:

Statt. Tit. V (VI), Sect. VI, § 1 (p. 83, ed. 1868), verbum "septennium" abrogare, et verbum "triennium" subrogare.

Item, Tit. VI (IX), Sect. IV, § 1, cl. 6 (p. 130), verbum "septem" abrogare, et verbum "tres" subrogare; necnon verba "semel responderit et bis opposuerit" abrogare, et verba "duas dissertationes recitaverit" subrogare.

Item, ibid. cl. 10 (p. 132), verba "sex solennes lectiones vel tres ad minimum cursorias" abrogare, et verba "tres lectiones" subrogare.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die decimo quinto mensis Februarii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die vicesimo tertio ejusdem mensis Februarii, et in eadem domo die nono mensis Martii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo quinto mensis Aprilis anno Domini MDCCCLXIX.

Placuit Universitati:

Statt. Tit. IV. Sect. I. ad finem (p. 57, ed. 1868) hæc quæ sequuntur subjicere:

§ 38. *De professore Jurisprudentiæ a Collegio Corporis Christi constituto.*

Quoniam e proventibus collegii Corporis Christi summa sexcentarum librarum ad fundandam aliquam professionem annuatim solvenda esset, et quoniam collegio placuerit consentiente Academia professionem jurisprudentiæ constituere,

Placuit Academiæ hæc sancire—

1. Eligatur professor ab aliquo e Societate Collegii Corporis Christi ad hoc munus deputato, a professore Regio Juris Civilis, a professore juris belli et pacis Chicheleiano, et a duobus viris propter juris peritiam a Collegio Corporis Christi in perpetuum nominandis et a venerabili domo Convocationis approbandis.

2. Professor quotannis per tres menses in Universitate incolat et commoretur in pleno termino; proviso, ut electoribus supradictis liceat hanc conditionem relaxare siquando id expedire videatur.

3. Professoris munus esto legum historiam tractare; leges diversarum gentium inter se comparare; principia juris exponere; alia in materie sua docere quæ usibus academiæ expedire putaverit.

4. Quod si professor insigniter negligens in officio suo, vel notabiliter insufficiens fuerit, vel si pravis moribus Academiam dedecoraverit, vel si statutis ad ipsum spectantibus morem gerere recusaverit, Vice-Cancellario rem proponente, prius conventus, auditus (si ipsi libuerit) et convictus, admoneatur, vel etiam, si aliter malo occurri non possit, a munere suo moveatur per Vice-Cancellarium et Delegatos appellationum in Congregatione aut majorem partem eorum.

5. Si evenerit ut professor ad tempus valetudine impediatur quominus officio suo fungatur, ei Deputatum idoneum et Vice-Cancellario probatum, qui professoris muneribus durante infirmitate fungatur, nominare liceat: id quod exigere poterit Vice-Cancellarius, si sponte professor in hac parte statuto non satisfecerit.

6. Si professor senio, morbo diuturno, incurabili impotentia, aut debilitate vel animi vel corporis fractus, suæ professioni perficiendæ non suffecerit, virum, secundum ea quæ in hoc Statuto decernuntur idoneum, qui professoris muneribus fungatur, iis quibus professorem ipsum eligendi cura delegata est, rem proponente Vice-Cancellario, nominare liceat.

7. Si quando Deputatus muneribus professoris fungatur, determinet Vice-Cancellarius quantum ex professoris emolumentis Deputato persolvendum sit.

8. Si quid statuerit academia de materie numero aut tempore lectionum, de rationibus docendi, et de auditoribus examinandis, id observet quicunque tum erit professor.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die vicesimo secundo mensis Februarii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die secundo mensis Martii, et in eadem domo die duodecimo ejusdem mensis Martii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die decimo quinto mensis Aprilis anno Domini MDCCCLXIX.

Placuit Universitati:

Statt. Tit. XVI. (XX.) Sect. III. § 11. 9. (p. 235, ed. 1868.) hæc quæ sequuntur subjicere:

Si quæ ejusmodi tabulæ in ædes Randolphianas transferantur, Curatoribus ædium accedat Bibliothecarius quamdiu saltem istæ tabulæ illic asserventur.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die octavo mensis Martii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die duodecimo ejusdem mensis Martii, et in eadem domo die decimo quinto mensis Aprilis probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo septimo ejusdem mensis Aprilis anno Domini MDCCCLXIX.

Placuit Universitati:

Statt. Tit. VI. (IX.) Sect. II. § 5. n. 1. (p. 100. ed. 1866.) post verba "schola jurisprudentiæ et historiæ modernæ," hæc verba inserere, "et quinta schola S. Theologiæ.

Ibid § 8. (p. 111.) post n. 25, hæc verba inserere:

26. In schola autem Theologiæ materies Examinationis hæc esto;

i. Biblia sacra.

ii. Theologia dogmatica atque symbolica.

iii. Historia ecclesiastica et Patristica.

iv. Apologetica sive evidentiarum quas vocant scientia.

v. Liturgica.

vi. Critica sacra et archæologia utriusque Testamenti.

Libri Novi Testamenti ex ipsis fontibus exponantur. In historia etiam tum ecclesiæ tum liturgiarum tractanda fontium utriusque ratio habeatur.

Linguæ Hebraicæ notitia aliquantula aliquantulum momenti habeat, exactior vero vel maxime in honorum distributione valeat.

Locos etiam versionis LXXviralis (in qua libros quos vocant Apocryphos Veteris Testamenti includimus) exponendos adhibere liceat.

27. In hac schola nemo in primam classem referatur nisi materiem tum Novi tum Veteris Testamenti et Theologiam dogmaticam probe calluerit; Novum Testamentum ex ipsis fontibus scite exponere valuerit; e cætera vero materie in duabus saltem partibus se bene versatum esse probaverit. Sed ne in quartam quidem classem quemvis referri volumus nisi qui præter religionis rudimenta (in quibus omnes qui primum gradum ambiunt examinatoribus satisfacere tenentur) epistolas D. Pauli, et præterea, vel Theologiam Dogmaticam, vel Historiam Ecclesiasticam, vel Apologeticam, vel Liturgicam, vel linguam Hebraicam, se gnaviter studuisse probaverit.

28. Libros aliquos, in qualibet supradictæ materiei parte, accuratissima diligentia tractandos, nominent Professores S. Theologiæ Professor Regius, Dominæ Margaretæ Professor, Linguæ Hebraicæ, Theologiæ Pastoralis, Historiæ Ecclesiasticæ Professores Regii, Professor S. Scripturæ Exegeseos, una cum Examinatoribus in Schola Theologiæ, eorumque nomina anno integro antequam examinatio habenda sit publici juris faciant.

Ibid post n. 6. (p. 106.) hæc verba inserere:

Ii vero, qui in schola Theologiæ classem aliquam ambiunt, (ne bis in eadem materie eodem fere tempore examinentur) ab examinatione in rudimentis fidei ac religionis coram examinatoribus in schola literarum humaniorum excusentur.

Ibid § 6. (p. 102.) post n. 2. hæc verba inserere:

3. In Schola Theologiæ tres sunto Examinatores, ex iis qui in sacris ordinibus constituti jus intrandi in domum Convocationis habeant in biennium nominandi. Examinatores eligant Vice-Cancellarius, uterque Procuratorum, et tres viri a S. Theologiæ Professore Regio, Dominæ Margaretæ Professore, Linguæ Hebraicæ, Theologiæ Pastoralis, Historiæ Ecclesiasticæ Professoribus Regiis, Professore S. Scripturæ Exegeseos, e suo ipsorum numero in triennium nominandi.

Examinatorum nomina in Congregatione primum post justam monitionem singillatim suffragiis regentium permittantur, et inde post septem dies in frequenti Convocatione eodem modo a domo approbanda seu improbanda proponantur. Examinatorum vel unus vel duo quotannis prout res exegerit officio suo cedant.

Donec eo res redierit ut examinatores suo quisque ordine vicissim cedant, junioris erit suo loco cedere.

In Stat. Tit. XV. (XIX.) n. 14. (p. 215.) post verba "in schola scientiæ naturalis £50 0 0" hæc verba inserere:

——— in schola Theologiæ, £50 0 0.

Examinatio hoc statuto sancita primum fiat Termino Paschatis A.D. 1870.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die vicesimo sexto mensis Aprilis. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die quarto mensis Maii, et in eadem domo die undevicesimo ejusdem mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo septimo ejusdem mensis Maii anno Domini MDCCCLXIX.

Placuit Universitati:

Statt. Tit. V. (VI.) Sect. IV. § 5. (ed. 1868. p. 78.) post verba "intra scholarum præcinctus" hæc verba inserere "vel in aliquo alio loco idoneo a Vice-Cancellario approbato."

Item, Tit. V. (VI.) Sect. V. § 5. (ed. 1868. p. 82.) post verba "intra scholarum præcinctus" hæc verba inserere "vel in aliquo alio loco idoneo a Vice-Cancellario approbato."

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die vicesimo sexto mensis Aprilis. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die quarto mensis Maii, et in eadem domo die undevicesimo ejusdem mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo septimo ejusdem mensis Maii anno Domini MDCCCLXIX.

Placuit Universitati: Statt. Tit. XV. (XIX.) § I. cl. 10, 11, 12 (pp. 216, 217. ed. 1868),

"Quicquid ex pecuniis——uterque."

Item ibid. cl. 13 (p. 219. ed. 1868),

	£	s.	d.
"Registrarii famulo	5	0	0
Clarendonianarum ædium famulo	50	0	0"

Item ibid. cl. 13 (p. 220. ed. 1868),

"Pendantur etiam a Vice-Cancellario, quotannis,

Urbi nocte custodiendæ, bonis academicis defendendis et igni extinguendo	2300	0	0

Ex his pecuniis percipiánt, quotannis,

Marescallus, qui nunc est, loco emolumentorum omnium quibus hodie fruitur	170	0	0
Marescallus, quum primum vacaverit officium, nominandus ..	150	0	0
Famulus uterque Procuratorum munus suum quamdiu Vice-Cancellario et Procuratoribus visum fuerit servaturus ..	65	0	0
Famulus uterque Procuratorum in annum designatus ..	30	0	0"

abrogare:

et Statt. Tit. VII. (X.) Sect. II. § 4. (p. 158. ed. 1868), ad finem hæc quæ sequuntur subjicere:

Concerning the Delegates of University Police.

1. There shall be ten Delegates of University Police; namely,

The Vice-Chancellor.

The Pro-Vice-Chancellors.

The Proctors.

Three resident Members of Convocation, nominated in Convocation by the Proctors.

2. The Delegates shall hold three meetings in a year; namely, one in each Term, Easter and Act Terms being counted as one, on such days as the Vice-Chancellor shall appoint; and they shall also meet at other times when summoned by the Vice-Chancellor.

3. Each Proctor shall appoint his own attendant; and such attendants shall receive £30 per annum each out of the fund placed, as hereinafter mentioned, at the disposal of the Delegates.

4. There shall be not more than eleven Proctors' servants, of whom one shall be a superior Officer, and shall be called the Marshal, and the others shall be subordinate. All these shall be nominated by the Delegates, being such men as the Vice-Chancellor may think fit to appoint Constables under the powers reserved to the Chancellor or Vice-Chancellor in Clause 24 of the Oxford Police Act, 1868. They shall be engaged under such conditions, and shall receive such salaries, as the Delegates may from time to time determine. They shall be removable by the Delegates, and shall be subject to such regulations as the Delegates shall think fit.

5. Of the Proctors' servants a certain number, not exceeding six, shall be specially appointed for the Service of the River.

6. The Delegates shall contribute annually towards the maintenance of the Bathing Place the sum of £25 out of the funds placed at their disposal, as long as it shall be conducted in a manner satisfactory to them.

7. The whole basement of the Clarendon Building shall be set apart for a Proctors' Office and a University Police Station.

8. The Delegates shall appoint a man and his wife, who shall reside in the Station; who shall take charge of all persons brought thither by the Proctors' servants; who shall take care of and keep clean the whole Clarendon Building and its precincts, and shall attend on the several Offices in the Building, and discharge such other duties as the Delegates may direct.

9. The Delegates are hereby authorised to draw annually from the University Chest for these purposes a sum not exceeding nine hundred pounds, viz. £500 for the Proctors' Service, and £400 for the River Service.

10. The expenses of Special Constables appointed by the Chancellor or the Vice-Chancellor shall be defrayed out of the University Chest.

11. The accounts of the Delegates shall be audited annually in Michaelmas Term by the Delegates of Accounts.

12. These provisions concerning the Delegates of Police shall continue in force for five years from the first day of Michaelmas Term, 1869.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die vicesimo sexto mensis Aprilis. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die quarto mensis Maii, et in eadem domo die undevicesimo ejusdem mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die vicesimo septimo ejusdem mensis Maii anno Domini MDCCCLXIX.

Placuit Universitati:

Statt. Tit. IV. Sect. I. § 6. cl. 11 (p. 25, ed. 1868) hæc verba abrogare:

11. "Professori persolvatur ad incrementum stipendii sui summa trecentarum et sexaginta librarum annuatim e proventibus prædiorum quibus ex munificentia fundatoris celeberrimi fruitur academia."

et in eorum locum hæc verba subrogare:

11. Professoris emolumenta ad summam sexcentarum librarum præter feoda legitima augeantur e cista academica.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die decimo mensis Maii. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die undevicesimo ejusdem mensis Maii, et in eadem domo die vicesimo septimo ejusdem mensis Maii probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die tertio mensis Junii anno Domini MDCCCLXIX.

Placuit Universitati :—

Statt. Tit. XIX. Sect. V. *De examinatione candidatorum qui non sunt de corpore Universitatis,* post verba "in ejus locum sufficiant." (p. 283, ed. 1869) hæc quæ sequuntur inserere :

"Liceat delegatis puellas inter Candidatos adnumerare."

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die vicesimo secundo mensis Novembris. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die vicesimo quinto ejusdem mensis Novembris, et in eadem domo die secundo mensis Decembris probatum ; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die nono ejusdem mensis Decembris anno Domini MDCCCLXIX.

Placuit Universitati:—

Statt. Tit. XIX. Sect. IX. (p. 287, ed. 1869.) *De Præceptore Linguæ Hindustanicæ*, abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare:

IX. *De Præceptore linguæ Hindustanicæ.*

1. Præceptor linguæ Hindustanicæ a venerabili domo Convocationis in quinquennium eligatur.

2. Præceptor per septem hebdomadas in unoquoque termino (terminis Paschatis et S. Trinitatis pro uno reputatis) quotidie per horas tres, si a Vice-Cancellario requisitus fuerit, docendo incumbat.

3. Præceptor libras ducentas et viginti quinque quotannis e cista academica percipiat; quarum tertia pars singulis terminis pendatur. Pendant etiam auditores singuli in unoquoque termino pro universa serie lectionum quinque libras; tres libras autem qui ter in hebdomade adesse velint.

4. Si officium neglexerit aut contra bonos mores offenderit præceptor, a munere suo per Vice-Cancellarium, consentientibus Delegatis appellationum in Congregatione aut majore parte eorum, amoveatur.

Placuit Universitati:—

Statt. Tit. XIX. Sect. X. *De Bibliothecæ Radclivianæ hypobibliothecario* abrogare.

De statutis his rogandis, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die vicesimo secundo mensis Novembris. Promulgata sunt eadem statuta in domo Congregationis die vicesimo quinto ejusdem mensis Novembris, et in eadem domo die secundo mensis Decembris probata; tandem in Convocatione publicata et confirmata die nono ejusdem mensis Decembris anno Domini MDCCCLXIX.

Placuit Universitati:

Statt. Tit. XVI (XX), Sect. v, § 2 *De Museo Ashmoleano*, et § 3 *De custode Musei Ashmoleani*, (p. 243 ed. 1869), videlicet verba

" 1. Delegati musei academici sint musei Ashmoleani visitatores. Quandocunque ipsis commodum videbitur, museum visitent, cimelia et libros manuscriptos ordinent, et ubi expedire visum fuerit deponant.

" 2. In cæteris abrogentur ordinationes Ashmoleanæ."

et verba

" Custos musei Ashmoleani sit etiam custos musei academici, et nominetur a delegatis musei academici, a venerabili domo Convocationis deinceps approbandus. Stipendio a Doctore Rawlinson legato fruatur, si gradum Magistri in Artibus, vel Baccalaurei in Jure Civili vel in Medicina adeptus fuerit, ubicunque et e quacunque prosapia natus sit, quocunque superiore gradu aut quibuscunque honoribus insignitus; et quanquam laicus aut cœlebs non sit. Quicquid de officio ejus statuerit academia, observare teneatur."

abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare:

§ 2. *De Museo Ashmoleano.*

1. Quinque sint Musei Ashmoleani visitatores, scilicet, Vice-Cancellarius, Historiarum Professor Camdenianus, Historiæ Modernæ Professor Regius, et alii duo ex iis qui jus intrandi domum Convocationis habent a Congregatione Universitatis Oxoniensis in quinquennium eligendi. Quandocumque ipsis commodum videbitur, Museum visitent, cimelia et libros manuscriptos ordinent, et ubi expedire visum fuerit deponant. In cæteris abrogentur ordinationes Ashmoleanæ.

2. Quum primum vacaverit custodis Musei officium, custos sit Joannes Henricus Parker, Magister in facultate Artium honoris causa creatus. Posthac custodem visitatores nominent a venerabili domo Convocationis approbandum. Quilibet rite approbatus custos stipendio a Doctore Rawlinson legato fruatur. Quicquid de officio ejus statuerit Academia, observare teneatur.

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die vicesimo secundo mensis Novembris. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die vicesimo quinto ejusdem mensis Novembris, et in eadem domo die secundo mensis Decembris probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die nono ejusdem mensis Decembris anno Domini MDCCCLXIX.

Placuit Universitati:

Statt. Tit. VI. (IX.) Sect. III. § 2. cl. 7. (p. 130, ed. 1869.) "Atque illico tum ipse, tum alii omnes, admoniti prius a Procuratore seniore formula solenni ('*Eandem declarationem quam præstitit* A. B., *in persona sua, vos præstabitis in personis vestris, et quilibet vestrum in persona sua*') in confirmationem declarationis eidem subscribant: quod rite factum esse statim testentur Procuratores." abrogare, et hæc quæ sequuntur subrogare:

"Atque illico alii omnes admoneantur a Procuratore Seniore formula solenni '*Eandem declarationem quam præstitit* A. B., *in persona sua, vos præstabitis in personis vestris, et quilibet vestrum in persona sua.*' Deinde testentur Procuratores omnes sic admonitos declarationi eidem rite subscripsisse."

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die vicesimo secundo mensis Novembris. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die vicesimo quinto ejusdem mensis Novembris, et in eadem domo die secundo mensis Decembris probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die nono ejusdem mensis Decembris anno Domini MDCCCLXIX.

Placuit Universitati:

Statt. Tit. XV. (XIX.) § 1. 10. (p. 221, ed. 1869.) post verba

	£	s.	d.
"Universitatis Attornato	1	0	0"

hæc quæ sequuntur inserere:

"Universitatis Coronatorum alterutri pro unaquaque inquisitione	5	5	0"

De statuto hoc rogando, re mature perpensa, consensit concilium hebdomadale die vicesimo secundo mensis Novembris. Promulgatum est idem statutum in domo Congregationis die vicesimo quinto ejusdem mensis Novembris, et in eadem domo die secundo mensis Decembris probatum; tandem in Convocatione publicatum et confirmatum die nono ejusdem mensis Decembris anno Domini MDCCCLXIX.

ELENCHUS TITULORUM

ET PARAGRAPHORUM,

QUI IN

CORPORE STATUTORUM CONTINENTUR.

TITULUS I.

DE TERMINIS ET VACATIONIBUS.

TITULUS II.

DE MATRICULA UNIVERSITATIS.

TITULUS III.

DE SCHOLARIBUS IN COLLEGIA ET AULAS COMPELLENDIS.

TITULUS IV.

DE LECTORIBUS PUBLICIS.

Sectio I.

Statuta specialia ad Lectores pertinentia.

Sectio II.

Statuta Lectores in genere spectantia.

TITULUS VII.

DE GENERALI INCEPTIONE IN SINGULIS FACULTATIBUS, SIVE DE VESPERIIS ET COMITIIS.

ELENCHUS TITULORUM.

ELENCHUS TITULORUM.

ELENCHUS TITULORUM.

ELENCHUS TITULORUM.

ELENCHUS TITULORUM.

ELENCHUS TITULORUM.

INDEX ALPHABETICUS.

† A

CORRIGENDA IN CORPORE STATUTORUM EDIT. 1768. ET APPENDICE.

Pag. 6. lin. 4. *ante* Denariorum *inser.* duodecim—l. 5. *ante* prædicti *inser.* Bedelli—P. 15. l. 22. *ante* Libris *inser.* tribus—P. 16. l. 33. *post* Stat. *inser.* Tit.—P. 30. l. 8. *pro* bis *leg.* binas—P. 37. l. 1. *pro* Tit. IV. *leg.* Tit. VI.—P. 41. l. 26. *dele* Baccalaurei—P. 53. l. 5. *pro* Ecclesiæ *leg.* Ecclesia—P. 57. l. 10. *pro* Commitia *leg.* Comitia—P. 60. l. 18. *pro* universo *leg.* inverso—P. 62. l. 16. *pro* ad *leg.* a—P. 64. l. 28. *pro* possunt *leg.* possint.—P. 77. l. 1. *leg.* proponendi—P. 98. l. 3. *pro* propositis *leg.* postpositis—P. 105. l. 8. *ante* elapsum *inser.* proxime—P. 106. l. 24. *leg.* admitto te—l. 34. *pro* Do *leg.* Incipiam—P. 110. l. 8. *pro* Licentationem *leg.* Licentiationem—P. 112. l. ult. *pro* inter *leg.* intra—P. 120. l. ult. *pro* quidena *leg.* quindena—P. 123. l. 6. *pro* necessario *leg.* necessaria.—P. 124. l. 7. *post* suffragaturi *inser.* (Procuratoribus vel eorum Deputatis exigentibus) et—P. 127. l. 21. *pro* indita *leg.* indicta—P. 129. l. 1. *pro* Tit. X. *leg.* Tit. XI.—P. 140. l. 1. *pro* quinquaginta *leg.* quadraginta—P. 151. l. 19. *pro* alias *leg.* alius—P. 156. l. 4. *leg.* Statuta—l. 22. *pro* sive *leg.* sibi—P. 163. l. 3. *pro* Stellas *leg.* Sellas—P. 172. l. 8. *post* Regentium *leg.* et non Regentium—l. 24. *pro* 128. *leg.* 12d.—Append. P. 7. l. 19. *pro* annutiata *leg.* annuntiata—P. 36. l. 13. *leg.* applicandum—P. 60. l. 1. *leg.* Sect. 1.

